Epistolæ
hæreticorum
To. I

1454

D. l. 54.1 4°

1,454

D. l. 54.[1] 4°.

Hic Liber M.S. olim extitit inter
Libros bibliothecae Domini Danie-
lis Rindfleisch Buretii patria
vratislaviensis in silesia, religione tum
Lutherani, professione medici eru-
ditissimi qui post peragratas mul-
tas religiones, et abjurato Lutheranis-
mo, Romanae Ecclesiae colla submisit,
et ~~habitum~~ mundo valedixit anno
1628. habitum monachalem sum-
psit et mortuus est die 10. 7bris
1631.

---

on a transcrit cette note qui etoit
a la tête de ce volume, sur
un morceau de papier usé
et qui n'etoit presque plus lisible.

Ad Ducem Wirtebergensem

Gottes gnad durch seinen eingebornen Son Jhesu Christum unsern heylandt und warhafftig hellsten freundt. Durchleuchtiger hochgeborner genediger furst unnd herr. E. F. G. Christliche unnd gnedige schrifft hab Ich in underthenigkeit empfangen unnd gelesen und dabey der Ehrwirdigen herrn Praedicanten Confessio und Declaratio vom streit Osiandri. Nach dem nu E. F. G. genediglich begeren, das Ich mein andtwortten anzeigen wolle von gedachter Confessio und declaratio, ob Ich sie recht achte und gleichlautend mit der lehr die durch Gottes gnad in gemein in den kirchen dieser landt, welche der Augspurgischen Confession anhangen, gepredigt wirdt, darauff ist dieses mein einfeltige klare antwort.

Erstlich von der Conciliatio ist nu zu spat zu reden, denn nach dem sie in preussen kommen, hat sie des Osiandri anhang nicht alls ein vergleichung sondern alls ein Condemnation des andern theiles gedeutet, und sind edicta gefolget darinn diesen das landt verboten wirdt, die des Osiandri meinung anfechten. So ist offentlich, das Osiander viel [illegible]

menget hat, die bewerckt sindt, Alleß so er
schreibet im J. wird mich. Die sünden sind
vergeben da der Herr Christus am Creutz ge-
storben ist. Aber hernach erlangen die glau-
bigen Justitiam essentialem. Ist nun
solches seine meinung gewesen, wie die
wort lauten, so ist es schröcklich zu hören, gleich
alß wenn Neroni die sünden vergeben, aber
er wirdt verdampt, darumb daß er nicht Justitia
essentialem hat. Darumb wollet Ich lieber,
die Conciliatio were nicht fürgenommen.
Zum andern von der declaratio die zu Tü-
bingen auff dem 30 tag January Anno 1553.
gestellet ist, und von der beygelegten Confessio
welcher anfang ist, wir glauben, bekennen und
lehren etc. sage Ich klar, daß dieselbige beyder
schrifften recht sindt, und gleichlautend mit
der Lehr, die in unsern Kirchen gepredigt wirdt.
Aber von wegen der kurtz, möcht villeicht Jemand
nach lengeren bericht begehren, dieweyl aber
nu und angefangen ist, daß sie in diesen und
andern Artickellen Luthery lehr folgen sollten
billich damit gesettigt sein, die in unsern
Kirchen predigen oder schreiben.

So kenne Ich den Ehrwirdigen herrn Johann
Brentium und viel der andern die auch unter,,
schreiben, und weis das sie gelarte, gottfurchtige
friedliebende Menner sind, habe derhalben
nicht darfur gehaltten, das sie mir wider,,
wertige meinung hetten; wird unser Kirch
der Ich auch verhuetten kan mehr unndliche schriften
widerfur, will Ich vleiss thun, das Ihr wir auch
verschonet werde. Dieses ist mein
untertheniger und einfelltiger Antwort
auf E. F. G. frage. Was aber denn streit
Osiandri an sich selb belanget, acht Ich nicht das
E. F. G. von mir weitern bericht begeren.
Es sindt viel sachen. Aber d(er) haubtstreit ist
das Osiander diese nötige lehr verdunckelt od(er)
vertilget, das ob gleich die widergeburth geschehen
muss, und in den bekerten geschehen ist, gleichwol
ist der widergeborne fur und fur gerecht, das ist,
Gott gefellig von wegen des Mittlers Christi
Gott und Menschen, durch glauben, und ist der
gehorsam Christi viel höher zu achten, denn die
newen wirckungen in uns.

Dagegen sagt Osiander, der Mensch sey gerecht
von wegen der Essentialis Justitia und macht
ein definitio. Justitia heist das uns macht recht

Sind die deutsch Loci communes gewesen in diesem 1553 Jar neu ge-, schriben und ausgangen,

thun, dieses sind gesetz reden, damit so Jemand
gedencken sol, Er sey gerecht, denn Er thue
im recht, wirdt der trost auß denn augen weg
genommen, und der Mittler verdunckellt
davon ist in diesem Buch auch erinnerung,
das Ich E. F. G. underthenniglich hiemit zu-
sende, und mag darüber E. F. G. selb alls
eines hochlöblich Christlichen hochverstendig
Fursten, und E. F. G. gelarten urtheil leiden,
denn mein gemuth ist nicht gesinnet zu er-
regen, sonder habe treulich einfeltige rechte
erklerung gesucht. Der allmechtige
Sohn Gottes Jhesus Christus, der Jm
warhafftiglich ein ewige kirche im menschlich
geschlecht sammlet, wolle E. F. G. er-
halten. Datum 18 Martij

Philippus

BIBL STE GEN

il y a une suitte des Lettres de penitens dans un des vol. suiv.
qui est le 2. vol.

BIBLIOTHEQUE SAINTE GENEVIEVE

il y a une suite de s Lettres de 5
pensées dans un des vol. suiv.
Quiesle 2e vol.

copie (17e s.)

Venerando Patri Theodoro Bezæ Is. Casaubonus S. D. 3

Quando igitur, ita vis, Beza plurimum observande, describam tibi nonnulla eorum
quæ inter legendum nuper adnotabam sup aliquot N. T. locis, quæ etsi tanti non
sunt ut longe adeo mittantur ad te, velim tamen boni & æqui illa consulas:
persuadeasq tibi tuno hoc esse summi amoris in te mei pignus & argumentum

Luc: 22: 20 // Verba Lucæ sunt 22. 20, ὡσαύτως κ(αὶ) τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη
ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Quæsitum nuper a
nobis et qua sit postremorum verborum interpretatio recta. agitata n. hic
recens ea quæstio inter concionatores utrique, ὁμιλίαις primum, deinde &
scriptis editisque libris. Respondi non posse adduci me ut locum mendi
haberem susceptum. Basilius qui aliter citat mentem loci ἀπὸ μνήμης m
videtur, magis quam verba ipsa reddidit. Putamus n. vulgatam lectionem
duob. modis exponi commode posse convenienter ei doctrinæ, quæ in refor-
matis ecclesiis docetur. Credimus n. nos verba qb. cœna dominica insti-
tuitur, sic esse exponenda, ut cum dicitur τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου, inde
id accipiatur q. esset scriptum, τοῦτο (sive οὗτος ὁ ἄρτος) ἐστὶ σύμβο-
λον τοῦ σώματός μου. sic de ceteris. Quid ig. vetat quominus in super
eo loco hæc ita verti possint & exponi? τοῦτο τὸ ποτήριον ἐστὶ τὸ ὑπὲρ
ὑμῶν ἐκχυνόμενον. i. hoc poculum est simbolum eius qd. pro vobis ef-
funditur, vel effunditur, ut vetus Latina quæ videtur exprimere ἐκ-
χυνόμενον non ἐκχυνόμενον & fortasse sic olim scriptum. Ineptissime
enim faciunt qui ingens in eo mysterium latere volunt quod Spiritus S.
ut ipsi aiunt Græce locutus est in præsenti tempore, Latine in futuro. qua
de re nugatur multa nupus interpres Lugdunensis, homo nulla re
nisi maledicendi studio insignis. Si minus placet hæc interpretatio
aliam proferemus. Possumus n. defendere verba hæc, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν
ἐκχ. referri ad αἵματι qd proxime præcedit. Frustra n. sunt adver-
sarii, qui ut suum dogma stabiliant, mordicus adeo tuentur non posse
aliter postrema hæc verba construi, quam ut referantur ad τοῦτο τὸ
ποτ. Equidem non dubito Basilium non aliter solitum construere ea
quam ut referret ad αἵματι. idem est, qd. vir Sanctissimus ea
verba descripsit aliud agens, ut nos quidem putamus, non ut in textu
habentur, sed ut construi ab eo solita, & intelligi sublata figura. Est. n.
in verbis Lucæ σχῆμα τῆς λέξεως usitatum optimis scriptorib., τὸ ἀνα-
κόλουθον. cum pars posterior orationis cum superiore cui necessario adhære-
ret, vel in genere, vel in numero aut casu non convenit. hic τὸ ἀνακόλουθον

BIBLIOTHÈQUE DE GENÈVE

est in casu, ut in illo Homeri Iliad. β. ἤ ἔτι καὶ χρυσοῦ ἐπιδεύεαι.
ἠὲ γυναῖκα νέην, quasi praecessisset θέλεις, aut aliud non ἐπιδεύεαι.
Graeci vocant πρὸς τὸ σημαινόμενον vel νοούμενον. Sic ergo Lucas etsi prae=
dat ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου. quia tamen illa verba non aliū
sensum habent, quam haec τὸ αἷμά μου τῆς καινῆς διαθήκης: ita ultimū
membrum extulit quasi et ipse ita scripsisset: et τὸ νοούμενον magis quam
τὸ ῥητὸν attendit. Caeterum qd. Lucas verba illa ἡ καινὴ διαθήκη ἐν
τῷ αἵματί μου non ita ut caeteri enunciavit: videtur non temere id
factum: nam ut ait Basilius βλασφημία δεινὴ putare, in sacris
literis vel μίαν συλλαβὴν εἶναι ἀργήν. Equidem sic locutum Spiritū
S. puto aut suspicor potius, ut doceret nos quomodo accipi illa verba debe=
rent, quib. usus dnus in institutione coenae. Nam ex collatione trium Euan=
gelistarum apparet, vim eandem esse duarum istarum enunciationum.
τοῦτο τὸ ποτήριον ἐστὶ τὸ αἷμά μου τῆς καινῆς διαθήκης. et τοῦτο
τὸ ποτήριον ἐστὶν ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου. Nisi statuamus
eandem esse vim utriusque locutionis, sequitur, ut diversum scrip=
serit Lucas ab alijs: qd. in re tanti momenti vel cogitare impium. Quod
si eadem utriusque φράσεως vis est, ergo et ratio attributionis eadem utro=
bique agnoscenda. Nemo autem sic insanit, ut neget τὸ ποτήριον dici Lucae
τὴν καινὴν διαθήκην, non qd. sit ipsum foedus novum: sed qd. foederis
novi sit symbolum, sive .n. τὸ ποτήριον accipias de vino, sive de ipso
Christi sanguine, verum erit non esse illum τὴν διαθήκην, sed sigillum
τῆς διαθήκης. Ipse Theophylactus qui μεταποίησιν signorum credi=
dit, ita sentit, scribitque νῦν τοῦ λόγου ἀνθρώπου γενομένου, τὸ αἷμα τὴν
καινὴν διαθήκην ἡμῖν ἐπισφραγίζει. Itaque vel auctore Theophylac=
to cui probatur transsubstantiatio, verba Lucae sic accipi debent, qua=
si esset scriptum, τοῦτο τὸ ποτήριον ἐστὶ σφραγὶς τῆς κ. διαθ. Quod
si in explicatione verborum Euangelistae huius figuratam orationem
necessario agnoscimus, qd re est cur non et in caeterorum quoque possi=
mus? Sed ad alia transeamus. Extat apud Paulum duob. simillimis
paulus 2 Tim: 2:16 locis, vox περιΐστασο, quam non verterim cohibe, sed cum veteri devita.
Tit: 3:9 Observamus .n. nunquam aliter ea dictione uti veteres, quam eo sensu.
Josephus περιΐστατο γὰρ μὴ πολλοὶ τῆς τῶν λόγων ἀσελγείας αὐτοῦ
μιμηταὶ γένωνται. Idem. καὶ τὴν αἰτίαν ἐπυνθάνετο δι' ἣν
πρότερον ἡδόμενος τῇ πρὸς αὐτὸν ὁμιλίᾳ νῦν φοβεῖται τοῦτον
καὶ περιΐσταται. Vetus scriptor apud Suid. τὸν ὄχλον γὰρ ἐκεῖνος.

ἀεὶ καὶ τοὺς δορυφόρους περιίστατο μάλιστα, etiam apud Lucianum
in hermotimo sive περιίστασθαι & ἐκτρέπεσθαι iunguntur. Hanc interpre=
tationem sequitur Syrus qui vertit   quod est passivum τοῦ ✝ ✝ ✝
αἰτεῖν sic n. solet vertere τὸ παραιτεῖσθαι: ut in gemino loco 2. Tim. 2
23. Eodem sensu ἀποτρέπου posuit Paulus 2. Tim. 3. 5. Tuam tu
vix ~~commendando~~ versionem unus qd. sciam tueatur Chrysostomus
qui vim huius vocis exprimens, his verbis utitur μάχεσθαι καὶ μετὰ
πολλῆς τῆς ἀνδρείας περιίστασθαι. Idem Chrysost. 2. ad Tim. 2. 16.
legit καινοφωνίας, non κενοφωνίας. Sed redeo ad verbum περιίστασθαι.
Heb: 12: 1. Unde & dictio εὐπερίστατος. ea usus Paulus ad Heb. 12. 1. ὄγκον ἀπο=
θέμενοι πάντα, καὶ τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν, ubi nolim equidem
active eam vocem accipere sed passive ut cetera eiusdem formae,
εὐπερίληπτος, εὐκαταφρόνητος, εὐαφαίρετος. expono a. εὐπερίστατον
ἁμαρτίαν quae facile vitari potest, qd sermoni apostoli bene co=
venit. Ideo hanc explicationem iure praeludit Chrysostomus,
cuius verba εὐπερίστατον ἤτοι τὴν εὐκόλως περιισταμένην ἡμᾶς,
ἢ τὴν εὐκόλως περίστασιν δυναμένην παθεῖν. μᾶλλον δὲ τοῦτο ῥᾴδιον
καὶ ἐὰν θέλωμεν περιγενέσθαι τῆς ἁμαρτίας. Rursus notatum tibi,
Titum: 1: 6 Beza doctissime, in ea ad Titum 1. 6. ad illa μὴ ἐν κατηγορίᾳ ἀσωτί=
ας, Syrum interpretem legisse amplius quam in nris codd. Graecis
extet ὑπὸ [illegible]: qd. mihi non videtur, & omnino aliter
habet: Nam Syrus int. sine verbum verbo reddens ita vertit, qui
non sint obnoxii maledicto, & non sint sine obedientia prae asotia
utor voce Graeca ἀσωτία: nam Syrus interpres cum hic cum alibi
ea usus est. prorsus n.   est ἀσωτία. hic & alibi & hanc & ali=
as Graecas dictiones Syro offert, nec vertit. Porro apparet hic eum
transtulisse q. legisset μὴ ἐν κατηγορίᾳ, ἢ ὑπ' ἀσωτίας ἀνυ=
πότακτα. qd. non probo. Vides autem Beza σεβάσμιε, an pla=
ceat tibi interpretatio, quam equidem malim, horum verborum
μὴ ἐν κατηγορίᾳ ἀσωτίας, qui non ea fama sint quasi luxui
se dedant, vel, qui non habeantur vulgo pro Luxuriosis ad
verbum de quibus non praedicetur luxus nam ita accipio
κατηγορία hic ut saepe apud Graecos Historicos & oratores.

BIBLIOTHEQUE SAINTE GENEVIEVE

[illegible]

[illegible]

edit.
Rés. Q in 12° 806.

AVLICVS

Casparis Peucerj, philosophiæ & Medicinæ Doctoris.

Eiusdem

APOLOGIA

BIBLIOTHÈQUE SAINTE GENEVIÈVE

Edit.

Scholasticum me Natura fecerat, Aulicum fortuna: Sed fortuna, quae ut in omnibus rebus humanis sic maxime in aulis stabilis aut diuturna minime esse solet, cito mutata ex schola me simul & aula ejecit: ex neutra tamen invitum. Nam etsi ab aula, ad quam invitum me pertraxerat, abhorrui semper; Scholam contra sponte semper ac volens secutus sum, & quidem cum quadam hilaritate animi ac voluptate: non invitus tamen rebus ad mutationem inclinatis discessi ab Academia, ne spectarem ex mutatione profecturam tristem ruinam & deplorandum interitum Academiae, in qua optime constituta & florente floruéram & Ego. Id omne quomodo acciderit, & quibus occasionibus, narrabo simpliciter & ordine: plura enim me referre vetat religio Iurisiurandi quo teneor, obligatus scilicet, ne de quoquam qui sunt in gubernatione male loquar, neve quid sinistre interpreter. Iudicium ergo permitto sapientibus: Exemplum propono juvenibus, Exemplum, inquam, & optimorum ac rectissimorum consiliorum, & non temere neque infeliciter susceptorum conatuum & secutae conversionis rerum quae in fatalem Academiae articulum incidit: & in hoc toto cursu meo admirandae gubernationis ac liberationis divinae, cui omnia mea accepta fero ac debeo: cui sit laus, honor & gratia in sempiterna secula. Amen.

Vitam scholasticam ut amavi natura sic ab ineunte aetate prae caeteris cunctis aliis multo splendidioribus aut quaestuosioribus expetivi, ac de inceps

inceps aucto confirmatoq cum ætate judicio, cura inprimis studioq
& institutione, ac pijs fidelibusq. monitis patris mei carissimj sum am-
plexus. Huius consilij & propositj adeo me nunquam pœnituit ut Deo gra-
tias inter precandum egerim assidue in hoc quod me vitæ genere collo-
carit & conservavit, abductum ab aulis summorum Regum, in qui-
bus adolescenti mihj occasiones crescendj non defuerunt. Contigere-
runt autem mihj preter magistros domesticos in patria viros opti-
mos duo præceptores fores, viri summj, Primus Valentinus Fridelan-
drus Trocedorfius Goltpergæ, Et post hunc alter Dn Philippus Melan-
thon Vitebergæ, quod post æterna Dei dona ac beneficia inter humana
omnia primo præcipuoq loco pono & habeo.
Philippum Melanthonem ita mihi benignitas & misericordia divina
conciliavit, ut ille me non solum eximie dilexerit inter discipulos reliquos
sed & generum sibj, & in domestica ac quotidiana vitæ consuetudine so-
cium adsciverit. Ea mihi cum hoc summo & sanctissimo viro coniunctio
ac consuetudo ad hoc profuit, ut quamquam studiorum ac professionis genere
ab eo differrem, Mathematicis disciplinis ac Medicinæ præcipue deditus:
quotidianis tamen eius colloquijs ac dissertationibus excitarer & accen-
derer ad plurimum aliarum doctrinarum amorem, studium & cognitione[m]
atq inprimis doctrinæ sacræ & historiarum. Ita ergo illo viro &
Mathemata tractabam & exercebam Medicinam, ut curam inqui-
rendæ

rendae Veritatis in doctrinae sacrae controversis articulis, praesertim cum certamina
inter docentes in Ecclesia crescerent ac gliscerent, obscuratioq. vel oppressio etiam
Veritatis esset metuenda: et laborem evolvendi monumenta historica omnium gen-
tium quotquot inter manus versantur non deponerem, et Melanthone duce, magistro,
atque interprete, sollicite atque accurate scrutarer atque pervestigarem singula, et iudi-
cium eius exquirerem de multis rebus sicubi haererem; ac si discreparent opinio-
nes, arbitrium ac sententiam: denique ut non acquiescerem prius quam certi quid et fir-
mi in rebus obscuris aut dubijs tenerem. Singulari me omnino benevolentia ille
et affectione plane paterna complectebatur, cum propter necessitudinis vinculum, tum
quod delectaretur ingenio meo, ut amicis dicere solitum comperi, et officiosae pie-
tatis obsequijs ac studijs, quibus reluctantem saepe, ut erat sui et corporis ac vale-
tudinis negligentissimus, instando tamen urgendoque pertundebam tandem ac vin-
cebam ut cederet et curam sui admitteret. Ideo et desiderium mei quod no-
runt plurimi, quoties aberam ferebat gravissime et cum peregrinaretur, comitem
itinerum me suorum esse volebat, et domi cum viveremus nullum praeteri-
re diem sinebat, praesertim annis aliquot postremis ante mortem, quin ad me
sponte in meum conclave, cum in eadem habitaremus domo sub auroram ac-
cederet, seu ut quereretur de ijs quibus in praesentia angebatur, ac cum
παρρησίᾳ ex mutuis peteret colloquijs, seu ut de parte aliqua doctrinae
aut rerum et negociorum publicorum communicaret mecum cogitationes suas,
seu ut narraret mihi si quid accidisset alicubi memorabile, cuiusque generis

quotidie

quotidie ad eum infinita perscribebantur. His occasionibus à me commone-
factus, praesertim inter peregrinandum, non tantum quid de singulis controver-
sijs sentiret prolixe exponere & diserte solebat, sed & quasi relegens semetip-
sum ex alto repetebat totas historias certaminum, bellorum ac mutationum sui
temporis, causis commemoratis & circumstantijs alijs quas unus omnium op-
time & exactissime norat ac meminerat, ut qui ipse interfuerat, aut ex ijs
cognoverat qui vel adfuerunt vel praefuerant, & suo interposito de negocijs
ac personis iudicio, aspersisq. coniecturis & praesagijs de eventu. Ex his
narrationibus soceri magis certiusq historiam nostrae aetatis didici: & quidem
utriusq: cum Ecclesiae tum Imperij & Regnorum, quam ex ullorum historicorum scrip-
tis. Quod n. me patienter ferret amore mei, nec interpellationibus meis, nec si
quid curiosius etiam aviditate quadam iuvenili sciscitarer, facile ostendebatur.
Ad hunc fructum necessitudinis & consuetudinis Melanthoniae quam quanti
debeo, tanti merito facio, accedebat alter ille fortassis si non maior uberiorq
at illustrior tamen sed periculosior, ut ex ea nomen inclaresceret meum &
summis omnium ordinum hominibus innotescerem: et praeter nominis cele-
britatem ut conciliaretur mihi passim multorum praestantissimorum virorum
quos produxit & alit orbis Christianus, benevolentia. Hinc factum, ut so-
cero mortuo, flagitantibus veteribus eius amicis, quorum de me & spes erat
optima, & opinio praeclara, quasi iure quodam haereditario succederem in
amicitias quas cum plerisq sancte constanterq ille coluerat, & tot

amicitijs

amicitijs auctus, dum studiose sector & reverenter adoro vestigia virtutum, quibus ille cum admiratione omnium excelluit, & omnibus praeluxit, paulatim collige-
rem & adipiscerer studia adolescentiae. Ab his initijs & quasi primordijs cae-
pit ea seu gratia seu autoritas quantulacunque illa fuit, quam deinceps Deus pa-
ter fons perennis inexhaustae benignitatis & misericordiae honoribus pariter & la-
boribus onerato mihi seu contulit seu circumdedit, inclinatis erga me miri-
fico favore animis plurimorum, ut et in Academia essem honoratus, & ab ae-
qualibus amarer, ab inferioribus colerer, à praestantioribus non contemnerer.
Haec dona bonae famae & existimationis, amicitiarum, inclinationis animorum
in hominibus judico esse non tantum ornamenta singularia, sed & praesidia
digna vitae, quae non comparantur consilijs aut industriâ humana, sed tri-
buuntur & conservantur divinitus. Nihil firmi in his tamen & diuturni.
Mutantur enim cum fortuna voluntates hominum: & à fortuna destituti cito
deseruntur etiam ab amicissimis, ζωὸν γάρ εὐμετάβλητον ἐν βίῳ ὁ φί-
λος. Idcirco etsi hunc alterum coniunctiorem cum Melanthone fructum
feci plurimi, eoque magnopere sum laetatus: Non est .n. honesto nomine &
recto bonorum ac prudentium virorum judicijs inter humana omnia aut
praestantius quicquam aut magis expetendum, Ac bene clauserunt vitam in terris
suam quibus secundum Platonem contigit ἐν εὐλογίᾳ τελευτῆσαι, & bona
conscientia ad Deum, honesta fama ad homines nobis opus esse celebratum est:
Haec itaque omnia etsi feci plurimi: nunquam tamen his ita sum confisus, ut
me

me fiducia illorum aut extulerit animo, aut impulerit ad faciendum aliquid
arroganter vel insolenter, aut induerit mihi usitatam quidem multis sed solidam
tamen falsamque de perpetuo duratura felicitate persuasionem: Sed eo loco habui
singula quo debui: & me intra septa ac metas vocationis meae, quanta potui mo-
deratione continui. Tertium quod ex coniunctione cum Melanthone consequu-
tus sum, eudoxia est votum precationemque complexa praesentiae, protectionis ac -
gubernationis divinae, quam ille cum alias saepe mihi impertitam, tum die
ante mortem proximo, cum officiis ex antonitiano pastore precibus repetitam
ita confirmavit, ut indubitato statuam, speremque nullo unquam tempore caeleste
auxilium mihi defuturum esse. Hunc vobis sancti viri mihi partum & in
caelo repositum, perpetui praesidii opisque divinae thesaurum solum duxi verum
esse solidumque coniunctionis nostrae fructum, cum eventus etiam respondere, id
est, cum experirer deinceps ruptam, & corporis animique viribus me confirmari &
consiliis salutaribus instrui divinitus, operas reip. causa susceptas cedere feli-
citer ad gloriam Dei, propagationem doctrinae ac veritatis caelestis, aliarumque ar-
tium vitae necessariarum, Academiae constitutionem, disciplinae honestae guber-
nationem, ut quae a me praestari poterant & debebant, ea omnia maiore ardore
animi & alacritate obirem faceremque: mirifice incitabar & animabar.
Quod autem in Academiam non minori cura contentioneque incumberent cae-
teri collegae, inter quos aliqui propter doctrinae famam, aetatem, usum rerum
& in scholam merita vetera, autoritate prae nobis iunioribus eminebant;

aliqui

aliqui cum ingenijs, eruditione, eloquentia, dexteritate iudiciorum excellerent: & stu-
dio praeclare merendi indies crescebant, effectum est coniunctis singulari fide o-
peris, ut Academiam quam à Melanthone frequentem florentemq. acceperamus,
nec deteriorem, nec infrequentiorem, nec obscuriorem reddiderimus, Deo ex pio
ardentiq. Melanthonis voto adiuvante & provehente labores nostros ne essent
irriti aut infructuosi. Quales fuerint autem labores nostri, & in quem tenden-
derint finem; quidve sit à nobis omnibus spectatum quaesitumve praecipue, cum
extare ad posteritatem prosit exempli causa, id quoque paucis referam.
Non multis diebus ante mortem Melanthonis nonnullos nostrum ex sollicitudine
de Academia, qualis scilicet illo mortuo futura esset, valde consternatos animis
& propemodum desperabundos his ad lectulum affabatur verbis: Iubeo vos de
Academia bene sperare: Sed ne frustremini hac spe providere ac praestare vestrum
erit. Aetas plurimorum inter vos vegeta est, & laborum tolerans. Valetis inge-
nijs, quae doctrina copiosa & varia excoluistis: praeterea habetis certam & con-
stitutam doctrinae formam publicae, ad quam plerique vestrum à teneris sunt
assuefacti. Non itaq. desperetis de vobismetipsis, Sed concordes sitis & cum
invocatione ac timore Dei coniungite animos, voluntates & operas ad unum
finem directas, ut scilicet Academiae bene sit: & pia rectaq. studia conser-
ventur ac propagentur. Id si feceritis, aderit vobis Deus & conatus ac labores
vestros adiuvabit, provehet, ac fortunabit. Huius & consolationis optimae
spei plenae, & gravissimi iudicij testimonijq. tanti viri de nobis, & praecepti
salutaris ac necessarij nunquam obliti sumus qui adfuimus. Cum enim

à

Cum enim à morte Soceri Ego una omnium voluntate creatus Rector Aca-
demiae juberer curam etiam & inspectionem communium studiorum suscipere
& postea cum publico magistratu me adeunte Seniores a cura studiorum publi-
corum liberare nollent, sed invitum ac reluctantem eam retinere cogerent: qd
quibus consilijs & artibus Melanthon illa constituisset & rexisset, his postremis
annis quibus mutationes incidissent variae, & viderentur adhuc impendere
maiores quae prudentiam exigerent ac circumspectionem, nossem ac meminissem
melius caeteris: cessi instantibus & assensi ea lege ut onus inspectionis, quod
molestiarum ac curarum plenum est, in me reciperem, sed non aliter qm qd ea
quae quocunq. tempore desideraturo, aut mutationem emendationemve postu-
lare animadverterero, velim consilio seniorum aut plurium, vel etiam totius
Academiae, si ita senioribus videatur, cognoscenda ac deliberanda proponere:
consultationem de his, & eius qd decretum fuerit executionem debere esse
apud Academiam. Has quas mox ab initio, certo gravique indicio mihi
ipsi circumdedi leges, ut in Aristocratico statu, qualis est & esse debet in Aca-
demijs, tam accurate & obstinate observavi, ut ne tunc quidem discedere
ab eis ulla in parte voluerim, cum accessisset nova autoritas ex manda-
to Illustrissimi principis Electoris. Nihil n. in Academia autorita-
te vel arbitrio privato mutavi aut constitui unquam: Nihil cuiquam prae-
scripsi aut imperavi: Sed quod ex usu & dignitate studiorum publicorum
fore aut profuturum ad disciplinam, aut commodis Academiae serviturum
intellexi

intellexi, id retuli ad Senatum Seniorum. Cum dicerentur sententiae, rationes mei consilii exposui: De studiorum publicorum ratione singulis temporibus accommodanda captui auditorum, pro mutationum quae acciderant occasione, ut discentium ingeniis & profectui consuleretur, communicavi consilia cum Senioribus in singulis collegiis. Haec prima & praecipua fuit pars oneris mihi impositi. Collocatus igitur iussu Academiae, loco honesto quidem sed periculoso, cum onere gravissimo inspectionis studiorum communium, tempore incerto dubioque post tanti Viri obitum, quem sapientissimus quisque metuebat ingentem mutationem Academiae allaturum esse, id unice dabam operam, ut exemplo Soceri, posthabitis meis rebus privatis & commodis, referrem omnia ad communem Academiae salutem, dignitatem, emolumenta; ac prodessem quibus possem: denique ut consociatis ac devinctis inter se vera minimeque fucata benevolentia & consensu dulcissimo collegarum animis, ex ultimo Soceri de colenda concordia mandato, velut unum corpus efficeretur. Quod autem praeclarissimus quisque praestantissimum & pulcherrimum publicae ac divinae concordiae opus suo loco libenter magnoque adiuvaret ac foveret studio: ita inter se coierunt & nexu tam firmo coaluerunt docentium in Academia animi, Deo aspirante gratiam & animos flectente ut omnium una mens, unus consensus de summis & maximis rebus una esset voluntas, ut idem spectarent omnes, vellent & quaererent unum, & certarent inter se benevolentia mutua atque officiis honestis, ut nec sinistris suspicionibus ullis, nec odiis, nec simultatibus locus esset, nec discederetur aut labe

factaretur

facerentur concordia. Si quid incideret discrepantiae aut dissensionis in delibe-
rationibus, cum dicerentur sententiae diversae, & aliud videretur alteri: non
enim morose aut pertinaciter pugnabat quisque pro sententia a se dicta, sed po-
tius facile & humaniter cedebat edoctus diversum, & melioribus acquiescebat;
& quod non ingenii laudem quisque aucuparetur ostentatione inani, nec de
suis consiliis ita contenderet quasi his non obtentis jactura faciunda esset vi-
tae aut fortunarum, sed quaereretur salus publica: ideo etiam si quando con-
flictus contrariarum opinionum exarsisset in certamen, nihil ex eo tamen
offensionis, nihil relinquebatur aculeorum in animis, nec dissensio limites
loci in quo consederamus egrediebatur, sed cum ipsa loquentium voce expira-
bat. Praeterea is erat in omnibus erga Academiam tanquam dulcissimam
matrem amor, ea affectio, ut fortunas, honores, dignitatem, vitam, & si quid
etiam vita charius erat, impendere in eam non dubitaret. Et cum plurimis
contigissent vocationes aliae longe & opimiores & splendidiores: repudiatis
illis tamen maluerint in hoc Academiae flore & fervore studiorum, perse-
verando in iisdem vestigiis stationis suae cum exigua mercede, & spe aliarum
accessionum longe minore atque incertiore sustinere laboriosissimum onus docendi:
quod haud dubie omnium operum humanorum summum ac difficillimum,
quam sua quisque quieti, dignitati, emolumentis consulendo, defodiendoque thesau-
rum divinitus ipsis concessum defraudare tantis occasionibus discendi tam
praeclara ingenia doctrina avidissima, & tanto numero, quanto anna-
tim

tim confluebant, & desertione eruditissimi ac candidissimi sodalitij, optime consti-
tutum et concinnatum exquisite corpus Academiae dissoluere ac mutilare. Denique
ex omni numero nullus erat, qui quo loco constitutus erat, cum velut in acie
non omnibus viribus, omnique contentione tuendum, ac si cessatio aut negligentia
etiam in re parua, inclinationem allatura aliquam omnibus rebus aut pari
tura consternationem videretur: Quae vero curae suae commendata erant, ea non fide
singulari tractanda conficiendaque esse cogitaret, perinde ac si religio commu-
nendi periclitaretur, vel minimis rebus etiam non confectis ex praescripto. Ac
summatim dicendo ea erga leges & magistratum scholasticum in singulis erat
reuerentia, id obediendi studium, ut ad nutus Rectoris praesto quisque esset:
quaeque iuberetur Reip. causa facere, ea mox citra recusationem ullam aut tergi
versationem susciperet, procuraret, effectum daret. Ea prudentia, humanitas,
moderatio, ut etiamsi quid occurreret quod displiceret: cogitaret tamen quisque
vulnera publica molli manu attrectanda, & multa publicae tranquillitati con
donanda esse. Haec tam dulcis inter docentes consensio, quam vere animo
grato agnosco ac profiteor fuitque singulare opus & donum Dei, salutaris fuit A-
cademiae, admirabilis beneuolis, formidabilis hostibus. Constitit enim &
floruit, viguitque hoc diuini & admirandi foederis ex benedictione diuina
nexu copulata inter se Academia, cum quidem auditores nostri acerrimo
praeceptorum in concordia sincere colenda, praestanda obedientia legibus, cum
vera animorum reuerentia ac subiectione tradendis fideliter augendisque
assidue omnibus partibus suis salutaris ac magistrae doctrinae studio

accensi

accensi facerent et ipsi sponte officium & in discenda doctrina, atq. obediendo legibus non minore cura occuparentur. Nec sine admiratione singulari & voluptate quisquis hunc Academiae statum spectavit. Hoc interno ac domestico concordiae praesidio, ceu muro firmissimo munita Academia facile pertulit, elisit, contempsit omnes externae violentiae insultus atq. impetus, quantumuis atroces & terribiles. Quid enim non est contra conata ac molita vel apertorum hostium effera violentia, vel sycophantarum violenta rabies? Quos illa non est experta horum ululatus latratus, morsus, in defensione nefaria ac vesana impiorum aut blasphemorum dogmatum, & synergys consilijs ad incitandas aulas, illarum terrores, minas, denunciationes hostiles, molitiones insidiosas? Eluctata tamen est ex his omnibus, nec ullius externae tempestatis aut procellae tanta vis fuit, ut commoveri ab ea, multo minus convelli, aut everti potuerit. Ex hoc concordia docentium effecto stabilitoq. statu a morte Melanthonis, in quo omnes sincera fide & benevolentia velut in unum coagmentati corpus, unius Melanthonis personam gerebamus, ac sustinebamus onus & operas, Academia adeo nihil detrimenti passa est, ut creverit indies, & magis magisq. enituerit: Cumq. ijs qui decederent sufficerentur alij non minus idonei, vel apud Melanthonem a pueris educati, vel in doctrina eius a teneris instituti atq. exercitati: fiebat ut refectis expletisq. rimis aut ruinis accomodata & congruente coagmentatione nusquam corpus Academiae hiaret aut fatisceret, nusquam deformitatem aliquam prae se ferret aut labem. In hac ergo Academiae celebritate

Cum & mei

cum & mei nominis fama versaretur in ore hominum: familiarius quam antea aulae
innotui, & veni in notitiam Illustrissimi principis Ducis Saxoniae Electoris
Augusti, conciliantibus illius mihi clementiam Doctore Ulrico Mordisio & Silen-
tiario Joanne Jenitio. Non volo enim nec debeo sua quemque gratia & lau-
de defraudare. Credo & horum suasu factum esse ut demandata mihi ab
Academia studiorum inspectio autoritate illustrissima confirmaretur. His
igitur primis intercessoribus Elector Saxoniae mihi conciliatus cum pastore
Ecclesiae nostrae Viro reverendo D. Paulo Ebero me accersivit Dresdam, de
consilio nostro certos annuos reditus destinaturus Scholasticis alendis in Aca-
demia, quorum alii in alio studiorum genere exercerentur, & ubi aetate, ju-
dicio, doctrina maturuissent, usurparentur in Ecclesia, scholis aut guberna-
tione politica. In hoc me congressu Elector Saxoniae primum compellavit:
Postea cum remoto Doctore Mordisio, in eius locum ac munus successisset
Doctor Georgius Cracovius, quo cum mihi inter communia studia contracta à
multis annis amicitia arctior intercedebat: de huius accuratiore commenda-
tione Elector me complecti clementius, vocare in aulam crebrius, saepe adhibe-
re mensae suae, interrogare & audire benigne ac facile coepit, donec ubi fidem
meam perspexisset, locum etiam inter Medicos mihi tribueret, designato an-
nuo stipendio. Etsi autem amici optime consultum esse rebus meis existi-
mantes gratulabantur hanc mihi felicitatem, & qui aliquem fructum ad
se etiam rediturum esse non falso conjiciebant, meque beatum ab hac
parte praedicabant: tamen sive quod natura refugeret aulas mea, a-

mans

mans libertatis ἢ παῤῥησίας, inimica hypocrisj & adulationibus: sive quod praesagierit tunc animus occulta praesensione calamitatem inde euen turam: Vere sancteq. affirmo, Deo in testem vocato, nec ad aulam me unquam cum hilaritate aliqua accessisse, nec sine animi perturbatione manifesta condi tionem Medicam accepisse. Plurimum natura libris quae me providentia di uinae impulsum & ductum Scholasticum finxit & fecit. Naturam adiuuerunt edu catio, studia, usus rerum. In pulueribus enim scholasticis educatus a teneris inter operas scholasticas adoleuj, procul ab aularum strepitu & splendore. Studia etsi tractauj & exercui diuersa: de moribus aularum tamen lectio considera tioq. historiarum innumera exemplorum & casuum varietate ita me erudiuit & instruxit, ut illas non potuerim non suspectas habere & reformidarj atq auersarj magnopere. Saepe occurrebant oculis, & feriebant ac percelle bant animum cum sapientum praecepta & monita de consuetudine cum potentioribus aut moderanda aut prudenter instituenda, aut prorsus ca uenda, tum spectacula tristia multorum praestantium virorum, qui odijs & calumnijs oppressi crudeliter ac nefarie, etiam in optimis ciuibus succubu erunt. Ad Solonem Graecorum sapientissimum Aesopus ait: Τοῖς βασιλεῦσι δεῖ ὡς ἥκιστα, ἢ ὡς ἥδιστα ὁμιλεῖν, Quod reprehendens Solon subiecit, μὴ δὴ οὖν, ἀλλ' ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἄριστα. Quod fieri Reges velint, & quid fiat usitate Aesopus: Quid fieri debeat, & recte fiat Solon monet. Et in fabulis Aesopicis olla fictea aheni per fluctuantis

Congressum

congressum declinat, ne allisa illa confringatur. Alexandrum Magnum interrogatum πῶς ἄν τις πολιτεύηται ἐπ' ἐξουσίας; respondisse accepimus οὕτω προσιόντα τοῖς δυνάσταις ὥσπερ πυρὶ, ὥστε μήτε λίαν ἐγγὺς εἶναι μὴ κατακαῇ, μήτε πόρρω, ἵνα μὴ ῥιγῷ: Quod versibus aliquando sic reddidimus. Aula suis rapidos imitatur moribus ignes; Errat, ad hanc facilem qui putat esse viam. Vreris propius si paulo accesseris, At mox Horridus algebis si procul abfueris. Si medium teneas, calidi splendoris ab aula, Quae satis est nunquam copia deficiet. Ergo frigentis aulae caue ne sis hospes, eandem Nec fugias felix si cupis esse diu. Extant & apud Syracidem praecepta in hanc sententiam illustria. Potentiori te & opulentiori ne consocieris. Quae erit enim societas ollae cum aheno? allidetur haec nimirum & conteretur. Cum potens inuitat te, fac tergiuerseris & eo magis vrgebit te. Ne irruas, ne te inexplorata repellaris. Et ne longe abscedas ne in obliuione negligaris. Ne expetas familiaria cum eo colloquia, & ne credas pluribus eius verbis. Nam copiosa interlocutione tentabit te & quasi arridens eliciet secreta tua. Immisericors est qui non custodit sermones. Haec non parcet tibi quin te affligat & vinciat. Custodi & attende valde auscultationem: obambulas enim cum casu tuo &c. Poetarum vero triti sunt versus & prioris noti Dulcis inexpertis cultura potentis amici, Expertus metuit. & Ouidiani. Vsibus edocto si quicquam credis amico, Viue tibi & longe nomina magna fuge. Viue tibi quantumque potes praelustria vita. Saeuum praelustri fulmen ab arce venit. Hanc ex doctrina haustam cogitationem, sollicitudinem ac circumspectionem confirmauerant iam dudum usu comperta exempla casib. virorum grauibus fortasse & periculosis in aulis minoribus, talibus tamen quae similia ostendebant oportere expectari in

maioribus

maioribus. Cogitabam interdum & de philosophorum fortuna in aulis. & Platonis apud Dionysium exempli recordabar. Haec & infinita alia quae assidue obversaban-tur animo meo, tam alte radicibus actis inserderant, ut et in aula degenti & semel inde discedenti, recursu tamen perpetuo obstrepentes occinerentque Lotichianum illud. Felix si celsa potentum Atria vitaris: Et quoties ex mandato in aulam mihi veniendum esset, me vehementer conterrerent angerentque, formidine incussa, quam excutere non poteram, quaecunque mihi hilaritatis species, causa, vel occasio objiceretur. Praeter haec non leviter exercebar cogitatione genij mei calumnijs obnoxij crudelibus & iniurijs atrocibus expositi fato quodam meo ex astrorum significatis: quibus etsi quantum tribuendum sit non ignoro, ne in providentiam divinam liberrima vo-luntate cuncta gubernantem incurram, neque peccem in Dei misericordiam credenti-bus omnia vertentem in bonum: non prorsus tamen contemnenda esse meo & aliorum exemplo didici. Exagitarunt me toto vitae meae tempore, odio mei fraude conficta mendacia, & ex recte a me dictorum & factorum virulenta depravatione & suspicionibus conflata calumniae, pro aetate tamen & negociorum in quae incidi varietate dissimiles; puerum ludicrae & leviores, adultum graviores & acerbiores. Quod ego fatum meum & fortunam cum optime nossem: non potui non tan-to atrociores calumnias ex aula metuere, quanto sciram has iniurijs & delatio-nibus magis opportunas esse, ubi regnantibus tribus generibus hominum secundum Menandrum ϖράττει τὰ πρώτιστα ὁ κόλαξ: τὰ δεύτερα ὁ συκοφάντης, τὰ τρίτα ὁ κακοήθης. Alexandrum Magnum altera aure accomodata delatori alteram manu admota obstruere solitum ferunt, ut conservaret

cam

eam καθαρὸν καὶ ἀδιάβλητον ἔχω: Apud hunc tamen Sycophanta Midias jactare
fuit ausus, Calumniandum esse audacter: semper enim aliquid adhaerescere. Quanto
id magis metuj necesse est, si fores aures, animiq; calumniatoribus pateant. Me-
tu itaq; calumniarum valde cruciabar; de quibus & Davidicum illud: Imprope-
rium confringit cor meum; & Salomonicum: Calumnia conturbat sapientem &
frangit robur cordis eius: saepe multumq; versabam animo. Sed cum non reperi-
rem quibus me artibus & rationibus ex aulicis retibus penitus explicarem, in-
deq. avellerem, nisi gratiam principis cum aliquo discrimine vellem penitus ef-
fundere universam, & tandem communi aularum fortunae oporteret me velut
naufragio committere meam, quam per se odiorum, insidiarum & multiplici-
um periculorum sciebam non fore expertem: quomodo utraq. fortuna placatiore
& constantiore uterer, cogitare caepi. Id me consecuturum sperauj, si divinae
opis ac protectionis praesidium ardentibus assiduisq. implorarem atq. efflagita-
rem precibus, et has quas mihi ipsi imponebam leges religiosa cura, contentio-
neq; omnium virium observarem. Leges senis his continebantur praeceptis,
quorum PRIMUM erat, ne ad aulam, ne ad principem ipsum, ne ad men-
sam aut conclave principis accederem, nisi vocatus: neve fierem principi
nimis familiaris. Id praestiti tanto studio, ut etiam iussus venire ad men-
sam principis quamdiu in aula degerem, nunquam accesserim tamen nisi expres-
so novoq; mandato per internuncium iterum accersitus. Cumq; obiurgarer
propterea, & arrogantiae quadam id facere iudicarer; consilij mei causis ex-
positis ab omni me suspitione liberauj. Dixi versantem in aula ita se

voluntatj

voluntati principum attemperare oportere, ut aduentum tamen non aspernetur aut negligat iudicia. Non me ignorare quid me deceat, et faciendum esse quod semel iusserit princeps, sed in rebus ad decus nostrum pertinentibus ea lege, ne quid indecore fiat aut ne quid contra ipsius principis dignitatem committatur. Quod nostro in praesentia mandatum sit eius generis esse, de quo quidem id norint secus sint iudicaturi. Futuros enim qui si sponte accurram et me quasi obtrudam et ingeram suspicaturi sint me sine mandato, inverecunde et audacter hoc facere et arrogantia quadam occupare locum quo sederent digniores alii me longe praestantiores. Si videant autem voluntate principis me accersi facilius me ferent, idque quod praestatur obsequii causa, candidius interpretabuntur. Accessuram vero ad hanc et aliam suspicionem graviorem, quasi occasione consuetudinis quotidianae id captem ut me insinuem in principis penitiorem familiaritatem, et illo velut in meam potestatem redacto hoc modo dominatum in aula affectem et obtineam: quia suspicio facillime adhaerescat in illis qui frequenter et multum cum principibus versantur, et soli ac separatis adsunt. Praeterea non omni tempore aut gratum aut commodam fore principi praesentiam meam: nec decere me ut protinus irruam in conclave, non impetrata adeundi facultate. Fore autem hoc ridiculum et mihi ignominiosum, si praemisso internuncio explorem, ad mensam an mihi sit veniendum? denique alios maximi nominis et autoritatis viros exteros et domesticos interdum adesse, quibus me aut locum praeripere, aut assidere una accumbentibus, neutiquam deceat. His rebus meis cum acquiescerent,

nunquam nisi vocatus mensam adij. Existimaui enim semper nimiae familiaritatis cum principibus non usum tantum vitandum, sed & suspitionem alijs eximendam esse, quod nulla alia re magis offenduntur ministrorum animi quam si videant princi-pem conuersa tota beneuolentia in unum, illi se totum dedere & quasi mancipare: caeteros autem negligere aut contemnere. Hinc odia nascuntur quae ubi se aliquandiu continuerunt defectu occasionum, & compressa acrius incitarunt: tandem in insidias, obtrectationes, calumnias erumpunt, quibus occulte tentatur & quasi suffoditur, mox violenter cum machinis quibusdam qualitur, conuelliturque beneuolentia principis, donec oppugnationum assiduitate & acerbitate subruta & labefactata penitus concidat, & in ruinas atrox & horribile odium congeratur. Haec quod intelligerem ac metue-rem, fugi aulam quantum potui, ac me inter Medicos quidem ascitus prius ac-cum quam mandata acciperem. Ad visendum principem tamen consueto more, quando patens erat, caeteros Medicos duces hospes ego sequi sum solitus sponte. Meminie-runt amici, me, quoties literae ex aula afferrentur, velut subita consternatione per-culsum expauisse, commouente sese illo futuri mali praesagio. Porro ut nunquam ad aulam veni nisi accitus aut missus: sic omni conatu cum essem in aula id egi ne diu ibi haererem, aut commorarer: sed rebus negocijsue confectis, quorum causa aderam, protinus me proriperem foras. Est familiare principibus eos quos arctius complexos ad consuetudinem interiorem admiserint non facile a sese dimittere, perpetuum dum noua fiunt beneuolentia in animis. Id cum non possit non esse suspectum alijs, & conuersatio quotidiana adferat fastidium ut nimia

familiaritas

familiaritas, secundum proverbium, contemptum parit: tutissimum est praetextu aliquo honesto polita missione conversationem abrumpere. Ex mora longiore obrepit taedium principibus; concipiunt suspiciones sinistras aulici; quas omni solertia & industria vitare eum oportet qui consistere diu cupit. Non iidem semper & principibus grati sunt & ministris. Etsi enim quem principes diligunt, eundem simulato studio in gratiam principum colunt ministri aliquandiu: tamen abesse eum mallent, & erga talem non aliter benevolentia principum subiectionibus aut commendationibus quotidianis cito refrigescit: Languescente favore, mox quem occulte oderant, conversim manifeste oppugnant; Ideo benevolentia in odium convertitur. Contra, quem ministri diligunt, erga eum si sit in gratia, quavis occasione confirmant benevolentiam principum, & si sit in odio, progressu temporis principes, ira quantacunque illa sit, mitigata, ei reconciliant. Eum oderunt illi, nocere serioque placere principes nunquam patiuntur. Quoquo modo autem se res habeat, qui in magna gratia est caveat ne diu in aula subsistat, se ut quamprimum sese inde auferat. Non fieri enim aliter potest, quam ut mora ministros offendat, quantumvis principi sit grata. Hoc primum est eorum quae ipsemet mihi imperavi: cumque imperata fecerim sedulo: effugere tamen offensiones & odia non potui. ALTERUM est, ut dum in aula versarer, [illegible] in ea quae sunt vocationis meae; solertiam, industriam, fidem, taciturnitatem, studium veritatis, candorem, alienum ab assentationibus animum probarem principibus: quae & sunt & esse debent virtutes in ministro praecipuae.

Hoc

Hoc praestare ut prae cunctis alijs mihi magnopere curae fuit: sic consequutum me in eo genere vere, conscientia mea teste, gloriari possum quod cum fidissimo quouis certem, idque si cognitio institueretur exquisita, collatioque arte παραλληλων, ab aequis iudicibus: demonstrari non foret difficile. Nec hac in parte quicquam in me culpari posse aut desiderari: certo scio lapidi credita mihi quae commissa sunt. Nec moueor obiectione vnius epistolae Portensis, de qua Illustrissimus princeps abunde sibi satisfactum esse excusatione mea testatus est, ut postea prolixe referam. Nec praeter hanc aliud quicquam obiectum mihi memini. Summa a me fide, et sub iectissima obseruantia religiosissime cultos esse principes: Et taciturnum ac veracem me esse et fidum erga principes, Deus mihi testis erit. Docebunt et scripta mea et aliorum nomine edita sed a me concepta non esse a quoque illustrioribus elogijs ornatos, et maioribus auctos ac celebratos laudibus principes quam a me.

TERTIUM est, me agerem τὰ ὀλιγοῦ ἄξια sponte, neue me ingererem aut admiscerem illis vel deliberationibus vel negocijs alienis a mea vocatione: Nec inquirerem curiose in domestica vel externa: quid aut fieret in hac illaue aula vel gubernationis parte: aut a Regum et principum legatis quid ageretur, aut quaereretur? ne usurparem aliena quae sunt muneris, officij, procurationis: ne explorarem scire quae me ignorare principes uellent, aut mea scire non interesset, Ne dicerer alterum pedem in Schola, alterum habere in aula. Huic etiam me legi praeclare satisfecisse, testari oportet eos recte iudicantes. Atque ut a sacris ordiar, non de quaestionibus aut controuersijs theologicis monui, dixi, rogi pronunciaui quicquam nisi consultus, interrogatus, iussus adhibitus. Nec cum

hac

bare praecessissent, aliter quam me decuit, ita ut egrederer metas vocationis meae, & ut rejicerem omnia ad judicia, censuras, scripta Theologorum quae extant. Non enim quid in quavis controversia amplectendum sit, constituere volui unquam. Id enim ex theologis quaerendum & ab his definiendum & statuendum esse censui. Sed cum etiam confessionem meam, quod unumquemque si interrogetur jubet facere mandatum filii Dei, ostendere volui mihi verum quid videatur, et hoc ipsum tamen raro ac parce feci. Neque ad ullos Theologorum congressus, aut consultationes ullas, conflictusque disputationum pertrahi me passus sum. Fateor persuasisse me Illustrissimo principi Electori ut librum Theologorum Witebergensium, cuius titulus est Grundtfest totum perlegeret: nam in eo expositam immotam & irrefragabilem veritatem de maximis rebus certo firmiterque credo, Idque non semel principibus expresse ac διαῤῥήδην ostendi, cum hac testificatione seria, me non velle illam (eius) esse Ecclesiam eius in qua secus doceatur, nec posse illum esse coetum qui de filio Dei aliter sentiat, qui sit caput & fundamentum Ecclesiae. Huius me facti poenituit nunquam. Nec fuissem dissimulaturus aut occultaturus confessionem meam de controverso articulo Coenae Dominicae, si postulata fuisset. Nam in qua etiam & fuissem sententia semper sciebam Illustrissimum principem Electorem non ignorare. Denique de quibus in hoc genere positum est explorationique judicium meum, de his tantum respondi, quantum mihi communicabat, relicta accuratiore & copiosiore declaratione Theologis. De politicis causis etiam, ut de praesentibus bellorum motibus & similibus aliis cum incideret mentio & exigeretur judicium meum, quid mihi videretur protuli, non ut in consilio &

deli-

deliberatione, sed ut in fortuitis inter aulicos colloquijs, liberius fortassis quippiam commi-
ttebat, ultra iniuriam tamen et contumeliam cuiusquam. Sed ab alijs aulae nego-
cijs, quae ad quasuis partes amplissimae gubernationis, vel ad arcana principis
Electoris consilia pertinent, seu publica erant & spectarent res imperij seu pri-
vata adeo abstinui, ut ne quidem cogitationem de his ullam in animum
admiserim unquam: nec voluerim cognoscere de ijs quicquam, nec didicerim, ni-
si quantum ex occasionibus interdum Princeps Elector ipse sponte mihi cre-
didit, quae tamen ea religione ac praestiti fide, ut ne illis quidem per quos
gerebantur & administrabantur aperuerim. Caetera quae publica erant & vaga-
bantur per ora hominum, quae historiae serviebant quam pertexere mei in-
stituti erat, ea me curiose interdum investigasse libenter fateor, quod cum
historiae lumen sit veritas, vera exploratаque ac certa me scribere referret
plurimum. Adeo me autem mei muneris recte gerendi, aliorum non attin-
gendi cura exercuit, ut ne quidem de valetudine principum ex ullo a-
lio percontari quam ex ipsis voluerim, & ea quae didiceram si tacenda essent
continuerim apud me silentio sopita perpetuo in corde meo. Horum omni-
um & mea mihi conscientia & Deus [illegible] ac Iudex testes
sunt. QUARTUM est: ne abuterer clementia principum, aut
blande arridentis fortunae obsequijs, nec eius temere fiderem. Ut vo-
luntates sic amicitiae aulicae sunt instabiles, et cum fortunae statu qui
incertissimus est commutantur omnia. Decantata haec leguntur om-
nium gentium linguis & historijs. Nolite confidere in principibus,

nec

nec in filiis hominum in quibus non est salus, inquit David. Fortuna vitrea est, cum splendet frangitur. Et celebratissimum est illud Epicharmi: Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα φρενῶν. Dedi igitur hac in parte operam, quantum fieri potuit, ne quid contra facerem. Profui quibus potui, nocui nemini: Non detuli quenquam: Affectus iniuria nunquam ultus sum autorem: nec odio cuiusquam principes inflammavi: nec commotos & iratos exacerbavi: sed studui placare etiam inimicis. Non obtrectavi dignitati cuiusquam: fortunae prosperitatem invidi nemini: Nec calamitatibus cuiusquam sum laetatus: Ac saepe in ore habui; alienae felicitati invidere miserum esse, quod frustra id fiat: alienis vero gaudere malis crudele esse ac stolidum, hominis non cogitantis quae sit conditio fragilitatis humanae & quibus ipse & propinquo pelagi urgeatur periculis. Afflicto aut iacenti non insultavi: multo minus difficultates auxi: Nec ruentem aut ad ruinam inclinatum subiectionibus acerbis aut maledictis impuli: Nullius errata aut lapsus exaggeravi: sed excusare si non potui, lenire studui. Gratiam principum & fallaces vultus fortunae eo semper excepi animo, ut quo haec me arrideret ac foveret blandius, illos experirer & haberem addictiores: eo se magis dimitteret animus meus & quasi contraheret, & angeretur etiam ac trepidaret, aliis in secunda fortuna gestientibus & exultantibus. Neque existimo quenquam vidisse me in aula suo hilarem, sed cum laetitia & hilaritate abeuntem me viderunt multi. Non admittebat enim

sensum

sensum ullam latitice haec altissime infixa animo meo cogitatio, Nihil esse in om-
nibus rebus humanis diuturnum aut stabile, ac minus in aula. Et summam feli-
citatem praecipiti ruinae proximam esse, ad quam quanto me celerius afflatus
fortunae prosperi provexerint, tanto me citius casurum esse. Idcirco hoc praesens
bonum praesagio futuri mali maioris animus refugiebat. Nihil me fingere Deus
καρδιογνώστης novit, & meminerunt idem amici, quibus hos occultos sensus
meos aperui. De amicitiis aulicis quae sit opinio sapientum, encomia osten-
dunt quibus ornantur. λυκοφιλίαι enim & ἀκροφιλίαι vocantur. Ἐχθρο-
φιλίας si quis nominavit, utrumque expressit quod habent. Externo gestu
enim ad speciem amicitiae blandissime composito flagrant odiis corda. Nihil
dextris promptius: arrisu & compellatione blanda frequentius: amplis promissis
liberalius: sed candore & sinceritate nihil rarius. Os butyro mollius, sed cor praelium.
Sermones oleo teneriores, sed tamen gladii, secundum Davidem. Obversa facies benevo-
lentiam prae se fert: aversa mox odium spirat, & evomit repressum in corde virus,
in eodem quasi vestigio, facta corporis conversione. Non sunt tamen amici-
tiae aulicae tales omnes: Non consistit enim aut retineri in perpetua perfi-
dia & simulatione, ulla societatis gubernatio potest: Sed frequentes sunt, &
quo frequentiores tanto perniciosiores, secundum epigramma: Non aliud
genus est hominum tam vulnere dirum, Non telis Scythicum lethiferis ce-
lebre: Os pingue quod butyro mollius effert, Verba ut fusa fluant ipsa
lenius ipso oleo. Intus sed toto meditantur vulnera corde, Quae jaculis
Scythicis asperiora forent. Quod ergo dominentur haec in aulis: nusquam

alibi

alibi magis locum habet τὸ μέμνησο ἀπιστεῖν. Sed quibus sit fidendum
& quatenus constituere difficile: estque ad hanc rem opus multa circumspe-
ctione, longo usu exercitijs varijs. Multa discuntur exemplis proprijs & alie-
nis. Ac valet hic quoque vexatio dat intellectum. Sed tutius est ex alijs
capere, nobis quod sit ex usu. felix quem faciunt aliena pericula cautum. Ac
ne inter ipsos quidem aulicorum ministros, quos religio iurisiurandi & Domino
obligata fides devincire inter se arctissime debebat, sinit amicitias coalescere vesana
ac furiosa ambitio: prius ante dirimit. Mihi aemulari quenquam, aut cum quo-
quam ambitiose certare de principum gratia, vel de autoritate & dignitate in aula non
fuit opus. Nam meo loco & sorte mea contentus ad altiora non aspiravi, & ex in-
tervallis tantum aulae hospes fui, nec cuiusque sortem aut fortunam invidi suam. Sed
delectus amicorum, quibus me adiungerem, & quorum patrocinio me committerem,
ambitione, aemulatione, invidia plurisque dissidijs ac distractis fuit difficilimus.
Conspiraverant enim in unius caput omnes. Ideo videbatur pulcher contentus
esse qui uno illo oppresso ac sublato mox dehiscebat, discedentibus cunctis in
partes. Eo tempore prudentia usui ac circumspectione debuissem: prudentia
non illa quae est bonorum virorum, sed astutorum ac versipellium, qui ad
omnium amicitias alludere & insinuare se norunt. Sed ego meae simpli-
citati & rectitudini innitens sequebar amicos veteres, quibus cum perseve-
ravi constanter usque ad mutationem ultimam. Nec reperiebam causas, cur
eos abijcerem aut desererem, etsi in quo odio essent, & quam longe premeren-
tur non ignorabam. Nam desertione prodere & fallere fidem amico, for-

tuna se mutante, fuisset sceleratum. Ita secutus fidem veteris amici, etiam in fortunam eius incidi. Si, quod ab initio faciebam, coluissem pari studio & observantia, universos: fortasse consistere potuissem: Sed fuisset hoc factu impossibile, postquam non distractis tantum collegis in factiones, sed & odio mutuo exulceratis, uteri alterutros opprimerent agebatur, & quaerebantur ab utraque parte praetextus ex religione sumpti: qui & in me cudebantur, quem implicatum alteri factioni volebant, ut simul opprimerent: vel quia misera illa mea & quae mihi longe plus obfuit quam profuit fortuna, urgerentur: vel quia illo sublato cuius amicus ego fueram, me salvum non esse oportere putarent. De his vero quae evenerunt deinceps, narratio docebit.

Amicitias tamen ego in aula cum singulis suo loco & ordine ita colui, ut ipso à vetere amico non discesserim: cum reliquis tamen amicitias eximias ac singulares, multorum annorum usu contractas, ac religiose conservatas nequaquam disruerim. Cumque offensiones intercessisse, ac simultates nonnullis animadvertissem: nequaquam aut odia exasperarim, aut novarum dissensionum severim semina, aut postilarum fabellas, aut commiserim inter se viros bonos, sed sanarim vulnera animorum quantum in me erat omni fide & studio, & dederim operam mutuae reconciliationi. Sed neque haec mea fides, neque amicitiae reliquae mihi profuerunt in calamitates coniecto: Et magno meo malo expertus sum quam verum sit, Non esse confidendum in filiis hominum in quibus non est salus. Stolidus qui collocet spem in amicitia cuiusquam, aut credit in calamitate fidum fore quemquam, si de gratia principum sit periclitandum. QUINTUM est, ne quem offenderem in aula, ubi secundum Senecam levia sunt beneficia, &

iniuriae

iniuriae praecipites. Est uero & hoc factu difficile, cum qui in principum gratia est principum eo ipso quod ualet gratia, multos ut offendat necesse est, etiamsi moderatissime ea utatur: & qui se ad eius confert uel adiungat amicitiam, qui antecellit autoritate mox alienat a se illius nomini infestos, & qui ex reliquo numero patronum quaerit, proximus in se concitat huiusque aemulum, & uitare omnes occasiones suspicionum in magna gratia principum ac florente fortuna per se est impossibile. At suspiciones abeunt in offensas. de quo sinistri quid suspicatur animus ei mox fit inimicus. Etsi igitur uel offensas uel suspiciones uidendas fortunae non effugi, quas deus auertere aut amoliri nulla circumspectio nulla prouidentia humana potest: id tamen dedi operam ne sciens uolensque impingerem suspicionem, aut incurrerem in quemquam. multo magis caui ne temere irritarem aut lacesserem quemquam quoquo modo. Errore, insidia, iniuria, negligentia si cui aegre a me factum est id ueniam consecuturum spero. Non extuli me fiducia illustrissimae clementiae, non affectaui insolentiam ulla in re, non contempsi aut despexi prae me quemquam: multo minus me cuique anteposui aut comparaui: Non detraxi cuiusque existimationi. Nec si grauibus & multiplicibus iniuriis lacessitus priuatis literis apud amicos expresso dolore meo interdum duriore morsu inimicos perstrinxi, propterea obtrectasse famae illorum iudicari debeo. Sceleratus essem, aut ignauus potius & hebes si non afficerer cura existimationis meae, nec commotus iniuriis & contumeliis commouerer. Talis si mihi dolor expressit uerborum acerbitas in auctores, culpari non possum nec debeo.

Praeterea

Praeterea non abieci aut extranei operas cuiusquam aut labores: suum cuique locum tribui & honorem. Id cum fecerim studiosissime: effugere tamen odia, obtrectationes, adversationes, insidiosas molitiones non potui. SEXTUM est ne quaererem mea commoda; neve meis rebus privatis consulerem, posthabitis publicis: & ne petax essem. Etsi n. praemia laborum iuste exiguntur, & si non sint principes sua sponte considerare aut intelligere merita suorum, aut si in compensando remunerandoque sint vel cunctantiores vel restrictiores, recte admonentur: tamen flagitationum talium modum esse oportet: & aestimationem meritorum pruden-tiae principum permittere liberalius est quam avare precium suis statuere laboribus, praesertim si sint principes egregii & ministrorum suorum & meritorum veri cuiusque aestimatores, nec impediantur obtrectationibus adulatorum. Petacitas quae mendicitatis speciem habet, τῆς πλεονεξίας argumentum est, quae cum per se turpis est & indecora generosis aut honestis animis, tum necessario fidem mi-nistri suspectam, operam contemptam, praesentiam principi intelligenti facit invisam. Nam precio parata solvitur precio fides. Quando princeps animadverterit se coli a ministro, tantum ut ab eo expilatur, in hunc sua privata tantum spectantem lucra, propensa et constans voluntas eius esse non potest: quod eadem fide sit quem-vis alium dominum proposita spe lucri culturus. Has ob causas cavi sedulo, ne mihi meisve quid peterem aut quaererem, sed illustrissimae munificentiae permisi omnia. Ne vero haec tanta opportunitas quae a clementia prin-cipum offerebatur elaberetur ac periret sine fructu, nec prodesset cuiquam: neque ego in tanta opportunitate non meipsum tantum neglexisse, sed Rempubl.

etiam

etiam destituisse dicerer, instinctu & ductu plane divino eas inibam rationes,
vt Academiae, cuius multis rebus & in praesentia & ad stabilitatem ac diutur-
nitatem opus erat, ex munificentia illustrissima benefieret & consuleretur.
Desiderabantur inter Docentes aliqui: quo fiebat vt nonnulla opera publica neces-
saria intermitterentur penuria redituum. Ex his qui aderant plerique digna
mercede docebant, quae in tanta temporum difficultate & rerum omnium cari-
tate alendis familijs nequaquam sufficeret. Aliique de migratione cogitabant, Ali-
qui cum pellendae famis & egestatis sublevandae causa operis extraordinarijs
onerare se cogerentur, suis & constitutis muneris intente vacabant: Graue
laborare tandem & periclitari studia publica fuisset necesse. Praeterea re-
fectionem sui exigebant aedificia publica, vetustate ruinosa & lacera, instaura-
tionem: συσσίτιον commune cum loco contuberniique idoneo & certis annuis
proventibus. Dissipatum id enim & ad paucissimos redactum erat quod Oe-
conomi sustinere sumptuum magnitudinem tali precio amplius non possent, nisi
Vberioribus instruerentur reditibus: Nobis vero adaucto precio videretur συσσί-
τιον restitui non posse, sed quo iuvaretur Oeconomus, id non suppetebat. Ex-
hauriebatur enim aerarium Academiae eleemosynis quae erogabantur in exter-
nos & domesticos, crescente vtrobiq. pauperum numero; domi ex defectu
communis mensae, foris ex rerum omnium penuria. Nec parum absume-
bat Nosocomion in vsum & sustentationem aegrotorum, quos aerarium ale-
bat, cum nosocomion esset sine reditibus. Pauperum vero nisi ratio ha-
beatur

beatur praecipua: beatae & florentes Academiae esse nequeunt. Nam & numerus hominum quam opulentorum semper maior est, & sunt ex eo genere plerique qui Eccle-siae clericis & scholis serviunt: et nisi aliunde succurratur inopiae ipsorum, co-guntur abruptis & proiectis in medio cursu studiis relinquere Academias priusquam solidi quid didicerint: quod perniciosum est Ecclesiis. Denique frequentia pauperum & celebratur in beneficentia summi magistratus ac praeceptorum, attrahit maiorem numerum locupletiorum. Ideo & instauratione collapsae oe-conomiae opus esse videbatur, Et cogitandum esse existimabam ut ex alio gene-re Eleemosynarum ii etiam iuvarentur, quibus extrema paupertas commu-nis mensae usum negaret, quod hebdomadalim panum distributione inter cir-citer sexaginta pauperes praestitum est. Erant vero & rationes Aca-demiae satis impeditae, nec uno in loco haerebant: quae nisi explicarentur in detrimenta manifesta tandem erant desiturae. Quod ergo & studia publi-ca & disciplina scholastica communibus consiliis & operis iam ante exitium es-sent constituta, quibus tum fundamentis salus, dignitas, stabilitas Acade-miarum praecipue innititur: existimabam me nihil praeclarius in hac tan-ta occasione bene merendi de posteritate facere posse quam si clementiam & munificentiam principum conciliarem ad Academiam exornandam & am-plificandam. Minus id invidiosum mihi, quam si res privatas auxissem: at principibus gloriosum, indigenis & exteris qui Academiam frequen-tes adibant tanquam metropolin (ut solita est eam nominare gens Panno-nica, ob deductas inde suarum Ecclesiarum colonias) fructuosum,

Ecclesiis

Ecclesiae filij Dei salutare, Deo gratum acceptumq. fore certo sciebam. Nec quae-
ri a quoq. posse sciebam his quae impenderentur in Academiam compilarj
aut expoliari principes, quod in sua manu & potestate retinerent universa
ac repetere quando vellent possent, Et quod ex Academiae frequentia locu-
pletari non oppidum tantum, sed totam circa oppidum longo spacio viciniam con-
staret, quae diminuto scholasticorum numero ad inopiam et egestatem pristinam
esset reditura. Fateri enim coguntur iam omnes fructum praecipuum redi-
re ad Deum ipsum, Ecclesiam, Rempublicam, ad principes & subditos ex bene con-
stitutis & florentibus scholis: & convincit hoc experientia. Academiam igitur
quam maximum ditare, & amicis tam facere quam meis domesticis mallem: nec in
beato statu publico mihi tam fore dubitarj. Haec sunt quibus cum a-
vertere omnino consuetudinem cum potentioribus non possem, tamen pericula
τῶν βασιλικῶν φιλιῶν avertj posse sperabam. Cum his legibus, praevia ar-
dente ac seria precatione ad Deum tamque itineris duce, quam totus repleui
quotidie tecta illustris aulae subij: Cum his ergo aulam ingressus id adipisce-
bar, ut benigne acciperer admonitus, & coram haberer clementer, & ut saepe
requireretur mea praesentia, expeteretur opera ad nonnullas scriptiones ex
nostra doctrina qua delectatur princeps, non contemneretur consilium, nec im-
probaretur studium meum in medicationibus, ut honorarer in aula, ornarer
accessu ad illustrem mensam, admitterer ad colloquia interiora. Quod autem
mihi propositum esset extollere & instruere Academiam: in hunc scopum inten-

te

tus ad omnes occasiones quae incidebant id agebam ut intelligerent, qualem acce-
pissemus! quae desiderarentur! quanta futura esset accessio illis adiectis & ex-
pletis! Non ita multo ante Princeps Elector postquam annuas aureos mille
quingentos alendis ad certum studiorum genus scholasticis quibusdam certo nume-
ro destinauit, adiecerat sumptus comparanda, reficienda & instruenda domui be-
atae memoriae Doctoris Lutheri ad usum publicum. In eam domum Senatus Aca-
demiae Oeconomiam & ouorilige transtulerat. Locus spatiosus erat & capax
multorum hominum: Sed deerat quo pascerentur non magno precio. Id cum
ex postremum principibus, obtinebam ut in alendos pauperes conferrent annua-
tim bis mille modios frumenti. Ad hoc cum Academia adiiceret tertiam partem
proponendum ex Cellae vinariae reditibus & nonnullis alijs, inita ratio est, ut in
hebdomadas singulas circiter CCCC scholastici quaternis nostralibus grossis seu
solidis pascerentur. Profuit hoc ad scholae incrementum plurimum. Frequentior
enim ex omni genere hominum fiebat concursus, praesertim fame multis in locis Ger-
maniae invalescente, quod cum occasione discendi optima, facilitas sumptuum con-
iuncta inveniretur. Nec ullum genus eleemosynarum melius collocari iudico quam
quod insumitur communi mensae in Academijs comparandae & instruendae, quod
opera & subsidio illarum educantur seminaria docentium, innumeris diversarum
gentium scholis & Ecclesijs. Ita cum incidisset mentio Nosocomij extruendi ad cu-
rationem pauperum aegrotantium & peregrinorum, cuius reditus certos attributum iri
cogitaremus, collectos ex donationibus, testamentis, contributionibus, eleemosynis
piorum

piorum hominum & multis pecuniariis quae urgebat magistratum & ministris
Academiae cessarant, Principes consilio cognito annuos reditus quinquagenorum
aureorum eidem attribuebant: Unde facto initio paucis annis, divina benedictione,
piorum hominum liberalitate, & magistratus ac curatorum vigilantia ita creverant
reditus, ut & aegrotis curandis et peregrinis alendis & eleemosynis distribuendis suf-
fecerint, quae largitiones antea aerarium Academiae graviter afflixerant. Ad
querelam de rerum omnium penuria et caritate, commotis animis principum, im-
petrata sunt accessiones plaeraeque ad stipendia annua & adiectiones aliae quibus
conducerentur, quorum opera desiderabat. Sed longum foret singula commemoran-
do persequi. Haec recitavi ut ostenderem clementiam principum ad conservan-
dum Academiam ubi voluisse: Et adiuverunt conatus hos meos pientissimos & ho-
nestissimos multi boni viri in aula fideliter, atque in his praecipue Doctor Georgius Cra-
covius, cui post Deum & principes Academia plurimum debet. Crescebat
autem gratia erga me principum tanto magis, quanto fides erga Academiam mea
fiebat conspectior et notior. Sed quanto illa magis augescebat ac confirmabatur,
tanto ego vicissim consternabar magis ac contristabar animo. Cumque eo usque inva-
luisset ut & in meis nollent cenare aedibus principes Witebergam ingressi, &
ad Baptismum me nollent adstare nuper nati filii principis Adolphi: plane
fractus animo de diuturnitate gratiae spem omnem abiiciebam. Nam neque
ad hunc summum gratiae gradum & quasi fastigium aliquid amplius adiici
posse

posse sciebam, ut abrumpi tandem illam necesse esset: neque aemulos, invidos & male volos defuturos certo cogitabam, qui gratiam hanc erga hominem philosophum, nulli quam autem honore aut favore tanto dignum expugnaturi essent omni machinationum ac molitionum genere, donec convulsam extinxissent, vel in odium etiam acerbissimum & inclementissimum commutassent. Id me ab eo tempore vehementer & anxie extimuisse: & ut non temere metui, sic non ita multo post, obscurioribus primum & levioribus indicijs: mox evidentioribus & certioribus argumentis cognovisse, tandem vero etiam re ipsa expertum esse, conscij harum rerum norunt. Quod metui ergo, hoc evenit. Gratia erga me principum tam diu ussit aemulos meos, donec ex ustulationis continuatione, immane in ipsis adversus me exarsit odium. Hoc odium ab aemulis initio pressum & occultatum, postea cum continere se amplius non posset, effusum, animis principum viritim fomite calumniarum accensis cito gratiam inclinavit, mox totam obruit, ac cum in gratiae locum successisset, adeo animos eorum inflammavit & exacerbavit, ut dubitem majorne gratia, an vero acerbius & immanius odium fuerit? Sed usitatum hoc est, ut, quemadmodum amicitiae quo sunt arctiores, eo si mutentur, in inimicitias desinant atrociores & magis capitales: sic gratia potentum quo maior est & ardentior, eo si impellatur & labefactetur speciosis calumnijs, quae vel ad opiniones & affectus principum alludunt, vel ad occasiones aliquas praesentes congruunt, in odium inclementius degenerat. Me quod post illustria illa duo argumenta summae clementiae plene animo convidissem, metu secuturae summae inclementiae, & occulta eius praetensione, donec sit toto biennio &

amplius

amplius agitare meum consilia de loco mutando, & relinquenda Academia. Sed omnibus in omnem partem pensitatis accuratè, vicit sententia, non deserendum esse stationem, nec discessu meo praebendam causam dissipationi Academiae. Ideo ad vtramq. me fortunam praeparatum & obfirmatum consolationibus diuinis, & spe auxilij ac protectionis caelestis commendaui Deo: fretus pijs honestisq. consilijs, simplicis conatibus, salutaribus successibus, tot millium auditorum & multorum aliorum prudentissimorum virorum rectis iudicijs, & propriae conscientiae testimonio, & confisus filio dei σωτῆρι ἐν φυλακῇ τῶν ἐκκλησιῶν: ita substiti meo loco, & expectaui euentum. Non me fugiebat autem, quos odijs suis essent obtenturi praetextus, neq. id occultè iactari inter aliquos compereram, etsi spes me fefellit. Nam illas nimis pueriles, ridiculas & ieiunas calumnias, quod arrogantius imperium mihi sumpserim in alios, quod in Academia & scholis illustribus ex meo arbitrio voluerim administrari & constitui omnia, quod principatum nescio quem affectarim; & hoc acerbum & crudele mendacium, quod me loco esse principis Electoris dixerim: quia & grauitate aulica sunt indigna, & sua sese leuitate & vanitate elidunt, & refutantur testimonijs eorum qui mihi adfuerunt, ac meis moribus, ingenio, consilijs, actionibus perpetuis, addo & miserijs, qui diuturnis confectus morbis ne ad operas scholasticas quidem, multo minus ad gubernationem longo tempore idoneus fui: Illa ergo ne quidem attingo. Norunt multi quod iamdudum & optarim abesse ab inspectione scholarum illustrium, & voluerim petere liberationem ab onere

isto

isto. Sed ne id facerem prohibuerunt amici. Nec caussas habui leves huius consilii, quas praetereo. Nihil ergo dicam de his quae sua sponte in fumum abeunt. De veris caussis dicam, quas et veras praetendi intellexi. Multos jam annos, inde usque ab obitu Soceri, accusor et vexator a nonnullis, quod non idem in articulo de Coena Domini sentiam, quod nunc sentire videri vult vulgus Theologicum, misile et a puritate veteris ac purioris Ecclesiae, quae regni Pontificii initia antecessit, Paulique Apostoli doctrina, et inter se discerpans implicatione contradictionum tam multiplici, ut non solum id penitus evertant, quod videri volunt mordicus retinere ac propagare, sed et articulum Symboli alterum de incarnatione filii Dei Domini nostri Iesu Christi penitus aboleant, Et sit impossibile ex tanta discrepantium opinionum varietate elicere certi aliquid, in quo conscientia non prophana, non secura, non otiosa, sed quaerens veram et vivificam consolationem resistat et acquiescat. Sed ut nunquam occultavi aut dissimulavi sententiam meam interrogatus, memor atrocissimae comminationis filii Dei: Qui me confessus fuerit coram hominibus, hunc confitebor coram patre meo coelesti: Qui me negaverint hunc negabo: Sic cogitans de vocatione et professione mea, nunquam hanc publice vel in lectionibus vel disputationibus attigi, nihil de ijs latum aut sermonibus intempestivis et alienis ad alios aut scriptis in vulgus sparsi. Ut constaret autem quae mea sit sententia, et ne judicarer fovere dogmata fanatica damnata iudicio orthodoxae Ecclesiae: ostendi me sequi vestigia et amplecti sententiam Soceri mei, quae in ipsius sit scriptis satis clare et distincte expressa,

et

et ab ipso in Academia saepe ac palam exposita & declarata, eodem modo sem-
per, sed maiore subinde perspicuitate inde usque à tempore factae à D. Lutero
Concordiae cum Helveticis Ecclesijs, & comprehensa atque explicata in ijs formulis,
in quas principes Augustanae Confessionis consenserunt, & perscripta paulo ante mor-
tem ad principem Electorem Palatinum. Nam aliorum de hoc argumento scripta
vel didactica vel ad certamen comparata atque conflictum, me non legisse fateor.
neque otij mihi tantum fuit à studijs & occupationibus meis. Nec iuravi in ul-
lius verba magistri, nisi in verbis filij Dei τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Iesu Christi,
qui per spiritum sanctum ex prophetis & Apostolis locutus est, & sonat atque auditur
adhuc quotidie in vero & legitimo ministerio verbi. Hunc doctorem & Pau-
lum Apostolum interpretem minime obscurum aut ambiguum, monitu Soceri
mei, secutus sum, Nec ab hoc me abducent ullae rationes contrariae, quibus-
cunque sane fucentur aut pingantur praestigijs. Non poterat autem Aula ig-
norare quae de me sermunculis & libris Theologorum pervulgata vaga-
bantur per ora hominum: Nec ignota fuisse principibus, cum ex ipsorum
suggillationibus tum ex aliorum indicationibus certo sciebam: de quibus quo-
tiescunque aliquid rogarer, istorum ad collationem de hac controversia cum ijs pro-
vocabam, qui me insectabantur ac traducebant, Sisti illos & audiri utrosque pe-
tebam. Nec destiti ostendi illustria, perspicua, certa testimonia sententiae
quam etiam proposuimus. Non enim me temere aut incogitanter arripuis-
se opinionem incertam velut ex aëre, ut nostro proverbio dicitur: Sed

Cum

cum fidem oporteat niti expressis certisq. et indubitatis testimonijs, dedisse me
operam, ut fundata verbo Dej crederem. Quod autem nihil a me requireretur
tacuj, nec afferre cuiquam molestiam meis audiendis nolui. Etsi igitur nemo unquam
ex malevolis meis & invidis interrogare me fuit ausus de confessione mea
nec cognoscere quomodo pronto quid sentirem: tamen ex communi fama hausstis
suspicionibus causam ab hac parte sumpserunt me oppugnandi, ac premendj.
Αφορμην praebuit editio Catecheseos in Academia Vuitebergensj, & eius
libri cuius titulus est Grundfest. Catechesi componendae causam dedit
querela gubernantium privatas scholas de editione postrema Catecheseos Chy-
traej, quam illi repudiabant, quod passim multa infarcta essent nova, aliena,
& dissentanea prioribus. Haec querela cum in schola Portensj renovata esset,
placuit inspectoribus talis aliquis libellus ut componeretur, qui adultioribus
postquam D. Lutheri catechismum perdidicissent proponeretur, priusquam ad examen
theologicum deducerentur. Petitum est a me, cum nostris Theologis, quorum
unus praeses erat, ea de re ut communicarem, quod me facturum recepi.
Catechesis aliquando post conscripta & excusa in quas incurrerit reprehensio-
nes propter unam phrasin: Caro capi: pervulgatum est. Alterum prolixius
scriptum de Unione hypostatica duarum naturarum in Filio Dej, quod com-
mentum Eutychianum de ubiquitate Theologis evertit cum in hoc calamum
pertraherentur invitj, & implicarentur mirificis artibus, credo notum esse
omnibus. Hoc scriptum cum prodiret, ego tum commodo eram apud

principem Electorem in arce Stolpena. Fuerant autem iussi Theologi editio-
nem supprimere ad tempus, quod ego prorsus ignorabam, sed exierat iam pri-
usquam mandatum aula allatum esset. Mittebant autem ad me exempla, q[ue]
principi Electori offerrem, et distribuerem consiliarijs. Principem cum librum of-
ferrem reperiebam commotum, quod prohibitioni non esset obtemperatum. Ego
qui ignorabam quid factum esset, excusare factum non poteram, sed veniebat
in mentem, fortasse tardius et post publicatum iam scriptum, mandatum redditum
esse. Id compertum est ita se habuisse. Intelligebam autem fuisse consilium
principis Electoris, ante publicationem libri, convocatis reliquis Ecclesiarum
suarum doctoribus, singulorum exquirere iudicia et operam dare ut consensus ef-
ficeretur inter omnes de hac doctrinae parte. De publicatione ergo scripti
illius dum sermones habentur incidit mentio Catecheseos. Accusor quod
scholis illustribus eum obtruserim. Respondeo me conscio nondum illum in
nulla scholarum illustrium usurpari. plane .n. ignorabam in scholam Porten-
sem receptum esse, cum nulla praecessisset inspectio. multo minus recordabar
exemplum eius a me ad scholae illius Rectorem missum esse. Nam si illud sci-
vissem, huius fuissem recordatus, diserte et illa schola respondissem. Unius
enim epistolae interdicto removeri potuisset. Sed neque sciebam in usu scho-
lae iam esse: neque meminieram mitti ad Rectorem exempli cum epistola.
Haec est illa epistola, a qua primum accepta est a Pepuio malevolis, et ca-
lumniandi et in suspicionem adducendi apud Principem Electorem fidem
meam

BIBLIOTHÈQUE SAINTE GENEVIÈVE

meam, quasi hoc insidiose occultarim in eum finem, ut, sicut vocant, virus Sa-
cramentarium ex Catechesi illa paulatim introduceretur in Scholas & instilla-
retur animis teneris, cum tamen in doctrina eius Catecheseos de Cœna Domini
nihil reprehensum sit a quoquam nec reprehendi possit: Et quod exagitatum
est in articulis Symboli: Ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris; pertine-
at ad doctrinam de duabus naturis in Christo. Etsi autem ex accurata
in reliquas illustres scholas inquisitione compertum de me aliud nihil est:
tamen hæc ab epistola Portensi calumnia primam fecit gratiæ principum incli-
nationem, inflammata primum in me Principe Domina, quam huic causæ ve-
hementius et acrius adversarii norant. Post semestre cum novis &
acerbioribus irritationibus principes inflammati excanduissent vehementius
in Theologos nostros, & me; propter Catechesin, & profecturi in Daniam Wite-
bergæ Theologis convocatis mentem de ea suam exposuissent, quo tempore cum
addita esset illustris declaratio ad verbum: Capi: hilariter acquievissent, &
præfixa mentione privilegii recudere eam atque in germanicam linguam verte-
re iussissent: Me etiam de illa epistola Portensi per certos consiliarios compel-
larunt. Capita eius compellationis erant, quod epistola doceret meo consilio
receptam esse Catechesin in scholam, cum me id scire negarem: Et, ne me in
posterum certaminibus theologicis admiscerem. De priore respondi ut prius:
Planè tunc cum Stolsona facta esset mentio Catecheseos me recitasse quod
prioris Sextæ proponeretur: & de ea ipsa scripta nihil mihi in mentem venisse,
neque id mirum esse cum annuatim tot scribere sim solitus, ut singulas
meminisse

meminisse sit impossibile. Nullam autem me causam habuisse insidiose aliquid
occultandi, vel ex hoc liquere manifesto, quod Catechesin semper pro mea habue-
rim ac defenderim, etiam apud principes ipsos. Cur ergo me eam lectori commen-
dare negarem? Deinde si receptam eam scivissem, cur hoc dissimulassem? Cum
offensis jam ea principibus dissimulatio re patefacta periculum mihi creatura
esset, confessio non erat. Liberassem me enim periculo omni è vestigio si
dixissem, curaturum me statim ut usus eius intermitteretur. Nec fuisse usi-
tatum scholis facere mutationes lectionum ante inspectionem, inconsultis iis qui
nomine principis Electoris curam earum gerunt. Nulla autem eo anno in-
spectio instituta fuerat. Qui scire ergo potuerim quid proponeretur. Si non ob-
livione sed fraude commissum à me aliquid fuisset, cum annus pene inter-
cessisset inter tempus scriptae & obiectae mihi epistolae, potuissem interea et
epistolam revocare meam, & perficere Catechetica illa lectio ut intermitteretur,
atque ita me omni periculo & suspicione liberare. Hac de Catechesi cum
respondissem, & à Theologicis me facile ac libenter abstinere velle signifi-
cassem, quod & feci: satisfactum sibi excusatione mea Princeps Elector ostendit
& accersito mihi ad mensam, clementem sese exhibuit. Interfuerunt ac-
tioni Viri nobiles Joannes à Ponika qui à principe Electore responsum ad
me retulit clementissimum, Wolfgangus à Schonberg, Henricus à Gleissen-
tal, Damianus à Sebottendorf, Abraham Bock, & Doctor Georgius Cracovius.
A Catechesi itaque & hac epistola Peuceri paulatim cumulare suspiciones

in me

in me malevoli et exacerbare coeperunt, & auidebant Theologorum flabella, inter quos vnus ad plures aulas scribere impudenter & scelerate mentiendo non est veritus, Me principis Electoris animum veneno sacramentario infectum, velut fascino quodam occupasse, & assidue velut obsessum excubare ad Conclave eius, ac prohibere ne quis admittatur a quo aliter doceatur. de his criminationibus falsis, hortatu quorundam qui exempla epistolae viderant, querebar cum principe Domina, & cupere me prorsus abstinere & abesse ab aula ostendebam, quod me violentae istae suspiciones & mendaces calumniae tandem essent oppressurae. Sed iussus sum eas contemnere, & animo bono esse: cum aliter se res habeat, & me culpa carere manifeste constet. Fuerunt qui mortem Adolphi principis partam esse calumniarentur eius consilij & facti principum, quod me auspicem & testem baptismo adstare voluissent: quo quid potest cogitari acerbius? Non ita multo post comperiebam malevolos renovatis odijs & calumnijs vetustioribus, ac nova specie instructis in me saeuius multo et atrocius irruere quam antea factum erat vnquam, & edita Catecheseos, editi scripti de Vnione hypostatica: crescentis in his terris, ut ipsi nominarunt, Sacramentarij dogmatis ac certaminis causas mihi tanquam antesignano & Duci primario tribuere. Commouebar non leuiter admonitus de his: sed negata iam erat mihi facultas & occasio me excusandi, quod nec ad aulam pateret mihi aditus, nec si patuisset accedere potuissem morbo ad lectum affixus, quo cum anno integro eram conflictatus, ac bis quidem cum praesenti mortis discrimine: nec antevertere me etiam excusatione mei accusatorum decuisset. Dabatur

mihi

mihi tum occasio ad excusationem mei in quadam epistola principis Dominae, interea
dum decumberem. Ad eam epistolam ita respondebam, ut ostenderem diserte, Me in
articulo de incarnatione filii Dei unione hypostatica duarum naturarum in Christo,
non aliud credidisse neque crediturum unquam esse, quam quod orthodoxa Christi Ecclesia inde
usque a temporibus Apostolorum credidit, contraque spargerentur ab orthodoxa sententia opi-
niones diversae ac blasphemae. Eius doctrinae summam repetitam et expositam esse
à nostris Theologis cum Lipsensium consensu. Repetebam et hoc quod antea Princi-
pibus dixeram, nec fore unquam nec esse posse veram Ecclesiam Dei, ubi hoc fundamentum
doctrinae de Christo vero Deo et homine convelleretur. De Coena Domini autem ni-
hil aliud me sensisse quam quod senserit, docuerit et sonarit haec schola inde usque ad
tempora inita à D. Luthero concordiae cum Helveticis Ecclesiis: et fuisse me
Consensionem Dresdensem, quae sit ad verbum descripta ex iis formulis in quas
Principes Confessionis Augustanae in aliis conventibus imperii ex praescripto Domini
mei consenserint. Nec habere me huius doctrinae autorem alium quam hanc scho-
lam, nec aliter hic sensisse. Interea prodit scriptum quoddam Exegese-
os nomine. Id cum nec visum nec auditum mihi fuisset antea, nec con-
sulisset mihi quisquam de editione, et ego iam amplius anno decubuissem:
tamen mihi tribuebatur: me autorem habere cogebatur, et accedebant dirae atque
execrationes. Mittebantur et legati solennes Vitebergam, qui de autore
inquirerent, cum in Academia nostra natum id esse persuasissimum haberent.
Sed hi responsum ferebant, quo principes fuisse contentos fama erat. Nunquam
tamen

me tamen penitus liberatum à suspicione scriptae & editae Exegeseos fuisse postea cog-
novi, etsi & Typographus autorem nominarat: & indicarat eum à quo scripti ex-
emplum acceperat, & multi essent qui ante multos annos sibi ab eodem id com-
municatum fuisse affirmarent. Tantum valent odia suspicionibus armata, si op-
pressio alicuius quaeratur; nec iustae tamen & satis graves causae reperiuntur.
Nondum autem haec de Exegesi fama conticuerat, cum nescio quibus aulici
Concionatoris inconvenientibus verbis irritata principum indignatio rursus ex-
arsit vehementissime, & in me etiam incitata atque effusa, me incautum &
ignarum omnium rerum ex improviso prorsus opprimit. Nondum eram ex re-
cidivâ sexta eluctatus, cum venit ad me Cal. April. Anni 1574 Capitaneus arcis
Witebergensis Ernestus à Wettin, & ex mandato illustrissimo me primum obligat
aresto & promisso, ut me quam citissime Dresdae sistam. Deinde iubet me Conclavia,
arcas, cistas, repositoria aperire omnia adytum, ut inquirat in arcanas literas meas.
Habere se in mandatis ut promiscue omnes auferat potius, graecas, latinas & ger-
manicas. Quid facerem ex inopinato oppressus? languidus corpore & animo, pe-
ne fractus, aegre spirans? Obtempero tamen: resero omnia, colligo dispersa,
corrado & compilo multa alia quae redimere magno vellem, trado omnia.
Mandata enim id praecipiebant, ut nihil relinqueretur inperlustratum & inex-
ploratum in tota domo. Nihil itaque conclusum aut occultum esse volui, ne in-
exulcerati animis acuerentur & aggravarentur adversus me suspiciones.
Erant inter epistolas illas literae quaedam magni nominis & autoritatis homi-

num

rum, quas saepe cum gemitu & lacrymis requiro. Eas eram relicturus & commendatu-
rus meis tanquam μνημόσυνον illius amicitiae, quae mihi fuerit cum tantis viris, qui
me multo inferiorem loco & conditione, propter ingenii dotes tamen non essent asper-
nati. Petebam illas mihi restitui, quod scirem aulae non usui futuras; sed frustra.
Auferuntur universae, coniectae in cistellam non magnam, quod nec multae essent
numero. Exemplo enim & mandato Soceri mei, quod proximo ante mortem
die repetebat, cum ad se scriptas lras arcanas me proferre, & se spectante crema-
re iuberet. Illius ergo exemplo & mandato solitus eram literas amicorum
concerpere aut exurere, quod etiamsi asservarentur, mihi profuturae non essent,
amicis nocere poterant plurimum, ex insidiis interceptae aut furto surreptae.
Memineram id etiam evenisse Socero in certaminibus Flacianis. Etsi autem
quid ageretur, quaeve oppressionis meae tam subitae & inopinatae, & ereptionis
privatarum literarum causa esset, ne suspicari quidem poteram. Nullius enim mi-
hi sceleris aut criminis conscius eram: & principum negotia nec attigeram
unquam nec noram: tamen non poteram non vehementer angi animo atque ex-
cruciari calumniarum metu, et commoveri etiam atque indignari quod longe
alia meritus essem de hac schola & de his terris: & affligebar tristius gravius
propter attritas penitusque consumptas tot ac tam diuturnis morbis vires: quo
fiebat ut mox in itinere septimam febrem recidivam. Sed, ut promiseram,
ad iter me accingo. Praecesserant literae, meque antevertebant. Ego subsequor
& uno die posterius Dresdam venio. Urbem & eam domum quae dicta erat
ingressus

ingressus, jubeor ascendere in arcem, includor in conclavi instructum rebus neces-
sarijs, nec incommodum; relinquitur apud me filius cum famulo: fores arctè
obserantur, & excubitoribus custodiuntur. Scripseram pridie epistolam supplicē
ad Principem Electorem, quâ cum de adventu meo & subiectissima voluntate
significarem, adijciebam non opus fuisse tali adversus me severitate. Nam
& vocatum me paucis verbis sponte venturum, quae me cunque terrae loca ha-
buissent, & iussum literas meas omnes allaturum fuisse. De clementissima
autem erga me affectione Illustrissimi principis, & vicissim de subiectissima
mea voluntate & fide erga suam Celsitudinem ita me mihi conscium esse, ut
de illa non vererer mihi optima quaeque polliceri, & de me certo docere ac demon-
strare possim, quod neminem hominum post Deum (quam suam Celsitudinem) sin-
ceriore ac constantiore fide coluerim, in honore maiore habuerim, laudibus ex-
tulerim pluribus: quod summa contentione studuerim de his terris, scholis &
Ecclesijs (quam optime meritj), vera & praeclara ornamenta Ecclesiarum, politiae
& scholarum, legum, iudiciorum & disciplinae, denique ordinum omnium commen-
dationibus prolixis praedicando & conciliando suae Celsitudini & nobis universis
consensum in religione & utilitate exterorum. Nec aliud mihi propositum fuisse
aut me gloriatum esse unquam. Propterea rogare me & subiectissime propter Deum,
ut cum valetudo mea tot vexationibus afflicta penitusque confecta periclitaretur,
velit Celsitudo sua mandare ut mature edocear de causis & quibus accusor,
& cognita excusatione mea me clementissime dimittere. Non dubitare me
enim

enim, quin aut satisfacturus sim Celsitudini tuae, aut si quid a me commissum reperietur errore aut inscitia, aut imbecillitate humana: Sua Celsitudo sit clementissime condonatura id & meae perpetuae constantiq. fidei ac voluntati erga suam Celsitudinem ac has regiones, & multis meritis meis. Ideo me rogare ea subventione quae par sit, & propter Deum. In hanc fere sententiam perscripta mea epistola supplex, quod mox ut in conclave destinatum custodiae meae pedem intuli, tradidi praefecto satellitij illustris ad principem Electorem ut meo nomine deferret. Redit ille a principe Electore non ita multo post, renuncians ex mandato Electoris, tranquillo ut sim & lato animo: Meliore esse loco & res meas quam existimarem. Nihil mihi defuturum esse. Postulare me jubet quibus ad curam valetudinis opus sit: & dat mandata excubitoribus, ut sint praesto & ea subministrent. Etsi autem scire certo non poteram in quem usum recepta mihi essent litera, nec sinebat me animi perturbati anxietas ex morbo corporis indies ingravescens ea de re ut conveniebat cogitare: tamen non temere me frustra conijciebam quaesitas esse causas & praetextus adversus me instituendae accusationi, nec repertas esse tales quales aut optabantur aut requirebantur. Hanc meam coniecturam non aberrasse, eventus ostendebat. Altero tertioq. a captivitate die impetrabam ut ad me admitteretur valetudinis meae curator Doctor Ioannes Naevius. Ex huius sermonibus intelligebam accusari me de scripta & publicata Exegesi. Respondebam id quod res est, plane mihi

nihil

nihil quicquam de eo libro, antequam impressum vidissem, consilii tulisse unquam: Nec velle me vendicare mihi aliena, nec tribui ab alijs. Addebam amplius, non me mea & meo nomine scripta unquam edidisse nomine suppresso: et hoc ipsum primo intuitu in eo libro, typorum enim, cum eum ad me domi in lecto aspexissem, vehementer mihi displicuisse multis gravibus de causis. De hoc colloquio altero die praefectus satellitij illustris, qui interfuerat ex mandato Principis Electoris indicabat mihi, posse fore suam Celsitudinem ut de valetudine mea cum D Nenio conferam, sed aliena me miseram. Ne igitur periculi aliquid vel ipsi D Nenio vel mihi crearem, nolui illum redire ad me deinceps, etsi desideraret consilium & operam eius valetudo indies magis magisque desiriens: Sed missa denuo supplice epistola petebam me accusari, audiri & liberari. Non prius id tamen impetrabam quam nono a custodia die. In ipsa vero custodia ita tractabar ut queri nihil possem, sed potius ut gratias haberem suae Celsitudinis, & praedicem inclementiam temperatam clementia & beneficentia.

Nono demum die, qui erat XII April. circiter tertiam a meridie e custodia deducebar a satellitibus quatuor ad synedrium consiliariorum, in quo consederant ex nobilitate Joannes Bornstenius, Henricus Schonbergius, Christophorus Ragewizius, Abrahamus Bock Maresc. aulae, David Hirschfeldius, Joannes Lindenauus: A doctorum ordine Cancellarius D Hieronymus Kiswetterus, D Laurentius Lindemannus Consilij orator, D David Pfeiferus, D Andreas Paulli. Lindemannus reliquorum

nore

nomine legati exorsus, Accusari me inquit de quatuor articulis. I Quod
per conspirationes & practicas noua Sacramentaria dogmata in has terras
inuexerim. II Quod ipse chartas de his & libellos sparserim. III Quod in
horum dogmatum defensione animauerim theologos IIII Quod incitarim ex-
teros theologos aduersus Ecclesias harum regionum. Iubeor respondere. Respon-
deo paucis, quantum ualetudo & animi perturbationum aegritudo summa per-
mittebat: Nullarum me mihi conspirationum aut practicarum conscium esse, Nec
scire me quid sint conspirationes aut practicae; aut quomodo contrahi debeant.
Non esse me versatum in politicis, ubi talibus sit locus, Et petere me ut indi-
centur & sistantur ij, quibuscum conspirationes inierim, aut conflarim practi-
cas. De nouis Sacramentarijs dogmatibus ut nominarent, me libere esse
responsurum, ubi quae a me huius generis composita, emissa, sparsa sint propo-
suerint. Nec me requirere manum meam, Satis mihi fore si proferantur
quae mea esse pretendunt: Non me. n. inficiaturum quicquam: Nec minori mi-
hi curae esse ut integram, illaesam & saluam cum sistam Deo conscientiam
meam, tum reddam animam Christo Saluatori, quam ut fidem meam declarem
ac probem principi Electori. Praeterea scire me oportere qui sint illi Theo-
logi uel domestici quos animarim, uel exteri, quos incitarim. Hos ad-
ducendos esse: aut demonstrandum esse libris meis quod talia fecerim.
Cum desijssem loqui, nominabantur a Lindemanno, quibus cum conspi-
rarim, Doctor Cracouius & M. Christianus aulae Concionator. Ergo
addit.

addicantur, inque illi, & doceamur quales sint illa conspirationes & practi-
cae quas fecerimus. Proferebatur epistola ad Christianum scripta in qua
initio hortabar illum, ne collegam irritaret suum, neve cum eo contenderet.
Deinde adjeceram haec verba: Veritas, quam tot profluvia sanguinis in
Gallia & Belgico deligvere non potuerunt, tandem est in his etiam terris
triumphatura. Haec verba, inquit Lindemannus offenderunt Principem Ele-
ctorem. Veritatem ergo, inquiebam, ferre non potestis? Et sibi praecipue
controversum esse articulum de incarnatione filij Dei seu de unione hypo-
statica duarum naturarum in Christo. An non hic articulus praecipue op-
pugnatur & convellitur? Sed huic, inquit Lindemannus, coniunctus est
& alter. Non, inquam, coniunctus est, sed falso inde deducitur. Hic in
altero articulo qua sit veritas obscurum est. Si disputare voles, inquit
Lindemannus, longum erit. At scire me tamen oportet, inquiebam, quae
nova Sacramentaria dogmata invexerim. Veritatem mansuram esse
non dubito: sive apud nos manserit, sive migrarit alio. Certo scio enim
filium Dei, quod semper in animo saepe etiam in ore habere soleam; tandem
daturum esse testimonium veritati, & vindicaturum gloriam suam. Inter
externos autem nominabatur Theodorus Beza, quem incitarim. Respondi
injuriam mihi summam fieri, quod toto tempore, quo cum Beza mihi ami-
citia ut cum viro docto fuerit, inde usque a proximo Colloquio Wormati-
ensi, supra ternas epistolas ab eo non acceperim, & intra sexennium nullam;
nec

nec de his materijs scriptam ullam, sed de rerum externarum statu solitum
illum esse mihi quaedam significare. Nec dubitare me, unam ex ipsius epistolis
inter meas repertam esse, quae docere possit, quales nostrae fuerint scriptiones
inter nos. Haec cum dixissem iubeor secedere. Etsi autem augescente do-
lore animi ex hac accusatione vehementer commovebar: tamen utcunque
acquiescebam cum nihil obijci mihi gravius audirem, & hoc ipsum quod obij-
ciebatur doceri aut convinci non posse certo scirem. Tanta tamen erat per-
turbatio ex corporis morbo, maestitia & commotione, ut non possem tum prae-
meditari aut prospicere quo actiones aut accusationes istae tenderent? etsi
conspirationum ac practicarum mentio quae dogmatibus Ecclesiae & articulis
fidei videbatur mirabiliter admisceri, non poterat non mihi suspecta esse.
Abierat interea Lindemannus ad principem Electorem. Illo reverso revocor:
repetuntur priora, quibus cum scriptorum meorum proferri posset, fit
mentio epistolae scriptae a me ad M. Mauritium Hellingrum Concionato-
rem Ecclesiae Noricae ad S. Sebaldum. Ostendi mihi illius formulam pe-
to: Nam mea me agniturum: aliena vero nolim mihi tribui. Adde-
bam circumferri epistolam, quam ad D. Morlinum scripsisse dicar. Petivi in-
quam exemplum illius ab ipso viro: negavit a me ullam de hoc argumento
se accepisse. Tribui etiam mihi Exegesin: Neutiq; me agnoscere quae mea
non sint, nec velle me aliena mihi adscribi: Sed de meis me respon-
surum, si ea videro. Nec me negaturum esse meorum quicquam. Cum
ergo

Cum ergo quod proferret Lindemannus non haberet, formulam dimissionis profert. Ad illam me si obligarem, futurum ut ex carcere liberer. Lego formulam. Lecta ea, ut verum fatear, expavesco adeo, ut pene exanimarer. Continebatur autem obligatio his capitibus. Quod cum serio & religiose promiserim & condixerim, quod a negocijs Theologicis omnibus velim abstinere, nihil de his ut fecerim antea, moliri per practicas, scribere, aut spargere: quod hoc tamen non praestiterim. Item: quod in meis literis repertum sit ad aliquos quod scripserim, cum illis conspiraverim & practicas fecerim, & obnixe promoverim ut alienum Sacramentariorum dogma in has regiones inveheretur. Item, quod non intermiserim incitare alios & animare. Item peregrinos & de hoc dogmate suspectos instruere, quomodo illa dogmata obtrudere his regionibus debeant. Item, quod scripta & pagellas de his emiserim & sparserim. Haec me fecisse, & simul me his graviores poenas commeritum esse ut confitear. Sed principem Electorem mea & aliorum deprecatione motum dimittere me e custodia, ea lege & conditione, ut ademerit mihi inspectionem illustrium scholarium & beneficiariorum in Academia, & aresto me alliget ad urbem Witebergam ne inde Sua Celsitudine inscia discedam, sed operam dem sedulo professioni Medicae & historiarum: & temperem mihi a conspirationibus talibus & practicis. Deinde ut confitear magno me beneficio & clementia affectum esse, & gratiam me pro ea debere. Denique ut promittam iuramento, me de

his

his ad alios neq; in his terris neq; extra has scripturum nec moliturum aliquid per practicas, nec suggillationibus, querelis, sinistris interpretationibus usurum contra principem, gubernationem & ordines harum regionum. Neq; hec unq; violaturum scripto, aut sermone: Neq; ex urbe Viteberga discessurum sine voluntate principis: neq; in urbe ipsa quicq; susceptūrum aut moliturum quoquo modo, aut cuiuscunq; sit generis, quod excogitare humana ratio potest. Hac ergo formula visa & lecta ita exparnefactum ut pene examinarer; nec immerito. Nam ad antegressam accusationem meā & meam defensionem quomodo se habeat, iusta ne sit, an iniusta, manifestum est. Nec minus quicq; q̄ tale aliquid expectabam. Etsi autem nec propter priores curas, nec propter hanc novam ex formula consternationem, recolligere me ad cogitandum poteram quid esset faciendum, aut respondendum: nec haberem quemq; quo cum delibrarem: dixi tamen quantum potui. Sire consiliarios omnes ex priore mea accusatione, innocentem me esse earum q̄ fuerunt mihi obiecta, nec de ullis me convictum esse, aut convinci posse. Nunc offerri formulam ipsa accusatione longe atrociorem, poneq; capitalem ἀπαθ δυξη αι αγω νεοῳ, in qua scriptum sit me sancte & religiose, ac cum obtestatione promittere, q̄d theologis me non velim admiscere, cum & mandatum illud simplicissimum meminerint qui adfuerunt & mea responsio fuerit simplicissima, omnisq; tali asseveratione & adiuratione caruerit.

quialis

qualis in formula ponitur. Et cum fuerit simplicissima, non me tamen quicquam
contra hoc promissum fecisse, nec demonstrari id posse. Nec etiam ad M.
Christianum scriptam ulla specie trahi eo posse, quod promissum violarim: etsi
scripserim, Veritatem triumphaturam esse. Illud vero me plane negare quod
per conspirationes aut practicas aliquid sim molitus. His verbis quod quaerant
crimina πολιτικόν ad me opprimendum, manifesto apparere. Negare me
et hoc, quod exterorum aut indigenarum quenquam invitarim, aut pagellas
scripserim. Nam si quid privatim ad amicos scripserim de mea sententia,
id non posse conspirationem vocari. Scire tamen omnes qui assideant, nihil
mihi propositum esse aut proponi potuisse, quod me conuincat. Quomodo de-
beam ergo id fecisse consilii, et meipsum contra conscientiam meam meo testi-
monio condemnare. Provocare me ad ipsorum iudicia: imo ad conscientiam
singulorum, quae cogat eos fateri iniuriam mihi fieri si cogar haec amplecti
et mea subscriptione approbare quae nunquam fecerim. Id repetivi secundo. Cae-
teris omnibus silentibus, solus Lindemannus generalia haec esse responde-
bat. At haec, inquam generalia sunt quae me praegravant et iugulant,
sub quibus alia multa specialia latent. Expresse ponatur quid fecerim,
cuius si reus et convictus ero, assentiar: et faciam quod erit faciendum.
Cum his nihil proficerem, implorabam fidem et consilium ipsorum, et pete-
bam, ut mei miserentur in hac tanta corporis mei et animi imbecillitate
in qua viderent me mei compotem non esse, nec me destituerent consilio
&

ope sua in re tam ardua & difficili, in qua periclitaretur existimatio mea
& fortassis aliquid amplius. Obtestabar eos summe, ne me desererent. Id
cum fecissem, reliqui qui usque in tota actione tacuerant omnes, unde-
manum intuebantur. Quo animadverso, ille indignabundus, Velim vos,
inquit, coram affuisse & vidisse, quantum obtinere potuerim. Id in eam
partem accipiebam, quod quae fierent non probarent. Duo tamen ex illis,
Bernsteinius et Cancellarius, ut conditiones praescriptas acciperem hortaban-
tur: aliter me hoc tempore ex carcere non esse evasurum. Quod ergo
cum accusatione condemnationem ita videbam esse multo ante instructa
& confectam, ut quaecunque proferrem excusandi mei causa, locum non in-
ventura esse certo appareret, adactus metu carceris, & desertus ab om-
nibus accepi conditiones cum hac protestatione: Provoco ergo ad tribu-
nal filij Dei, & Deo iusto iudici vindictam commendo, meam quod
hoc modo agatur, & quod pro mea fide & meritis in has terras talis
mihi gratia referatur. Formulam cum descripsissem & iuramento
confirmassem, dimittebar. Etsi autem iudicium de re tota Deo iusto
iudici & vindici commendo, nec obscurum est qualis haec contra me actio
fuerit: tamen me accuso quod magistrum innocentem ex imbecillitate
animi condemnaverim, criminisque confessus quod admisi nunquam, atque in
primis haec duo deploro. Primum, quod in formula mihi tribuitur
me consilij, deprecationi meae & aliorum intercessioni tributum esse
aliquid

(aliquid) quod tam clementer mecum actum sit. Deprecationem v. qualem intel-
ligat nescio. Nam post auditam accusationem defensione mei, & constanti recusa-
tione obligationis, cumque nihil obtinerem, provocatione ad tribunal & judicium Dei
usus sum tantum, non autem deprecatione ulla. Ante accusationem autem, quo
modo haec quae obiecta fuerunt deprecari potui, cum penitus ignorarem, qua-
lis illa? & quibus de causis futura esset. Quod ergo hac ipsa iniuriis extorta
mihi confessione deprecationis quae nulla fuit quasi condemno & meipsum innocen-
tem & veritatem doctrinae quam sum professus & confessus: id vehementer de-
ploro. Neque satis mirari possum conspirationes & practicas a compellatione in ili-
nere Daniele quod ausint mihi tribuere, quem sciunt non ita multo post
multiplicibus, iisque gravissimis morbis correptum, & ex uno coniectum in alium,
cum invaletudine continente toto anno amplius conflictatum, ac saepe periclitatum
esse. Sed multo magis hoc deploro vero tristique gemitu cordis mei quod ad si-
lentium me obstrinxerim de articulo caenae, filio Dei mihi praecipiente sui con-
fessionem: & in defensione innocentiae meae, quam, si mecum iuste actum
est, cum iuramento mihi ademerunt? Agnosco ingentem hunc lapsum meum
& culpam apud Deum supplici abiectione mei deprecor propter filium eius
Christum. Meam tamen innocentiam filium Dei patefacturum esse & vindi-
caturum certo scio, quantocunque fuerit pressa silentio. Ego de ea nihil dis-
putabo, sed narrabo simpliciter rem gestam ut gesta est. Iudicium sit Dei
& bonorum ac candidorum hominum. Narrationem enim facti simpli-
cem obligatio mea neutiquam excludit. — Haec est historia
prima

prima actionis, quam etsi ut par erat ferebam gravissime, quod sauciassem conscientiam meam condemnatione mei, non convictus ullius criminis: tacebam tamen, gemebam & orabam, ac paulatim consumebatur maestitia. Sed atrocius quid secuturum esse ne somniare quidem poteram, siquidem absolutus mitigatione poenae & restitutus eram in locum meae professionis. At non longe post hanc actionem Dresdensem, indicitur conventus praecipuis ordinibus harum regionum in urbem Torgensem ad diem xxiiij Maij, ut consultationes fiant de Calvini.. ano dogmate radicitus extirpando, & convocandis ad approbationem certae concep.. tae formulae Theologorum praecipuis. In hoc conventu demum apparuit, quo consilio, & in quem finem nostrae nobis epistolae & extortae fuerint eum obligatio.. ne confessionis, & impositum sub iuramento silentium, ne liceat contradicere. Mox ab initio ut convenerunt ordines, sed praeter omnem meam spem & ex.. pectationem instituitur atrox & capitalis accusatio D Cracovij, D Stosselij, M Christiani & mei. Quaeritur, qua & in nos & in alios plures qui Calvinianum dogma in has terras invehere sint conati severitate sit animadvertendum. Proferuntur extortae nobis obligationes quibus factum id esse a nobis confessi simus & fasciculi literarum, inter quas feruntur fuisse meae quaedam ad M Christianum, quae mihi propositae nunquam fuerant. Perleguntur ergo literae illae. Ordines etsi confessionibus auditis, quas extortas esse nobis ignorabant, non insontes nos esse pronunciant: concludunt tamen satis poenae iam nos sus.. tinuisse pro hoc delicto, nec se eam posse exasperare. De me pronunciasse

eos

eos comperi, ut sicut obligatus sim, ita relinquar loco meo ut serviam Academiae medicinam docendo faciendoque, et exponendo historias. Haec sententia quod mitior visa esset, sicut et de coloris, parum grata fuit. Expectata enim alia fuit severior. De reliquis quid actum, constitutum, pronunciatum fuerit, cum explorate non sciam, nihil referam temere. In meis autem ad M. Christianum literis quae mihi obiectae, praeter unicam supra nominatam epistolam, nunquam fuerunt: in his ergo quid accusatum prolixiore fuerit aut desideratum, cognoscere non potui, quamquam inquisiverim accurate, nisi quod Ιωαννοσαρκοτεκας mentione principes offensos fuisse suspicio fuit. Id credo mihi plus nocuisse quam quicquam aliorum. Malevolis enim ad acuendam in me exasperandam principum indignationem, occasio summa inde data est. Ita in prima Dresdensi actione incarceratus; post accusatus, nullius criminis convictus, sed condemnatus tamen, et a condemnatione restitutus. Torgae ob crimen nunquam commissum, sed remissum tamen, de novo sed atrocius accusor, et capitaliter quidem, ex fundamento extorto mihi confessionis et literis privatis, quas non prius videram, ac ne nunc quidem quales fuerint scio. Ibidemque condemnor ad priorem poenam, non iterum auditus, imo coactus carcere ut meo me silentio condemnarem. Haec Torgensis actio altera est, de qua utrius ut de prima iudicium Deo et bonis viris committo. Quae vero suscepta sunt alia adversus Theologos Academiae Vitebergensis: quomodo ti audiui, ex sto relenti, abducti

Lipsiam

Lipsiam, et in carceres coniecti sint, meum referre non est: qui historias integras ignoro. Ego interea domi id faciebam quod eram iussus, quantū per imbecilles & languidas vires ingenij & corporis licebat, quas tamen ingravescens ex moestitia publica & privatis curis & calamitatibus moeror animi indies magis debilitabat. Faciebam id tamen usq ad eum diem quo Theologis ex carcere liberatis Witebergam erat redeundum. Eo die enim novo mandato iubebar Torgam venire, ac me indicare, & cum nō carere sistere Consiliarijs. Erat is dies XV Iulij, quo sub noctem Commendatum enim circiter horam quintam tantum acceperam) paulo ante solis occasum urbe egressus & tota nocte vectus, mane, postridie circiter quintam matutinam Torgam ingrediebar & mox sub octavam me advenisse Consiliarijs significabā. Sequente die XVIII accersor ad Consiliarios qui mandata illustriā mihi exponentes, Constitutum esse, inquiunt, Principi Electori certis de causis me Witeberga transferre alio, & permitti mihi ut urbem quam velim in ditione suae Cels. eligam, se de Friberga cogitasse. Respondeo me ingratiam Principis Electoris hactenus pleraq fecisse: & nunc etiam obtemperaturum: nec si refrager id mihi profuturum esse. De loco me acquiescere. Sed petere me, ut liberaliter in hac senectute mea alar, & ut potestas mihi fiat artem medicam libere exercendi. Promittunt operam suam Consiliarij atq ita me dimittunt: Sed ad horas adhuc aliquot subsistere iubent, donec

scripta

Scripta mandata consiliantur. Interea nouis iterum incitationibus excellentiss. Principes, quarum causa tamen qualis fuerit nunquam mihi agnoscere licuit, sed vehementer exstruere iracundia principes, minitari mihi atrocia & in deterius omnia mutari vulgi fama ferebatur. Reuocor ergo ad Consiliarios postrid. Cal. Aug. Instituitur examen nouum: mea inquisitio. Ex Consiliarijs aderant Ioannes Bernsteinius, Damianus à Sibottendorf, D. Laurentius Lindemannus, Doctor Dauid Pfifferus. His erat adiunctus Ioannes Ienitius Silentiarius prae omnibus Principibus gratissimus, quem ego nunquam ulla in re offensum à me comperieram mihi esse infensissimum. His praesentibus Lindemannus iterum exorsus obtestabatur, & propemodum adiurat me, ut pro fide, pro religione iurisiurandi, pro conscientia mea et si quid sit amplius, aperte & ingenue profitear, quantum sciam de conspirationibus & practicis Sacramentarij negocij mecum factis, maxime cum Palatinensibus, & nominatim cum & per Doctorem Ehemium. Ne quid occultem iterum monet & obtestatur: & si verum fatear profuturum id mihi plurimum affirmat ad recuperandam gratiam principum quâ excideram. Ego de hac quaestione gauisus multis de causis, sed inprimis quod scirem me innocentem esse, & omnium talium rerum inscium atque ignarum: Cum, inquio, me religione interrogati eadem respondebo & ita respondebo ac si starem ante tribunal filij Dei: & me hoc ibidem excusandae meae innocentiae causa repetiturum esse scito. Nullarum penes conspirationum aut practicarum con-

scius

Scius sum, quod et ante confirmavi: Multo minus aliquid scio de Pala-
tinensibus: nec quas ullibi practicas intelligo: aut quid sint Practi-
cae. Constat vobis omnibus quod aliena a mea vocatione negotia se-
dulo semper caverim & fugerim, nec ullis me unquam ingesserim, quoties
in aula fui. Imo id dedi operam unice, ut non culpa tantum hac in
parte sed & suspicione caverem, cumque nunquam fuerim talibus accusatus,
mirari satis non possum, cur in suspicionem conspirationum & practi-
carum nunc trahar. Non me obsecro, existimate tam puerili ter stoli-
dum aut incogitantem esse, ut quid me deceret, aut quid cum pe-
riculo sit coniunctum, non intellexerim aut consideraverim. Non scripsi
ad Electorem Palatinum nisi unam epistolam, quando misi suae Celsitudini
partem scriptorum Soceri mei, sub nomine & patrocinio suae Cels. editam.
Ad Cancellarium D. Christophorum Ehemium scripsi aliquoties post Soceri
mortem, sed ante multos annos & familiares epistolas tantum, quibus ado-
lescentes scholasticos ei commendavi. Habeo & inter professores aliquot,
quibuscum mihi privata est amicitia a multis annis constituta,
ut cum D. Ursino & nonnullis aliis ex posteritate mei Soceri, quibus
familiariter scribere sum solitus. Sed quid haec ad conspirationes aut prac-
ticas? Cum D. Ehemio autem nulla mihi intercessit fami-
liaris consuetudo aut amicitia unquam: Nec solitus sum vel scribere
vel in aula si essem illo praesente salutandi causa ad eum accedere.

Vile..

BIBLIOTHÈQUE SAINTE GENEVIÈVE

Witebergae quod fuerit comperi, sed visus ibi mihi nunquam est, nec domi tunc fui, nec scire possum, qui eum convenerint, aut de quibus cum eo rebus colloquia habuerint. Haec ita esse vere affirmo, & affirmaturus sum coram Deo, qui est καρδιογνώστης. Ne me igitur suspicionibus talibus pergravetis oro. Non tam, inquit Lindemannus de te quaerimus, quam quid tibi constet de practicis aliorum cum D. Ehemio & Palatinensibus. Nihil de illis, inquio, plus scio quam de meipso. Quid scirem enim de rebus, quibus nunquam fui adhibitus: imo a quibus procul abfui. Et scitis me annis ab hinc tribus raro in aulam venisse. Sed cum me tanta cum obtestatione interrogaveritis me quid occultem: exponam aperte quomodo in haec theologica negocia & certamina ego protractus sim. Anno ante mortem proximo Socer meus ab Electore Palatino rogatus de sua in articulo Coenae sententia (mandatum Electoris quo id petiit credo inter meas literas repertum esse) respondit eam explicando. Exemplum responsionis cum typis editum esset multi boni ac magni viri petebant a me, ut quid mihi de epistola illa constaret, & quae de hac controversia ex Socero audivissem communicare cum ipsis secreto non gravarer. Non denegavi hoc cuiquam, nec ad quemquam quotiescunque ego interrogarer dissimulabam quod cognovissem esse veritatem. Inde aliquorum extitit suspicionum & sermonum de me. Sed citius credidissem caelum in me ruiturum quam futurum esse ut meae privatae literae, rogatu ad amicos ex sententia Soceri mei scriptae de controversia quae adhuc in suspenso esset, nec iudicio Ecclesiae diremta ac definita, ut illae ergo in suspicionem conspirationis faciendae aut moliendi seditiose res novas traherentur. At

ne

ne nunc quidem video, qua specie id fieri possit. Socer meus die ante mortem
praecedente hanc esse veritatem in hac controversia mihi confirmavit: Ergo
ego maiores causas habeo in ea perseverandi. Post haec iubeor secedere
iterum. Paulo post revocatus iterum interrogor de Theodoro Beza, et de prac-
ticis cum eo, ut quod sciam libere et ingenue confitear, nimirum cuius im-
pulsu! meone vel alterius libellum in Selneccerum editum Principi Electori in-
scripserit? Respondeo, mirari me cur hoc interrogent, cum in prima ac-
tione Dresdae satis superque me excusarim, Et intra annos sex me nullas
Bezae literas vidisse, nullas ad illum misisse affirmarim. Quid Beza cum a-
lijs intercedat aut quibuscunque aliquid ei intercedat mihi non constare: nec
tantum ocij esse et fuisse mihi abs re mea, in aliena ut curiose inquirerem.
Secedo iterum DX iussu: sequitur me DX intervallo Lindemannus, ac sor-
sum compellans solus solum hortatur et obtestatur, ne, si quid sciam de alio-
rum cum Palatinensibus et D Chemnicio practicis imprimis, ne id supprimam
aut reticeam. Pollicetur benigne et prolixe de clementia principis. Respon-
deo ut prius; testatus sancte de mea perpetua et constante fide ac volun-
tate erga principem Electorem: plane nihil me de cuiusque practicis scire, nec
me dicere quicquam posse, nisi fingere velim, nec fingere me tamen posse, quod
practicarum faciendarum sim ignarus, et non sciam quas intelligant prac-
ticas, aut de quibus, an de religione sola an de alijs! Si fingere quid
velim, oportere id tamen ad veri speciem compositum esse, ne fraus dolusque

prima

prima statim fronte deprehendatur. Denique me mentiri nec posse nec velle. Reuersi-
tur ad suum locum Lindemannus: Ego aliquanto post etiam accersor ad audien-
dam sententiam, quam sperabam priore fore mitiorem, cum haec actio prius inter-
tatam mihi culpam euidentius refutaret ac dilueret, & omni me merito suspi-
cione liberaret: sed inclementiorem multo ac duriorem accipio. Nam loco et
professione mea motus, exutus honoribus, Witeberga eiectus ἐξωσθεὶς sum
deportationis poena, exilio & aresto simul condemnor. Rochlicium, & ibi in
arce habitare cum mea familia iubeor, caussis nullis expressis, nisi in genere
ex probabilibus & necessarijs caussis. sub eadem religione iuris iurandi
qua tenebar antea, & iubeor non reuerti Vitebergam sed Torga in locum
deportationis recta ad diem XVI Augusti discedere: cuius prorogationem
& quaedam alia cum supplice epistola a principibus petiuissent, & loci muta-
tionem coniunx mea ac generi (dimissionem vi frustra petituri fuissent)
nihil tamen impetratum est praeter prorogationem in dies XIIII. Innocens
repetitus punior grauius quam unquam antea, mutata quartum sententia. Nec
mirari satis possum caussae odij in me tam acerbi & immanis quae sint. Si
de doctrina me nunquam auditum quam doctrinam tamen oderunt, cur me tam diu
tam patienter tulerunt? Cur praetextus confessionum quaesiuerunt? Cur me
ditione sua non iusserunt excedere? Cur me aresto, ac pene carcere retinent?
Si doctrina alij caussae praetenduntur, cur de illis me non accusant? Sed in
autores consilia redundabunt sua. Lindemannus arcis iterum a
principe

principe mentionem factam innuebat, fortassis ut me fatigatum et excrucia-
tum carceribus enecarent: ne superstes patefacerem quae in me suscepta fue-
runt. aut ut me crudelius excitarent: Nam carcerem me exhorrere sciebat;
neque immerito. Memineram enim, quae et initio carcer mihi extorserat
et quas multoties audiveram voces ex duobus summis viris, ex Illmo pr.
Georgio principe Anhaltino, et socero Philippo Melanthone, qui Carolo Quinto
Augustanam sphyngem quae Interim vocabatur, atrocibus minis et exemplis
obtrudente Ecclesiis Confessionis Augustanae, neutique se illa supplicia grata-
cumque illa forent, tantopere metuere saepe in colloquiis familiariter, me astante
et audiente querebantur, quod sordes, solitudines, cruciatus carceris quibus terreri
frangique magis quantumvis obfirmatos hominum robustissimorum animos
compertum sit quam conspectu suppliciorum. Haec perpetuo et animo et ocu-
lis meis obversabantur. Nec pusillanimem me quisquam metu carceris fuisse
mirabitur, si et quam fractus fuerim viribus, et quibus insidiis, qua violentia
iniusta et iniqua mei ipsius accusatio mihi expressa fuerit, et quo non a-
digi possint et adacti fuerint diuturnitate, squalloribus, sordibusque, solitudine
carceris etiam optimi quique et alacerrimi, consideravit: praesertim cum ex-
empla recentia haberem ante oculos. Haec tertia est actio quae etsi
me sententiae acerbitate admodum torsit et excruciavit: tamen testimonio
meae innocentiae recreavit ac confirmavit plurimum. Si enim in primis
duabus actionibus, Dresdensi et Torgensi propter conspirationes et practicas,

ac

ac propter externos Theologos invitatus fui iuste condemnatus, cum me inter-
rogant de iisdem iterum? et tanta quidem cum obtestatione & adiuratione,
ne quid reticeam? Ut fuerint ergo incerti antea, & mihi iniuriam fece-
rint necesse est. Cur me .n. denuo examinarint, nisi quia dubitarunt?
Si dubitarunt: cum me semel condemnarint, mox iterum atrociter accusa-
runt? Laetabar igitur vehementer occasionem mihi datam esse tam
optatam testificandi de innocentia mea. Ac multo magis laetabar a Iu-
dicibus ipsis priores actiones declarari irritas. Quid erat .n. hoc aliud quam
quaerere, An sim antea iuste condemnatus? Cum haec duo capita de quibus
examinabar iterum fuerint praecipua capita accusationis meae: & de Beza
essem antea nominatim interrogatus. In conspirationibus Palatinensi-
bus notari D. Cracovium non obscure intelligebam, quem in prima Dresdensi
actione nominatim cum exorcismum conspirationis nullum proferre possent; in
hac cum non etiam nominatim expetterunt. Sed permitto, commendoque
omnia Deo iusto iudici ac Vindici: Mihi ea & cum invocatione Dei, spes
certa atque indubitata liberationis divinae, ope & auxilio Spiritus sancti per-
ferre ac perpeti constitutum est. Et simplici narratione meis posteris expo-
suisse satis sit, ut cum posteri & inolescere suas actiones nolint, sed
suppressas esse velint: mei tamen quid mihi acciderit, & quomodo mecum
sit actum, meae & suae existimationis causa sciant. Crudelis, immo scele-
ratus essem: famam & existimationem si negligerem meam: neque hoc mihi
meae

meo juramento ereptum est. Non sparsi crimina: non evulgavi quicquam: nec indicium de actionibus fero: quid acciderit narro. Doctrina veritatem de Cena Domini, sicut eam professus est Socer meus ex doctrina Christi, Pauli, & totius purioris antiquitatis, nec inficiabor, nec inficiaturus sum unquam. Neque ullum mihi meorum scriptorum propositum est: nec accusatus sum quod hoc vel illud credam, sed χρῆμα πολιτικὸν quaesitum est, ut non doctrinae causa sed spuria & sacramentaria dogmata per conspirationes invecta, sparsa, me invitatore his regionibus obtrusa condemnatus dicar. Nunquam tamen quae sint illa dogmata, mihi demonstratum est. Hoc ergo negavi & pernegabo, in omni aeternitate. Nihil unquam per conspirationes aut practicas molitus sum, Deo teste: nec ulla falsa dogmata, quocunque nomine vocentur, invexi. Nec si literis privatis exposui sententiam Soceri mei alicui, dici debeo aut possum ulla specie veri, fecisse practicas aut conspirationes. Viderint, qui hoc titulo accusationem mihi intenderunt, quid fecerint. Non dicam ut gravius quicquam. Ut maxime nota essent omnia, quae formula obligationis prima mihi habuit: tamen cum certo ac indubitato sciam hanc esse veritatem in hoc articulo: an testificari de veritate caelesti, praesertim; conspirationum & practicarum nomen & crimen habere possit, iudicent sani omnes. Cum autem exloquutus mihi confessionem patris sim, in qua meipsum reum facio coram quorum sum innocens: iterum eandem apud Deum deprecor meam, & oro supplex ut hanc mihi lapsum, propter filium unigenitum suum

Chrm

Christum, μεσίτην ἡμῶν καὶ ἱκέτην, Deus pater fons perennis inexhaustae misericordiae ex gratia & misericordia condonet. Ad hunc modum Aula, me miserum philosophum, primum blande ad se invitatum & comiter acceptum, tandem male mulctatum, loco, dignitate, honoribus spoliatum, a sese repulsum, Schola etiam, extrusit in exilium, in quo certis velut carceribus septus & conclusus vitam ago solitariam: Verum invocans & expectans spe non dubia futuram e caelo liberationem: quam ut acceleret misericors ac propitius Pater propter filium suum Christum, toto pectore posco. Exemplo communi facti meo Adolescentes sapere discant.

Hanc narrationem sicut a me recitata est sancte affirmo veram esse, Deo in testem vocato, in cuius iudicio sum eam hoc modo repetiturus. Provoco etiam ad testimonia omnium eorum qui his interfuerunt & praefuerunt. Eos voco, cito, adhibeo testes horum actionum omnium ut veritatis sint, obtestans singulos per conscientiam suam, propter gloriam filii Dei de qua agitur, ne in gratiam cuiusque, si sit opus, huic veritati desint testimoniis suis: Nec dubitent quin sim eos de his testimoniis compellaturus ante tribunal filii Dei. Sua etiam quemque convincet atque ulciscetur conscientia in hac vita: Et Vindicta divina quemque persequetur, si veritati, si oppressis testimonio suo, ex metu defuerint. Non interponam iudicium meum: nec exacerbabo quemquam: nec gravabo quenquam. Ostendi narratione perspicue & evidenter quid, & quo modo mecum sit actum. DEUM

patrem

patrem Domini nostri Iesu Christi toto pectore poscere ut omnium nostrorum misereatur. Vindicet gloriam filij suj, Veritatem doctrinae, & meam innocentiam: propter gloriam nominis suj: in testimonium perditorum ac pene oppressae Veritatis. AMEN.

FINIS AVLICI.

APOLOGIA

Casparis Pencerj, philosophiæ & Medicinæ Doctoris.

Si aût casu acciderent omnia absq. Dei providentia, aût genûs hûmanûm tantûm ad ærumnas et calamitates hûius miseræ & fugacis vitæ conditûm esset, nec resta=ret post hanc vitam alia melior et æterna vita; quis non fateretur, optimûm esse aût non nasci, aût in lûcem editûm mox interire? ût senserûnt Ethnicorûm aliqui, moti cum imbecillitatis naturæ hûmanæ, cûius causas ignorarûnt, inconstantiæ fortûnæ in rebûs hûmanis, infinitæ molis malorûm, quibûs obiecti ac sûbiecti sûnt homines vniversi, conspectû, tûm exemplis innûmeris tristissimorûm eventuum & atrocissimorûm casuum. Non esset enim aût creaturæ ûllius quam hominis deterior, aût inter homines ipsos ûllius quam optimi cûiusq. iniquior conditio, quod res doceat, optimûm quemq. eo ipso in odia incurrere immaniora & atriores calumnias, premiq. dûrius & crûdelius exagitari, quo sûstinet maiora & diffi=ciliora suo loco onera ac certamina, in quacunq. parte aût generis aût gûber=nationis hûmanæ, & meretûr de cæteris præclarius. Sed certo scimûs, nec ortûm nec interitûrûm esse casu genûs hûmanûm, nec fortûito aût temere volvi ferriq. res hûmanas, sed esse Deûm hûius opificij & eorûm omnium quæ in eo cæli circumflexû conclusa sûnt, Architectûm, Gûbernatorem & Conservatorem, & eundem esse mentem æternam, infinitam, omnipotentem, sapientem, iûstam, ve=racem, beneficam, castam, liberrimam, φιλάνθρωπον, quod & hoc mûndi syste=ma propter hominem, & hominem ipsûm ac societatem generis hûmani propter

septam

scipsam condidit, administrat, & sustentat: Et condidit hominem non ad miseri-
as, aerumnas, ac mortem, quae sunt merces ac poena primi lapsus & peccatorum
multiplicium generis humani, sed ad vitam aeternam, Ut in homine, tanquam
ultimo suorum operum, comparato destinatoq. ad hunc finem, ut sit domicilium
ac templum Dej, ipse conquiescat, & sua aeterna ei bona, sapientiam, iustitiam,
lucem, & vitam aeternam communicet. Huic vero Deo scimus curae esse
res humanas, indubitatis & evidentibus providentiae divinae argumentis & testimonijs.
Hunc scimus & autorem & perpetuum custodem esse ordinis politici, ac rec-
torem supremum, legum Regnum, Dominium dominationum, ragdio...
iustum judicem & vindicem innocentiae vi vel fraude oppressorum, iniustae-
q3 violentiae ac sycophantiae, in cuius manu sunt corda Regum & princi-
pum, & omnis potestas eorum, qui praefigit & statuit metas imperijs, &
potentiae omni ac tyrannidj: Ac praemia reddere recte facientium hominum vi-
tis, Ulcisci graviter ac punire scelera & peccata, & quidem atrocia delicta
atrocibus poenis etiam in hac vita. Denique post hanc vitam scimus resta-
re iudicium aliud, in quo iustis bene erit: poenis aeternis afficientur in-
iusti, impij, prophani. Sed in doctrina Ecclesiae haec certius multo
& explicatius traduntur & illustribus confirmantur testimonijs patefactio-
num divinarum. Ex hac certo scimus hunc esse Verum Deum, & hunc

Unum

Vnum et solum esse verum Deum, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, &
Iesus Christus filius λόγος καὶ εἰκὼν ἀΐδιος τοῦ ἀϊδίου πατρὸς, ὁμοούσιος
patri, & Spiritus sanctus paracletus, ὁμοούσιος utrique, patri & filio, & qui cum
filio & Spiritu sancto condidit creaturas vniversas, & se patefecit hoc modo, quod
miserit filium coæternum, ut assumpta natura humana fieret victima pro pecca-
tis humani generis, placaret iustam iram patris, satisfaceret iustitiae Dei, obedi-
entia, passione, & morte sua, & consummato cursu missionis suae gloriose a morte
resurgeret, & exaltaretur ad sacerdotium & regnum aeternum, esset caput Ecclesiae
suae, implens omnia in omnibus electis, quod per hunc filium effundat Spiritum
Sanctum in corda credentium, ut renovet & restituat hominem ad veram Dei ima-
ginem in iustitia & sanctitate vera, quod per & propter hunc filium Dominum
nostrum Iesum Christum recipiat in gratiam, donet remissione peccatorum, Spiritu
sancto, iustitia, luce, & vita aeterna, & ingenti misericordia omnes credentes in
ipsum, exaudiat omnes ipsum invocantes, suscipiat & eripiat ex cunctis ma-
lis omnes confugientes ad ipsum, fiducia filij Iesu Christi, quod per & propter
eundem filium colligat sibi aeternam Ecclesiam in genere humano, sanctificet eam
Spiritu suo sancto, nutriat, regat, custodiat, tueatur, liberet, defendat eam
adversus furores, odia, rabiem saevitiam immanium Diabolorum, tyrannorum
hypocritarum, sycophantarum & haereticorum; quod tandem hanc suam elec-
tam Ecclesiam exemptam conditioni obnoxiae corruptioni & calamitatibus, alij-

ab

ab omnibus malis liberatam sit perfusurus luce & gloria aeterna, ut fiat conformior imagini filij sui Iesu Christi, cuius precioso sanguine est redempta. Certo ergo scimus ex doctrina Ecclesiae, quod verus Deus sit iste hoc modo patefactus Deus, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, & Iesus Christus filius, & Spiritus Sanctus, quod per & propter Filium Iesum Christum pater noster sit nobis placatus & propitius, & per eundem effundat in corda credentium Spiritum Sanctum clamantem Abba pater, perhibentem testimonium spiritui nostro & interpellantem pro nobis gemitibus inenarrabilibus; quod non sint incertae & fallaces spes nostrae positae in Deo, filiorum filij, sicut sunt incredulorum, nec sint irriti gemitus interni, & emissa ex animo ad Deum corde suspiria nostra, quod non sint inane murmur preces nostrae, nec in aerem sparsae protinus vento dissipentur & evanescant, quod non repellatur a misericorde & propitio patre sacrificium assiduae invocationis: Denique quod non declinet aut avertatur defixos in caelum nunc perpetuoque contritis, & expectantes auxilium & liberationem oculos nostros, sed quod assidens ad dextram patris filius coaeternus, cumque eo aequali potentia regnans certo, indubitatoque excipiat & perferat preces nostras ad patrem, intercedat pro nobis, impetret quae petimus, accelerat ut opem ferat oppressis, & eruat nos ex cunctis malis, sicut dixit: Ecce quod petieritis patrem in nomine meo, in oratione credentes, accipietis. Ego dabo vobis. Nemo rapiet oves meas ex manibus meis &c. Ex

eadem

eadem Ecclesiæ doctrina certi simus & hoc, quod etsi crux & afflictiones atque omnes uniuersim calamitates generis humani testimonia sint iustæ & ingentis iræ Dei aduersus peccata, & peccatorum pœnæ, quod iudicium a domo Domini incipiat, quod electi & sancti his onerentur sæpe grauius impijs, quos constat aliquandiu florere opibus dignitatibus, potentia: non id fieri tamen ideo ut proiecti & deserti à Deo pereant, aut si propter confessionem doctrinæ veræ sustineant persecutiones, ut his opprimantur & succumbant, sed ut crescat in cruce inuocatio, & exerceatur fides petens & expectans mitigationem pœnarum & ærumnarum in hac vita, & ut in gloriosa liberatione piorum fiat conspectior & illustrior præsentia Dej, aut si sæuitia tyrannorum absorbeantur, ut testimonio confessionis, exemploque constantiæ confirmetur veritas doctrinæ. Et tunc quidem longe maior atque excellentior piorum gloria est in ipsa morte, quam erat futura liberatorum. Preciosa enim secundum psalmi dictum, in conspectu Domini mors sanctorum eius. Abscondit faciem suam Deus interdum ad tempus aliquod, velut auersam a peccatis nostris, ac veri oblitus suorum & dormitans sinit impulsam à Diabolo tempestatem horribilium persecutionum irruere, cum ingenti procella, quæ conuulsura & euersura uidetur vno momento & vno impetu omnia & vniuersa, sed cum sæuit illa maxime, & diuina præsentia conspicitur minime, imo deseruisse suos ac destituere uidetur, tunc ergo moderatur Deus maxime & reprimit eum furoris & sæuitiæ impetum, ac circumdatis metis ac repagulis prohibet, ne quo contendit eo efferre

sese

sese, neue id quod concupiuit ac destinauit, perficere possit, proterendo, conculcando, delendo. Quod etsi in ipso ~~tempestatum~~ furore non apparet, illa depulsa tamen ac sedata enitescit & conspicitur euidentissime; Posteriora enim Domini cernere, id est consilium & auxilium eius ex euentu cognoscere & intelligere: faciem conspicere non possumus. Certo scimus ergo Deum in medijs ærumnis & circumfusis undiq; hostium agminibus, astutissime structis insidijs, falsis criminibus, iniustis odijs, parricidialibus calumnijs, cruentis molitionibus, inexplebili rabie, in ipsis carceribus, tormentis, flammis, supplicijs, in morte ipsa, In his inquã omnibus Deum adesse pijs & Electis suis, sicut adfuit Iosepho in carcere, Israëlitis in camino babylonico, Danieli in medio Leonum, Dauidi inter media & conferta hostium agmina, & in tanta tela, Apostolis & innumeris sanctis alijs. Certò scimus Deum aut eripere suos gloriose periculis & calamitatibus præsentibus, aut si quid uelit eos perferre propter confessionem veritatis, confirmatos Spiritu sancto, ac sensu viuificæ consolationis, ac veræ & æternæ lætitiæ completos, longe excellentiore gloria ornare, & in hoc ipso agone ultimo, & multo magis in Ecclesia cælesti; ubi fulgebunt tanquam splendor firmamenti, quasi stella in perpetua æternitate. Si ergo Deus pro nobis, quis contra nos? ut Pauli me verbis consoler. Is qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum eo omnia nobis condonabit ex gratia? Quis intentabit crimina aduersus Electos Dei?

Deus est qui iustificat. Quis est qui condemnet? Christus is est qui mortuus est. Imo vero qui etiam excitatus est, qui etiam est ad dextram Dei, qui etiā intercedit pro nobis. Quis nos separabit à dilectione Christi? Num oppressio: num angustia, num persecutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius? sicut scriptum est: Causa tuā occidimur totum diem: Habiti sumus velut oues destinatæ mactationi. Imo in his omnibus plus quam victores sumus per eum qui dilexit nos. Nam mihi persuasum est, neque mortem neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque instantia neque futura, neque sublimitatem neque profunditatem, neque ullam creaturam aliam posse nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Hæc tanta sunt ut nullis exhauriri possint cogitationibus humanis, neque intelligi, nisi accedat experientia in cruce & afflictionibus. Sed fide opus est quæ superat in nobis diabolum, & confirmat animum, ut eluctetur & vincat, in alterutram utram partem cadat exitus, seu cum victoria conservetur vita, seu impendatur. Quod potest animo summis oppresso aerumnis, in angustias adacto extremas, & à tota rerum natura destituto, praestari certius, & ad leuandos dolores, atque ad consolandum efficacius monstrari quam misericordia Dei, certo recipientis afflictos in fide per filium, ac promittentis auxilium certum & liberationem, & post hanc vitam æternam continuationem cum Deo in Ecclesia cœlesti? His veris & firmis consolationibus

nibus si accendere in animis inuocationem Dei firmam & ardentem, fiducia
Filij Mediatoris, si petere & expectare constanter ac patienter auxilium coeleste &
liberationem, si afflicta & consternata corda erigere, trepida ac pauentia confirma-
re, moesta exhilarare, horrore refugientia sistere, contabescentia dolore & anxie-
tate lenire ac reficere, deficientia ac desperabunda reuocare in alijs calamita-
tibus possumus, quae sunt propter causas ipsas & circumstantias alias, momenti
multo minoris ac leviores: quanto id magis facere nos conuenit oppressos o-
dijs, calumnijs, mendacijs, contemptu & violentia, propter testificationem Verita-
tis de Deo, & de filio Dei Domino nostro Iesu Christo, cum qua causa nulla
est inter humanas omnes, quae ulla in re, aut ulla parte comparari possit.
Nam si labores, certamina, pericula, mortem etiam contemnere possumus pro
patria, pro parentibus, pro amicis: Aut si in honestis & iustis causis ciui-
libus aduersi aliquid perferendum sit ac perpetiendum; quanto praeclari-
us contemnemus opes, fortunas, honores, dignitates, studia hominum, grati-
am potentum, vitam etiam, si sit enuncianda & profitenda Veritas de filio
Dei, & huic testimonium perhibendum contra mendacia, calumnias, blas-
phemias? Certe confessionem filij Dei in infinitum omnibus rebus humanis
ut anteferamus necesse est, cum illius tantus sit amor erga genus humanum,
tam ardens huius recuperandi, restituendique desiderium, ut assumpta carne
nostra & vitam uelut caesa victima pro peccatis nostris profuderit suam &

nobis subeundos ac sustinendos cruciatus horribiles & aeternos ab ira Dej & aeterna morte in se transtulerit, mortemq. sua absorpserit, & reddiderit nobis bona aeterna uni-versa quae amiseramus, cui ita inserti et coniuncti sumus, & carnis nostrae societate & vinculo Spiritus sancti, quem connexus huius atq. coniunctionis voluit esse arra bonam & pignus, ut nulla possit cogitari tanta calamitas, nulla reperiri aut mon-strari tanta vis atq. potentia, quantacunq. illa sit, quae avellere nos queat a com-plexu & dilectione Dei in filio Iesu Christo, & dissolvere fide & Spiritu S. effectum cum Christo coalitum. Denique cum res agatur in partem utramque & summi peri-culi iacturaeq. extremae, & contra summi lucri & praemij, ut abnegata persone-rantes confessio, excussos nos gratia Dej & aeternis bonis omnibus spoliatos prae-cipitet in cruciatus aeternos. Praestita e diverso constanter & perseveranter, im-marcessibili corona gratiae & iustitiae aeternae redimitos faciat haeredes vitae ae-ternae, cohaeredes Christi, sicut inquit Christus. Qui me confessus fuerit coram hominibus, hunc confitebor coram patre meo qui in caelis est. Qui me negave-rit coram hominibus, hunc negabo coram patre meo qui in caelis est &c.

Haec ut vere, sic & facile & praeclare dicuntur, & cogitata ac pensitata laetis ac tranquillis temporibus mirifice capiunt atq. afficiunt animos pios: sed experiri ea & ad usum conferre quam sit difficile, intelligunt qui pericula con-fessionis degustarunt. Otiosi, dediti voluptatibus, irretiti cupiditatibus pra-vis, prophani, procul a periculorum conspectu remoti ignorant. Quantum-cunque

cumque autem sit decus & ornamentum pij hominis constans confessio, quanta cunque bona proponat ac promittat: tanta tamen est infirmitas humana ut terroribus, minis, conspectu periculorum & mortis, metu infamiae, iactura rerum charissimarum in vita, impulsa fides & labefactata cito nutet ac vacillet, vel prorsus etiam deficiat ac concidat, nisi opem ferat Spiritus sanctus & fumigantem ac jam iam morituram afflatu resuscitet suo ac recreet. Huius magnae infirmitatis exempla cum in sanctis etiam proponantur, et in Apostolis: agnoscamus ac deploremus eam in nobis vero dolore & gemitu, & augeri nobis robur fidei petamus. quod si quibus dono Spiritus sancti contigit, ij gratias agant Deo, nec imbecilliores alios prae se contemnant, nec cuiusque infirmitati obtrectent, sed pro ea deprecentur apud Deum per filium Iesum Christum, & se confirmari in hac constantia petant. Qui stat videat ne cadat. Quanto propius appetit finis mundi, tanto magis augetur imbecillitas naturae humanae, crescunt immanius furores in maxima parte hominum, increbescunt teteriores confusiones opinionum ac religionum, ac truculentiae persecutionum atrociores stabiliuntur, excandescit vehementius & exasperatur rabies in Diabolis, Tyrannis, Sycophantis, Hypocritis, & Haereticis, sicut filius non ... praedixit filius Dei. Quare mirum non est si multi dubitationibus implicati non reperiant in qua resistant & acquiescant sententia: multi ruant in prophanitatem, abiecto omni studio religionis & pietatis cura: multi

infestant

inflectant religiones ad affectus eorum quibus blandiuntur, multi religiones
ex occasione temporum mutant, & amplectuntur accomodatas suae tranquilli
tati. Sed quanto saevius ingruunt & irruunt tempestates confessionum &
persecutionum, tanto maiori nobis cura sit conservare fidem, ne cum magna
multitudine fluctuantiumque abrepta procellis in altum, naufragium faciat &
mergatur, quod cum non fiat, sine acri studio inquirendi ac tuendi verita
tem, & sine ardenti & assidua invocatione, coniungamus utrumque, quaera
mus & amplectamur veritatem, ac monstratam divinitus repetamus ac nos
regi sustentarique petamus a filio Dei per spiritum sanctum. Auxilio caelesti.
assiduis ac serijs exercitijs fidei & invocationis, indefesso studio opus est, ut
ad veritatis agnitionem perveniamus, & ut confirmemur ne deficiat aut lang
uescat fides nostra, nec segnescat, torpescat, tepidet aut refrigescat invoca
tio, ne periclitetur confessio, ne debilitentur spes nostrae, ne facti mora aut
diuturnitate, si differatur auxilium & liberatio, ruamus in diffidentiam aut
dubitationem de misericordia Dei, vel in impatientiam, indignationem aut fre
mitum adversus Deum, nec in rebus secundis efferamur aut insolescamus,
fiducia sapientiae, virium, fortunae, aut successuum nostrorum: nec blande
excusemus, aut astute tegamus lapsus nostros, ut Deum gravius irritemus
& calamitates cumulemus: Sed agnita imbecillitate nostra vere doleamus quod
innumeris modis Deum offenderimus, & poenas meruerimus aeternas ac
prae

præsentis: ac precemur ut ipse misereatur nostri, & remittat nobis oia
peccata nostra & omnes infirmitatis nostræ lapsus, & iustificet nos per
& propter filium Mediatorem, conversos ad iustitiam & vitam æternam:
regat nos sua luce & Spiritu sancto, ne opprimat nos imbecillitas nostra, ar,
ceat procul sævissimos hostes, munitis nobis sanctorum Angelorum Excu
bijs. Vincat in nobis hostem Diabolum & omnes illecebras peccatorum per
filium Iesum Christum, qui venit ut destruat opera Diaboli: leniat miserias,
& mitiget, ac tandem auferat pœnas peccatorum quas iustissimo Dei iudicio
luimus. Deniq, ut tandem cum universa Ecclesia nos ereptos Ex omnibus
præsentis vitæ ærumnis translatos ad beatam consuetudinem cum Domino
nostro Iesu Christo, cælis Angelis & omnibus electis, donet nos luce, iustitia
& vita æterna, ad quam initio conditi, & morti filij Dei demissos sumus
redempti. —— Has consolationes ut assidua cogitatione se.
cum perturbatus animus meus repeteret, & seipsum acuerat atq. excita,
ret ad ardentem invocationem: fecit magnitudo calamitatum in quas nul.
la mea alia culpa coniecit quam studium verum & ardens proferendi & illus.
trandi veritatem in doctrina de filio Dei Salvatore nostro & Mediatore,
vero Deo & homine, deq. summis beneficijs filij Dei quæ ipse præstans
& efficax Spiritu suo sancto per ministerium verbi & sacramentorum im,
pertit credentibus in Ecclesia: & odium acre ac nonsimulatum adversus

horribilem

horribilem idolatriam in Missa pontificia, petulantem ac Diabolicam sophisticen, ac
Sycophantiam malitiose illudentem ac tenebras offundentem manifestae Veritati, teter-
rimas blasphemias veteres in filium Dei, quae quamquam sint ante tot secula gravissimo or-
thodoxae Ecclesiae iudicio reiectae atque condemnatae, & pro condemnatis omni tempore habi-
tae, tamen nunc velut resuscitatae ab Orco ingenti studio certatim reducuntur in
Ecclesiam, sophistice excusantur, pertinaciter defenduntur: pro Veritate ergo quod steti
contra idola, mendacia, calumnias, blasphemias, consecutus sum hoc, ut in me conci-
tarim horribilia odia potentum, ut struerentur mirificis artibus insidiae vitae fa-
mae, existimationi meae ab Architectis & socijs horum consiliorum, ut eriperentur
mihi ex inopinato literae privatae, & quaererentur inde praetextus ad me penitus op-
primendum, ut coniecto in custodiam, & ex morbo paene de vita periclitanti mi-
hi intenderetur actio, accusato de initis conspirationibus, & conflatis, ut vocant,
practicis, de conscriptis & sparsis libellis, de irritatis & confirmatis Theologis in
hunc finem, ut novum Sacramentariorum dogma in has Ecclesias inveheretur,
ut de nulla mihi culpa convicto extorqueretur per afflictissimae valetudinis
meae & carceris occasionem confessio & iuramentum, illa me ut reum horum
confiterer quae obiecta erant, hoc me ut obligarem ad silentium, ut denuo in-
stitueretur adversus me accusatio capitalis, & inquireretur in caput meum, ut
rogarentur & colligerentur sententiae de supplicio quod meritus essem, ut tandem
denuo, patefacta innocentia mea, tamen condemnarer absque nulla expressa causa,

ad

pœnam ἐξωλείας seu deportationis, ut è vestigio ejicerer cum summo probro & dedecore ex vocatione & statione mea, in qua tot annos Academiæ servieram, & summa fide, & cum fructu, de quo tamen alijs iudicium relinquo, certe non pœnitendo nec contemnendo, ut spoliarer omnibus ornamentis & præsidijs civilibus huius vitæ, adducerer in contemptum extremum, obijcerer odijs hominum, alienarentur a me voluntates & studia bonorum, abrumperentur mihi amicitiæ cum multis præstantibus viris contractæ, ut cum causæ tantæ adversus me severitatis occultarentur, interea prægravarer iniquis suspitionibus acerbissime, & lacerarentur tetris calumnijs honesta fama & existimatio mea vulgi sermonibus, ut extruderer in exilium & detruderer propemodum in carceres, relegatus Rochlicium, atque ad illum locum ita allegatus iuramento, ut mihi sine consensu inde pedem movere non liceret, ut in illa, cum eripi mihi nullo contra satis idoneo prætextu vita supplicio potuisset, mœrore animi & mæstitia consumerer, & misere, ignominiose ac turpiter in exilio & carcere perirem, nec patefieret unquam innocentia mea, neque extaret testis illius ullus aut vindex, nec testimonium de ea ullum ad posteritatem. Hæc scio nequaquam mihi accidisse casu absque Dei providentia & voluntate: sed agnosco ac deploro toto pectore ingentia peccata mea, quibus iustissimam iram Dei adversus me concitavi, quibus merui ut me traderet Deus in desideria & in manus ac potestatem inimicorum meorum, & sineret eos hoc modo in me effundere odia

sua

sua, ac saeuire. Ac tribuens Deo laudem iustitiae, clamo toto pectore: Iustus es
Domine, & iustum est iudicium tuum. Iram tuam Domine portabo, quoniam tibi pec
caui. Sicut tibi Domine placuit ita factum est: Sit nomen tuum benedictum.
Doleo autem vehementer & acerbe quod offenderim Deum, Sed quia scio Deum esse
misericordem, scio inuocatum recordaturum esse misericordiae suae, ideo precor ar-
dentissimis intimi pectoris mei gemitibus, ut misereatur mei, & condonet mihi
omnia peccata mea per & propter filium suum, & temperet lenitate ac clementia
iustissimam iram suam, nec accendat aut effundat in me vniuersam, Sed Coriner
suis respiciat afflictiones meas, & contriti ac humilis cordis mei anxietates non
auersetur aut despiciat, Acceleret ut oppresso mihi calumniose confictis praetex-
tibus opem ferat, ac vindicet innocentiam meam: imo gloriam & veritatem filij
sui propter quam sustineo haec odia, contemptum, insidias, exilia, carceres, &
aestimatus sum sicut ouis destinata mactationi, Nec sinat me confidentem in
ipsum in hac tam praeclara causa, in confessione filij sui Iesu Christi, & testi-
ficatione veritatis confundi et succumbere. TE supplex oro aeterne pater filij
tui coaeterni Domini nostri Iesu Christi, per & propter filium tuum, iudica cau
sam filij tui, assere & vindica veram eius agnitionem quae oppugnatur & oppri
mitur, & veram gloriam eius quae penitus obscuratur & deletur. Da testimonium ve-
rae doctrinae, declara iudicium de ea tuum illustri testimonio aduersus mundana
praestigias, calumnias & blasphemias. Da testimonium & meae innocentiae, &
me

me eripe & serva per misericordiam tuam, propter gloriam filij tui, secundum promis-
sionem tuam, in testimonium veritatis tuae. Tu scis Domine qui es καρδιο-
γνώστης, & introspicis penitus abditos atque abstrusos sensus pectoris humani, & oc-
culta omnia perspicis atque intelligis. Tu scis quod nulla prava cupiditate, nul-
la ambitione aut avaricia, nullo alieno affectu, nullis omnino, sicut mi-
hi tributum est, conspirationum aut technarum vel practicarum artibus, de qui-
bus nulla unquam cogitatio animum meum subijt, sed simplici, pio, recto, vero &
ardenti zelo, & solo amore veritatis tuae, doctrinam hanc, quam certo cognovi
tuam esse veritatem, & pro certa semel amplexus sum, meo loco adiuvi, ac pro-
movi, nec aliter quam me hoc loco & in hac mea vocatione ac statione decuit.
Tu scis insidiose ac calumniose quaesitos esse praetextus ad me innocentem
crudeliter opprimendum. Nec ad has adversus me molitiones & accusationes
tam virulentas, atroces & parricidiales cuiquam a me causam praebitam esse vel
minimam, imo ne occasionem quidem aut ἀφορμὴν ad suspicandum aliquid:
Nec laesum aut offensum a me esse quemquam inimicorum meorum ulla re
vel minima. Sed oderunt, oppugnant, exagitant & persequuntur me &
quaerunt animam meam sine causa, odio tui & filij tui Domini nostri Iesu
Christi, cuius veritatem oppressam volunt & extinctam, & ex oculis atque con-
spectu hominum prorsus ablatam, ne sint qui de ea loquantur aut testificentur,
ne innotescat ac propagetur. Tibi ergo, iuste iudex & vindex, tuam
causam

causam, gloriam, & veritatem filij tui, & meam innocentiam commendo, & tuae me misericordiae totum dedo & trado. fac enim servo tuo secundum misericordiam tuam, sed ad gloriam tuam ac filij tui Iesu Christi, in testimonium veritatis de filio tuo & meae innocentiae, & ad salutem animae meae. Propter te facias hoc, ser te, ne tu contumelia afficiaris, ne blasphemijs obruatur & extinguatur gloria & veritas filij tui Domini nostri Iesu Christi. ET TE Iesu Christe fili Dei Redemptor ac salvator generis humani in natura utraque divina aeterna & humana assumpta, μεσίτα ἡμῶν καὶ ἱκέτα, per viscera misericordiae tuae, per mortem & passionem tuam, & vulnera tua, TE supplex oro suscipe tandem defensionem tuae causae, & gloriam ac veritatem tuam vindica illustri documento ac testimonio iudicij tui, & afflicto mihi atque oppresso propter te & confessionem doctrinae tuae fer auxilium, & erue me ex cunctis necessitatibus meis. Hos gemitus meos exauditos esse & fore omni tempore certo scio, nec si mora intervenerit ac differatur auxilium & liberatio mea, propterea spem abijciam aut diffidam misericordiae divinae. Agnosco tamen & sentio pusillanimitatem meam & infirmitatem fidei meae exiguae & obscurae scintillantis in pectore meo: propterea clamo assidue, Credo Domine, sed opem fer incredulitati meae. Nec temporis, modum, aut media Deo praescribam, sed auxilio ac robore Spiritus Sancti patienter sustinebo Dominum & constanter expectabo certo promissam mihi & in corde meo testimonio Spiritus Sancti confirmatam & obsignatam liberationem. Ac vicissim toto pectore te precor

Spiritus

Spiritus sancte paraclite, ne deseras me, ne discedas a me, ne me destituas auxilio, consolatione & gubernatione tua, sed me vivifica, sustenta, robora ne deficiat fides mea, ne languescat invocatio & confessio mea, ne debilitentur spes meae, ne fractus mora & diuturnitate persecutionis fatiscam & concidam. Denique ne victus imbecillitate mea aut impulsus a Diabolo ruam in diffidentiam, aut dubitationes, vel in impatientiam, indignationem, aut fremitum adversus Deum, sed ut me vera abiectione humilians sub potenti manu Dei, & vera patientia atque obedientia paterna eius voluntati subiiciens acquiescam in Dei misericordia, perferam patienter & constanter hanc crucem atque ad liberationis tempus gratum expecto. Neutique casu mihi quicquam horum accidit, sed Domino placuit hoc modo humiliare me & exercere fidem meam, invocationem & confessionem, qui ad tempus ipsi constitutum veniens veniet. & nunc honore & gloria me excipiet. Etsi autem ut Dei voluntate haec acciderunt omnia, sic certus sum Deum patefacturum esse & ulturum innocentiam meam: tamen crudelis essem, imo scelerate agerem in meipsum & impie in Deum, in filium Dei, in veritatem de filio Dei, iniquus in posteritatem: si atroces & capitales accusationes mei, quibus praeter ius & fas intentatum est mihi vitae crimen, si ex his contextas & sparsas falsas, fictas, venenatas, cruentas & parricidiales calumnias mei silentio perpetuo dissimularem, nec relinquerem meis & posteritati meae, imo Ecclesiae filii Dei illustre, evidens & verissimum

testi

testimonium confessionis et innocentiae meae, quam si dicatur mihi ademisse jura
mentum quo teneor, priusquam defensionem causae et mei aggrediar, quod mihi licu-
erit hoc salva religione jurisjurandi facere ostendam evidenter: Si et hoc premi
sero quod me cogit facere conscientia mea. Cum eductus essem ex custodia
ad audiendam accusationem mei et sententiam, ea accessi perturbatione animi
prorsus fracti cum diuturnis et varijs morbis, quibus cum eram anno integro
amplius summo praesentique cum vitae periculo conflictatus, tum recenti morbo, quo
laboravi toto custodiae tempore, et diu post, ipsoque carcere et cogitatione de iniu-
ria qua afficiebar, ut consilij et mentis inops essem: Nec me colligere nec
perpendere possem quid ageretur mecum, quid spectaretur et quaereretur: quid
formula obligationis contineret: quae quomodo mihi extorta fuerit postea dicetur.
de Deum καρδιογνώστην testem invoco, quod insidias structas mihi hac for-
mula quae paulo post sese aperuerunt, nec praeviderim nec intellexerim. Non
tamen utor excusatione valetudinis et imbecillitatis meae, neque propterea contra
fidem et religionem jurisjurandi agam quicquam. Verba autem obligationis haec
sunt: Haec omnia me servaturum, neque extra vel intra has terras de his
scriptum, aut practicas facturum, nec sugillationibus, querelis aut sinistris
interpretationibus usurum esse contra magistratuum meum, gubernationem, et
incolas huius regionis vel voce vel scriptis, juramento corporali promitto.
His verbis quae obscura sunt, ambigua, captiosa prorsus ut pleraque, utrum

pro

prohibeatur non intelligo? An ne quid scribam aut moliar contra has terras quod pertineat ad causam ipsam: nimirum ad controversiam articulum de Caena Domini, cuius tantum fit mentio? An vero: ne quid faciam contra actionem praesentem? Ad caput causae, quod Architectus respexerit potius, litera propius et exactius considerata, et sine sophistica examinata, non obscure docet. Nimirum, ne quid ad quemque de hac controversia scribam, ne cum quoque, ut accusationis capita habent, conspirationes et practicas faciam, ne quae incitem contra has terras, ne obtrectem cuique, aut pergravem quemque quae rebus et sinistris detorsionibus. Nam ita respondent postrema prioribus. Actionis praesentis nulla prorsus fit mentio. Sed intellexerit sane Architectus utrumque. et caput causae et actionem praesentem! Primum ergo de capite causae respondeo: Si me de controversia in articulo Caenae Dominicae, nec scribere ad quemque nec cum quoque disserere voce aut scriptis, nihil huius causa moliri contra has terras sponte mea aut provocatum ab aliis, Architectus obligationis voluit quod impediret quoquo modo id quod in praesentia agitur: praestiti hoc bona fide et nimis religiose, praestabo idem deinceps donec hac te, ro in his vinculis et me promissum hoc obstrinxerit, etsi quale id sit manifestum est, Sed tamen ut me Deus exprimam ex hac impia servitute libe ret et statuat in loco spatioso pedes meos ad confitendum veritatem, toto pre cor pectore. Si libertatem confessionis edendae ita mihi adimit, ut ne

quidem

quidem mihi interrogato, iussu, aut si afflatur necessitas, liceat profiteri ingenue

aut libere quod sentio, quale sit iuramentum, aut quatenus me obliget Archi

tectus Tridenti. Quomodo enim, nisi impie & nefarie coget me facere contra tam

euidens & seuerum Christi mandatum, cum tam atroci comminatione coniunctum?

Cum negaverit me coram hominibus, hunc negabo coram patre meo qui in celis est.

Quid fieri enim immanius potest ab iis qui se profitentur membra Ecclesiae Christi.

quam in articulo controverso & pendente adhuc, nec definito authoritate & confes

sione publica Ecclesiae, iuramento adigere aliquem ad abnegationem uel occulta

tionem eius sententiae, quam in sua conscientia convictus testimonio Spiritus sancti

statuit esse veram? Neque etiam ego obtemperaturus memor regulae: Oportet

Deo magis obedire quam hominibus. Neque astrictus obligationi fuissem, si ingenium

quid & contra Dei postulatum animadvertissem. Et omne iuramentum re ipsa

tale debet esse, ne sit vinculum iniquitatis, aut ne exigat aliquid contra Deum,

cuius causa, veritas, & gloria semper excipitur. Si ergo mihi silentium con,

fessionis impositum est, liberat me ab hoc nexu, procul dubio, auctoritas divi

na, cum plena, imo summa potestate. Sed uero gemitu accuso & deploro

imbecillitatem seu iudicii seu animi mei, quod uel errore mentis, uel animi

fracti morbis, infirmitate & carceris diuturnitate sis multum astenserim obliga.

tioni impiae, non adhibita aut circumspectione aut conscientia iusta & debita.

Ac Deum precor ex animo, ut lapsum hunc meae imbecillitati quam detestor

vero

vero dolore mihi condonet, propter filium tuum Christum. Non tribuam tamen aut Architecto, aut cuiquam ex ijs qui fuerunt consilij, talem impietatem quod voluerint juramento mihi eripere potestatem liberae confessionis contra filij Dei severissima & minacissima edicta, si a me exigatur. Neque existimo hanc esse aut fuisse mentem cuiusquam. Si de praesenti actione imperatum est mihi silentium, religione iurisiurandi: at nullo verbulo mentio eius notatur. Et ut maxime Architectus significatam eam occulte enunciare velit generali illo vocabulo: neque extra neque intra has terras, de his me scripturam aut publicas factorum: nunquam docebit tamen aut nudam & simplicem narrationem facti seu rei gestae, cuius nulla fit mentio, interdictam, aut quod minus perstringitur, iustam & legitimam defensionem meae innocentiae mihi praecisam esse, quam nulla iura ulli hominum unquam denegarunt: sed potius, cui extorta vi vel fraude adempta fuit, ei illam restituerunt. Neque existimo ita cuiquam propositum fuisse ita mecum agere, cuius eum aut poeniteret aut puderet deinceps, aut de quo vereretur iudicia bonorum virorum & candide iudicantium subire. Certe tale debet esse propositum & voluntas talis eorum qui sunt in gubernatione. Quod si contendat Architectus exprimi hos sequentibus verbis: Me nec suggillationibus, nec querelis, nec sinistris interpretationibus nimium quam meum magistratuum, gubernatorum, incolas regionis, voce vel scriptis etc. Cogitabit iustam & legitimam defensionem non constare suggil-

lationibus

lationibus, querelis, sinistris detortionibus: sed demonstratione veritatis secundum leges. Obtrectationes, querelas, calumniosas depravationes prohibet formula. Haec artificia sophistica & sycophantica procul a me absint: quae ego abhorrui & execratus sum toto tempore vitae meae, ut simplicem veritatem e diverso semper amavi & colui. Ereptum opus est mihi praesidio tolli aut patrocinio, qui in causa versor sua semetipsam tuente & sustinente veritate atque innocentia &c. Eam quod mihi per hanc obligationem proferre non liceat, nemo sanus formula inspecta pronunciabit, sat scio. At si hoc etiam largiar, quod tamen nequaquam facio, restat tamen aliud adhuc multo maioris momenti: quod nihil horum, ad quae iste nimirum formula obligat, servatum & expolitum est, sed factum est contrarium. Venia datur mihi eorum quorum eram insimulatus: ac restituor in locum professionis meae: sed non multo post ex obligationis mihi extortae formula de iisdem institutum capitalis accusatio mei apud ordines harum regionum, me plane ignaro & inscio omnium quae fierent & agerentur. Nec ad excusationem & defensionem mei admittor, nec quaeritur a quoquam quo modo a me obligatio impetrata sit, quam ipse stylus orationis cum circumstantiis omnibus quae expressa sunt, satis aperte arguit & convincit extortam esse. Si ergo hoc licuit ipsis, mihi opponere accusationi defensionem non liceret? Sed debuisset, inquies, hoc fieri coram, in illo ipso accusationis actu. Debuissem omnino accersi ad audiendam accusationem: debuisset & defensio mihi concedi. Sed nequaquam factum, & occultata sunt ad me omnia, etiam

ipsa

ipsa sententia. Ego vero interea retinebar domi iuramento alligatus ad Urbem, ne ab ea latum unguem discederem sine consensu, scilicet, ne si quid compe-ristem, sponte accurrerem, & audiri excusationem meam peterem. Sed cum, in-quies, non faciebas hoc scripto? Quia ne proferrentur eo scripta, conducti e-rant magno numero, qui quicquid afferretur, id intercipérent omne, & de me inprimis inquisitum fuit accurate in eos qui Witeberga Torgam com-mearunt, scilicet: an quid a me scriptorum vel literarum apportarent? Quod ergo omnis mihi ex omni parte defensio mei fuit hactenus erepta, ut dixi, nec polliceri mihi in hoc exilio & in his aerumnis possim, an vita mihi suppeditura sit ad illud tempus usque, quo mihi occasio dari & facultas possit demonstrandi meam innocentiam: peccarem in Deum & Filium Dei, in Ecclesiam, in meos omnes, & ex me natos, si non ad posteritatem transmitterem certum, euidens & irrefutabile testimonium innocentiae meae & narratione rei gestae refutarem crimina mihi falso obiecta, & suspi-ciones iniquas de me conceptas, redarguerem calumnias & mendacia vul-gi rumoribus iactata, & eluerem notam infamiae nomini meo inustam iniuste & praeter omne meum meritum. Id faciam Deo me adiuuante & gubernante, citra contumeliam & iniuriam cuiusque, ea moderatione quam a me subiectissima mea conditio, fides, pietas, religio iurisiurandi requirit, ac profiteor protestando, sicut usitatum est, Deo in testem vo-

Cato

cato: Nihil me, cuiusq; suggillandi, nihil querulandi causa facturum, nihil ulla sinistra interpretatione depravaturum: Sed plane, sed simpliciter expositurum, quae causae meae & innocentiae tuendae ex toto cursu actionum necessaria fore intellexero, in quibus si quid forte excidit mihi dictum imprudentius, eius interpretationem volo apud me esse. Quod si quid etiam forlasse vel incautius vel incircumspectius dixero, quod reprehensionem mereri possit aliquam, de eo veniam mihi dari peto. Sum enim imperitus defensionum, quod vitam ad hunc modum institui ac traduxi meam ne mihi excusationibus aut defensionibus opus habendum fuerit. Quod si quis ex his etiam arreptum aliquid vel excerptum contra me violenter detorserit quocunq; fuco aut praetextu: de calumnia protestor. Nam mihi constitutum est laedere neminem, & intra metas me defensionis meae continere, quoad eius fieri poterit. Ordiar igitur a narratione rei gestae, quam ordine circumstantiarum & occasionum notatione commemorabo. QVO LOCO fuerim in Academia Witebergensi, & quae fuerint operae meae, non dubito constare omnibus, quibus innotuit nomen meum. Docui in ea annos viginti sex. Viuo socero meo Dno Philippo Melanthone beatae memoriae, Mathemata publice, Medicinam privatim. Eo mortuo in publica professione coniunxi cum Medica lectione enarrationem historiarum, & omne studium, operam, fidem, denique ingenii mei & corporis vires omnes impendi in Academiam, privatis rebus, studiis, commodis omnibus posthabitis. Hoc sancto conatu quantum divina benedictione navarim atq; effecerim, testari sinam alios. Mihi testimonium meae conscien

tiae

tia sufficit, in quo hilariter acquiesco, contentus publico laborum meorum fructu, qui ad innumeros rediit, & illo praeclarissimo flore Academiae, quam multi praestantes viri coniunctis mecum summa fide & acerrimo studio operis ad summum usque extulerant, quos velut in una navi mecum vectos una communis tempestas obruit, oppressit, dissipavit, etsi privati fructus nonnihil laboribus responderunt. Ex Academiae florentis celebritate innotuit Aulae inter alios & meum nomen familiarius aliquanto quam antea, ut non abhorrerent ab amicitia mea aliqui e praecipuis, quorum honorificis de me sermonibus tandem efficiebatur ut venirem in notitiam Illustrissimi principis Ducis Sax. Electoris Augusti etc., cuius erga me benevolentia, cum mei crebra mentione augeretur, accersebar frequenter in aulam cum ad colloquia cum principe ipso, cum ad quasdam de doctrina nostra philosophica scriptiones, quibus ille delectabatur, ac tandem adsciscebar inter Medicos stipendio annuo, non ut adessem perpetuo, sed ut accederem evocatus. Etsi autem magno studio aulam semper fugi, Deo teste & amicis qui meorum consiliorum conscii fuerunt, seu quod natura abhorreret mea a moribus aulicis, seu quod occulto praesagio alicuius magni mali refugeret animus: autoritati tamen & voluntati principis pertinaciter & morose mihi repugnare non licebat. Ita pertractus sum in aulam, sed ne tamen a schola penitus abstraherer. Ea me autem clementia complectebatur Princeps Elector, ut quantum apparebat, libenter & facile ferret praesentem: sed

ne mea praesentia offenderem quemquam, & ne tanta clementia abuterer, mihi omni
modo cavendum existimabam; in quam rem tanta cura, tantaque contentione a-
nimi incubui, implorato simul ardentissime auxilio caelesti, ut ne nunc quidem
recordari possim quid commiserim, quo se quisquam laesum esse iure & merito queri
possit. Si nimia in me clementia assit aemulos, veniam mihi dent obsecro
quod me cum summa clementia coniuncta odia acerbissima interdum & inscium
sustinere oportuerit. A mendicitate aulis usitata adeo abstinui ut ne
quidem in summis propensissimae & addictissimae mihi voluntatis occasionibus
quicquam voluerim in rem meam aut meorum petere aut facere, sed ad Acade-
miam conservandam & amplificandam quod converterim hanc benefaciendi occa-
sionem libenter confiteor, cui me accessiones non mediocres impetrasse cura &
amore posteritatis notum est vulgo. Crescebat autem clementissima erga me
benevolentia principis utriusque indies, donec ad hunc summum gradum perve-
nisset ut cum Witebergae essent, vellent caenare in meis aedibus, & ut me pau-
lo post adhibere avado Xop vellent Baptismo filii recens nati principis Adolphi
cuius laudatissima memoria sit in benedictione. Ad hoc quasi fastigium
summae benevolentiae, quod intelligerem adiici nihil amplius posse, de inclina-
tione gratiae coepi metuere. Cogitabam enim subitos aemulos qui omni genere
insidiosarum machinationum hanc essent oppugnaturi eousque donec aut in-
clinatam labefactarent, aut penitus extinctam esse in odium mei converterent

Nec fefellit me haec cogitatio, ut docebat eventus paulo post: Nec ignorabam etiam quo me praetextu adorturi essent & oppugnaturi. Versabatur .n. id in ore multorum, nec admodum occultabatur. Multos annos inde usque ab obitu Soceri mei accusor quod non idem sentiam de Cena Dni quod videri volunt sentire vulgus Theologorum, mirifice inter sese discrepans, implicatione contradictionum tam multiplici, ut hoc ipsum quod videri volunt retinere modicis tamen fundamentum opinionis suae, id penitus evertant, & si urgeantur vel impingant frequenter in scopulos mysterij summi, scilicet incarnationis filij Dej, seu unionis hypostaticae duarum naturarum in Christo, convellantque ac deleant totam alteram partem symboli de natura humana in Christo, & de redemptione generis humani quae est commune opus naturae utriusque divinae & humanae, vel suis ad eum modum iactantur tricis atque involucris, ut, velint nolint, cogantur fateri se cum Pontificijs item sentiendo, stabilire idolum missae idolatricae. De hac re me suspectum esse Principibus non ignorabant, vel potius id certo sciebant: Nemo tamen ex illis me interrogare, & mentem de hoc articulo explorare meam fuit ausus unquam. Idcirco etsi bene intelligebant, non ullam aliam causam ad me opprimendum speciosiorem & accommodatiorem se adepturos esse, quod norant infensissimos esse principes nomini Calvinianj dogmatis, & principem Dominam inprimis, aliquo tamen & occasio ad me invadendum deerat. Hanc

asserebant

adferebant dno à Theologis Academiae Witebergensis edita scripta: Catechesis.
& alterum cui titulus est Grundfest: de quorum vtroque iudicium in hanc
sententiam declarabam meum, vt ipsis etiam principibus ostenderem, Me vtrumque
magnopere probare, & toto amplecti pectore. De altero vero prolixiore libro, qui
purioris & orthodoxae Ecclesiae doctrinam de filio Dei vero Deo & homine inte
gram & ex antiquitate, magna dexteritate & perspicuitate repetit. addebam hoc
etiam: Non esse Ecclesiam veram quae hoc fundamentum prophetarum, Christi
& Apostolorum non teneat: Nec me esse velle aut futurum unquam civem eius
Ecclesiae, quae contrarium doceat aut profiteatur. Accipiebatur Cate-
chesis initio cupidissime, & arridebat maxime propter succinctam & captui
tenerioris aetatis attemperatam perspicuitatem, Sed quidam in eam Lamiae
mordicus irruerent, & decerpta inde verba: Caelo capi: exagitarent, quod
ea subvertere & evertere corporalem praesentiam Christi in cena viderentur, quae
Christum caelo includeret, repudiata & manibus discentium excussa, devovebatur
diris & execrationibus. Prodierat autem in lucem grandior ille liber
cui titulus G fundamentum, eo ipso tempore quo aderam ego principibus Stolpenae.
Eius exempla aliquot ad me miserunt Theologi, quae & principibus offerrem,
& distribuerem ijs qui sunt in consilio principum. Captabam igitur offerendi oc-
casionem: eam videbar mihi adeptus post quoddam cum principe Electore col
loquium, in quo hilari animo ille se curaturum ostendebat vt coetus vniversorum

qui

qui in harum suarum terrarum Ecclesijs docerent, liber subijceretur, & consensus de ea parte doctrinae ut constitueretur: quod mihi consilium valde placebat. Sed cum librum Exiterum, grauiter praeter meam spem offendebam commotum publicatione libri, quam fieri interdicto voluerat. Ego qui de interdicto nihil quicquam praesciueram, quod responderem, aut saltem quomodo Exensatem non reperiebam: Sed veniebat in mentem quod publicationem forte interdictum anteuerterent: itaque ita se habuisse post fuit compertum. In eo colloquio incidebat & mentio Catecheseos, & cum quadam indignatione erumpebat in has princeps Elector voces: Vsurpari eam in omnibus scholis illustribus. Ego qui, Deo teste, tum id ignorabam, quantum mihi constabat respondebam, Me eius rei conscium non esse. Ab hoc colloquio incipiebant me inimici mei persequi, & oppugnare atrocius atque audacius, & remouere paulatim ab aula, ut mei principes sensim obliuiscerentur, & ne mihi ad eos suspicionibus quas de me conceperant diluendis pateret aditus. Longum foret percensere omnia, quae de me conficta fuerunt: Et sunt inter haec non pauca ieiuna & ridicula, grauitate aulica indigna, quaedam satis virulenta, quale est mortem innocentissimae animae principis Adolphi fuisse poenam facti principum, quod me plane immersum Sacramentario veneno voluissent astare baptismo testem. Domesticis sese coniungebant externi, & inter hos quidam scelerate mentiendo scribere non erubuit Me ad Conclaue

principis

principis Electoris, quem eodem veneno infectum prorsus occuparim, excu-
bare solere sicut Molossum, ac prohibere ne quis ingrediatur, a quo de erro-
re admoneatur, & rectius instituatur: de qua re cum suavi quondam prin-
cipem dominam compellarem, & quanta mihi struerentur insidias quererer, con-
temnere eas & animo bono esse fiducia innocentiae meae iubebar. Interea
nihilominus pergebant inimici mei conquirere undique, quae me quacunque
specie aut praetextu quocunque gravarent, et coeptam iam gratiae incli-
nationem magis magisque impellerent: quod cum obtenta excitatione mei esset
factu facile, cito rem perducebant eo, ut cum alibi tum in scholis Illustribus
fierent inquisitiones, quid dictum, quid factum a me esset. Cumque in schola
Portensi invenissent Catechesin Witebergensium, ut quasi palmario reperto exi-
lirent gaudio, nec prius acquiescerent quam Rectori scholae epistolam extorsis-
sent meam, qua cum miseram ad eum Catecheseos exempla. Hanc nacti
epistolam non tantum mirifice in me principum animos inflammabant,
sed fidem mihi omnem detrahebant atque autoritatem, congestis in me suspi-
cionibus, quod consilio cum fratrum Stolpena, tamen id insidiose occultarim,
scilicet ut virus Sacramentarium confirmaretur in aetate tenera & cresceret.
Quod ergo vehementer hae suspiciones pungerent animos principum, accidebat,
ut cum principes in Daniam profecturi Witebergae subsisterent, cum Theologis de
Catechesi agerent, me de Epistola compellarent. Theologi parvis mutis ad

ditis

ditis declarationis causa, ita satisfaciebant principibus ut iuberent recu-
dere Catechesin cum privilegij mentione, & eandem in linguam patriam
convertere ad usum imperitorum Latini sermonis: Sed editio postea impedita
est. Compellatio ad me directa duo continebat: Primum quod mea
me epistola convinceret eius, cuius me conscium esse negassem Stolpenae,
Alterum, ut a Theologicis negocijs abstinerem. De priore capite respon-
debam quod tunc responderam, Plane me non scivisse Catechesin in Scholam
publicam receptam esse, nec mihi in mentem venisse epistolam scriptam ad Rec-
torem: neq. id mirum esse, qui tot numero soleam scribere epistolas quotidie
ut singularum meminisse sit impossibile. Si illud scivissem, huius
fuissem recordatus, uno me verbulo defungi periculo, & suspicionem omnem
sinistram diluere potuisse, suadendo ut iuberetur Rector mandato illustris-
simo usum Catecheseos intermittere. Neq. sabiusse me cautus cur invidiose
occultarem hac in parte aliquid, cum occultatio periculum mihi certum cre-
atura erat, Confessio non erat. Et cur negassem eum librum a me ad
Rectorem missum esse, quem ad ipsos miseram principes, apud quos de eo
quid sentirem, non dissimularam. Cum vero potuerim scire lectionem
Catecheseos inchoatam esse, cum nulla praecessisset inspectio: Nec fuerit
hactenus usitatum mittere in lectionibus Scholarum quicquam sine consilio eorum
quibus inspectio sit demandata: Rogare igitur me, ut Sublimissime me excusent.

A

A Theologicis negocijs me libenter abstinere uelle: Nunquam enim me illa attigisse nisi attractum. Huic meae excusationi, Poriceo responsum referente ita acquiescebat princeps Elector, ut nihil desideraret amplius, sed ut per Poriceum addicto mihi & mensae suae adhibito clementissimum se exhiberet & placatissimum. Reuertentes ex Dania principes antecibat Poriceus, aeger corpore ex quartana: cumque apud nos diuertisset, accersito mihi ad se praedicabat concordiam Ecclesiarum regni Danici cum nostris Ecclesijs, de qua etsi laetabar, tamen metuere me significabam nouam tempestatem, quod scirem non quieturos esse qui odium implacabile aduersus hanc Academiam & nonnullos in aula huic Academiae addictos concepissent. Non fallebat me hoc animi praesagium. Nam vix reuersis principibus & Germanicae Catecheseos editio impediebatur, & paulatim odia in Theologos exasperabantur, ita ut ego semper implicarer, qui tamen eos fugere etiam iussus. Nec implicabar tantum ut socius operarum, sed ut auctor & dux consilij de editione utriusque Catecheseos & fundamenti, & quasi fax certaminum motorum accusabar. Cum ergo hoc modo recruduissent odia in me: accidebat ut graui morbo opprimerer; eo aliquot recidiuis difficilimis & periculosissimis cum extremo vitae meae discrimine excitato, supra anni integri spacium, aliquantulum parcebant mihi inimici mei usque ad editionem Exegeseos, quam etsi tam grauiter tanto tempore decubuissem, & tunc etiam vix spirarem: mihi tamen tribuebatur, me autore re nata, suasore edita, hortatore diuulgata ferebatur. His delationibus

refricatum

refricatum vulnus in animis principum & irritatum efferuescebat vehementius. Mittebantur legati, qui de autore, de typographo, de omnibus editionis consiliis accurate inuestigarent, & de libri publica venditione cum Academia expostularent. Aegre domo tunc egredi poteram, nondum ex recidiua sexta eluctatus: Prodibam tamen, ne fugisse congressus deliberationum publicarum dicerer, male conscius. Responsio dabatur legatis, qua principibus satisfactum esse fama erat: sed illa mihi tantum profuit, ut paulo post principes denuo lacessiti nescio quibus Aulici conuiciatoris vocibus, atrocius in me & alios quosdam quam unquam antea excanduerint. Recensui hactenus, quibus initiis coeperit & quibus creuerit gratia erga me aulae, & quomodo rursus facta mutatione illa inclinata sit paulatim, mox tota interierit, in odium commutata tantum, ut dubitem, gratiane maior, an vero acerbius odium fuerit. Nunc exitum concepti odii exponam, qui ut caput tragoediae totius, sic huius narrationis pars est praecipua. Sancte affirmo me ruinam casi citius venturam fuisse, quam tam subitam & inopinatam, tam institutam insidiose, artibus talibus instructam oppressionem mei. Norant optime inimici mei, in qua essem sententia, etsi me non interrogarant neque id se scire dissimularant. Causam autem cum odissent, tulerant me tamen tam diu clementer, nec in me versantem in aula manus extenderant suas, imo ne signa quidem animi inclementis aut alienati ulla unquam coram ediderant, sed me honorarant. Non suspicari igitur, imo ne somnia-

re

re quidem poteram, futurum unquam ut hoc modo opprimerer, & propter hanc causam, & hoc ipso tempore, qui nondum superata sexta morbi diuturni recidiva, nec recollectis viribus aeger admodum, vix spiritum trahebam. Sed venerat, ut Christi verbis utar, hora constituta & potestas tenebrarum. Quomodo cepta haec fuerint in aula, & cum aliis pluribus quid actum sit non referam: mea persequar.

Calendis Aprilis anni millesimi quingentesimi quarti & septuagesimum, venit ad me praefectus munitionum in oppido Witebergensi & prolatis literis manu principis Electoris scriptis mandata se habere ait severissima, ut me aresto obligatum, iubeat Dresdam quamprimum accedere, sed domi prius aperire musaea, concamerata conclavia, arcas, & alia arcaniora repositoria, ut inde auferat literas quascunque reperiret, germanicas, graecas & latinas. Ego, qui aeger ex morbo eram & vix ossibus haerens, ne cogitare quidem poteram, quorsum ista tenderent, aut mihi quid respondendum sit vel faciendum, obtempero, stipulata manu, me affuturum Dresdae promitto, resero omnia in domo mea, etiam arcanissima, ne occultatio in exulceratis animis, vel commoveret vel augeret suspiciones de me sinistras, conquiro & profero literas quas noram & comporto in unum acervum. Eas in cistellam non magnam, quod non multae essent, coniectas praefectus aufert. Sub vesperam quod non citius possem, iter ingredior, quinto die Dresdam venio, in itinere septimam ex maerore animi passus recidivam. Dresdae dominum dictum ingressus, iubeor ascendere in arcem,

intro

introducor in conclaue custodiae meae destinatum, in eo conclusus ab Excu-
bitoribus noctu diuq. custodior. Mitto ad principem Electorem epistolam
supplicem, in hanc fere sententiam: Me ubi iussus fuerim admisisse, & item
fassurum fuisse, quae me cumque terrae loca habitassent, uocatum paucis uerbis, quod
tam praeclara sit mea de clementia Cels. suae opinio, ut non dubitem, quibus-
cunq. sit suae Cels. delationibus offensa, quod sit clementissime auditura &
admissura excusationem meam: Me uero ita mihi conscium esse, ut sciam cer-
to, non me quemquam hominum post Deum, aut maiore reuerentia animi ac
subiectione fideq. quam Suam Cels. coluisse, aut laudibus extulisse maioribus,
& in hoc me incubuisse unice, ut de his terris mererer optime, cum domi
recte consulendo Ecclesiis & scholis meo loco quantum possem, tum his conciliando
externas, efficiendoq. & adiuuando concordiam, & ut uera ornamenta harum
terrarum meis scriptis celebrata innotescerent exteris. Quapropter me pe-
tere, qua par sit & fieri possit subiectione animi, & propter Deum, ut cum
Valetudo mea afflicta grauissime fiat deterior indies, Sua Cels. iubeat pro-
ponere mihi causas meae custodiae, & cognoscere defensionem meam, meq.
carcere liberatum dimittere ad locum & operas stationis meae. Non dubitare me
enim, quin satisfacturus sim Cels. suae: & ut maxime commissum repe-
riatur a me aliquid errore aut imbecillitate, quo de offensum iure queri pos-
sit: Suam Cels. tamen id condonaturam esse clementissime & imbecillitati

tribuere

humana & mea perpetuâ constantiq. fidei ac voluntati erga suam Cels. & meritis in has terras. Errare me potuisse in consilijs: Voluntatem vero & studium recte faciendi semper fuisse eandem & optimam, Deo teste, Ideq. me iterum subiectissime, & propter Deum petere. In hanc fere sententiam (nam omnia verba mea non memini) cum scripsissem libellum supplicem: respon- sum accipio, quo iubear bono animo esse. Res meas meliore loco esse quam existi- mem, nec mihi defuturum quicquam in custodia. Morbo ingravescente, peto admitti ad me Doctorem Joannem Naevium Medicum beatae memoriae, ut de valetudine eum consulam. Is significat mihi de Exegesi conscripta & edita me suspectum esse. Respondeo: Exegesin ante editionem mihi nunquam vel visam vel auditam esse, nec de editione mihi constitisse quicquam; quod eo tempore, quo prodijt illa, extremo cum vitae periculo luctatus sim. Id colloquium cum displicuisse Principi Electori comperissem, nolui D. Naevium ad me redire, quaecunq. sane mihi accederent. Nono demum die a custodia producor a quatuor stipatoribus ad consilium principis Electoris. Ibi de quatuor ca- pitibus accusor, perorante Laurentio Lindemanno JC Doctore, qui consilij & actionis caput erat: quod per conspirationes & practicas, novum Sacramenta- rium dogma conatus sim invehere in has terras: quod libellos de hoc sparserim: quod confirmarim in hoc theologos harum regionum: quod externos theo- logos incitarim ad idem faciendum. Respondeo: Nullarum me mihi

conspi

conspirationum aut practicarum conscium esse, nec me edoctum esse aut as-
sue factum ad practicas, aut scire quomodo fiant conspirationes. Scire me cu-
pere, qui sint quibus cum conspiraverim. De novis Sacramentario dogma-
te me respondisse, ubi meos libellos protulerint, quibus id sparserim. Nec
minus mea interesse ut conscientiam meam coram Deo integram & incorruptam
Deo, & animam innocentem Christo reddam: quam ut fidem probam meam principi
Electori. Non me reiicere manum meam, satis mihi fore si protulerint
quae mihi tribuantur, & pro meis habeantur: Ea me enim agniturum si mea sint.
Ex Theologis & Concionatoribus harum Ecclesiarum, si aliquem produxerint, qui sit
auditus dicere a me quod sit invitabis, aut animatis, aut si meas ad quemquam
eorum ostenderint literas, me responsurum: Idem me facturum de Externis.
Contrarium his me potius probaturum, quod Corpus domini & Confessionem Dres-
densem sicut nominatur, plurimis Externis commendarim, Principibus &
alijs inter summos ordines, consultus ab ijs; ac suaserim haec ut amplectantur
& cum Ecclesijs harum regionum se ut coniungant, nec formulas novas cu-
di sinant, sed ad doctrinam sonantem in his suas confessiones ut componant
& accomodent. Cum desijssem loqui, nominantur a Lindemanno in-
ter eos cum quibus conspiraverim D. Georg. Cracovius & M. Christianus aulae Concio-
nator. Addantur ergo illi, inquio, & audiamus de quibus rebus & quando
conspiraverimus. & quas fecerimus practicas. Mihi de nullis constare.

Profe.

Proferebatur epistola à me ad M. Christianum scripta, in cuius priore parte horta-
bar eum ad moderationem, ne cum collega contenderet suo. Hac me, inquio,
epistola excusat, de eo ipso de quo accusor. Iubet Lindemannus ut pergam. Ibi
cum incidissem in haec verba: Veritas q tot profluuijs sanguinis in Gallia &
Belgio extingui non potuit, in his terris tandem est triumphatura. Haec verba,
ait Lindemannus, offendunt Electorem. Ergo, inquio, veritatem ferre non potestis?
Et certamen praecipuum est de secundo articulo symboli, de incarnatione filij
Dei, seu duarum naturarum unione hypostatica in Christo. At non, inquio,
de hac controversia praecipuum certamen est. Sed alterum, inquit, illi cohae-
ret, de Coena Domini. Non cohaeret, aio, sed falso inde deducitur. Si disputare
voles, inquit ille, longum erit. At me scire tamen oportet, inquio, quod
novum Sacramentariorum dogma invexerim? Non dubitare me tamen qd
semper in animo habeam meo, saepe in ore, filium Dei tolleraturum esse tandem il-
lustri testimonio suum de veritate iudicium, & certamen hoc dirempturum. De ex-
ternis cum quaererem, nominabatur Beza, quem incitarim. At ego, inquio,
à Theodoro Beza ex eo tempore quo mihi cum eo notitia fuit & amicitia,
ut cum viro docto, inde usq à Colloquio Wormatiense paucas supra ter-
nas epistolas non accepi, & de hoc argumento nullas. Nec ignorare me, inter
eas quae mihi ademptae sint, unam Bezae repertam esse quae satis doceat,
qualia sit solitus & de quibus rebus ad me scribere, nimirum de publicis
regni

regni Gallici, & alijs quæ ad historiam rerum gestarum pertineant: Nec me intra annos sex ullam vel ab eo accepisse epistolam, vel ad illum misisse. Hæc cum dixissem, iubeor secedere. Interea abit ad principem Electorem Lindemannus. Eo reverso revocor. Repetuntur capita accusationis paulo atrocius. Nominatur M. Mauricius Hellingus qui docet Norimbergæ in Schola ad S. Sebaldum, ad quem de hoc dogmate scripserim. Peto proferri scriptum: Nam illo viso me responsurum esse, Alienis nolle me patrocinari. Circumferri et scriptum, quo dicar D. Mordisio exposuisse sententiam meam: mihi visum id non esse, & petiuisse me exemplum ab ipso viso, sed illum respondisse, nullum a me quod acceperit. Neque me ignorare, quod me etiam Exegeseos autorem fecerint. Non velle me vendicare mihi aliena, nec eadem ab alijs tribui. Meorum si ea protulerint, Deo adiuvante, defensionem mihi non defuturam esse, cum praesertim conspirationum & practicarum accuser. Sed de doctrina ille denique nullum verbum amplius. Quod ergo nihil praeter hoc requirit Lindemannus: Ceteri enim tacebant omnes: profert formulam obligationis. Hanc si accipies, inquit, liberaberis e custodia. Sumo eam in manus, ac lego: inter legendum ita consternor animo, ut pene exanimer. Atrocior enim multo erat utraque accusatione prima & iterata, ut satis appareret, me condemnatum fuisse prius, quam auditus & convictus essem. Continentur autem in formula obligationis hæc capita: Me cum antehac

xelligisse

religiose promiserim & spoponderim, quod a negocijs theologicis prorsus abstine-
re velim, neque in his quicquam, sicuti ante fecerim, per practicas facere, scribere,
aut spargere, illud tamen non praestiterim. Item, in meis chirographis repertum est
ad aliquos quod scripserim, cum illis conspiraverim, practicas fecerim, occulte
subegerim, & diligentissime curaverim ut novum Sacramentariorum dogma in
terras Electoris Sax. introduceretur. Item: non intermisisse me alios incitare &
animare. Item, Exteros etiam & de hoc dogmate suspectos me instruxisse, quo-
modo hoc dogma propagare in his terris debeant. Item, in hunc finem meipsum
scripta sparsisse & publicasse. Propter haec Electorem Sax. causas habuisse in me
gravius & severius animadvertendi, sed deprecationi meae & intercessioni alio-
rum tributum esse ut liberarer e custodia & ab aresto, hac tamen conditione ut
muneris visitationis scholarum illustrium, & inspectionis atque examinis beneficia-
riorum mihi adimatur, & ut aresto sim alligatus ad urbem Witebergam,
inde iniussu sua Cels. non discedam, Et ut soli professioni Medicae & Historia-
rum diligenter operam dem, a practicis & conspirationibus ut abstineam. Haec
omnia quod tanquam a singulari clementia profecta, submississime cum gratia ac-
ceperim ac promiserim corporali iuramento quod ista sim servaturus: & quod
neque extra neque intra has terras de his sim scripturus aut practicas factu-
rus, nec suggillationibus, querelis aut sinistris interpretationibus usurus
adversus meum supremum magistratum, gubernationem & ordines huius regionis

neque

neq. contra quid facturum scripto uel ore. Praeterea promisisse me quod religiosa fide, quod ex urbe Witeberga, iniussu sua Cels. me non commouere, & in ea nihil moliri aut conari velim, quod nominari aut quod humana ratione excogitari possit. Quod haec omnia fide constanti, ut veritas postulat, sim seruaturus etc.

Hanc cum legissem formulam, ita consternabar, ut pene exanimarer. Respondeo tamen quantum mihi per afflictissimas vires animi & corporis, & hac recenti perturbatione prostratas concedebatur. Meministis, inquio, quae fuerint Capita accusationis meae, quae mea responsio. Scitis me nullius horum, quorum accusor, conuictum esse: Nunc profertur sententia ipsa accusatione atrocior: Quam accipere non possum, nisi meipsum insontem crudeliter condemnare velim confessione criminum quae admisi nunquam. Prouoco ad vestras conscientias, inquio. Fateri vos oportet quod summa iniuria afficiar. Prouoco iterum. Tacent omnes praeter unum Lindemannum, qui Generalia haec esse respondet. At haec generalia, dico, me iugulant, sub quibus reconduntur alia specialia, quibus haud dubie quaeritur & petitur aliud. Tacent iterum omnes. Ego ad preces me conuerto. Videtis, inquio, quanta sit afflictissimi corporis mei imbecillitas, quod propter exhaustas & fractas vires corporis sim inops animi & consilij: Nec habeo quemquam, quocum communicare de his & deliberare possim, quibus periclitatur fama, existimatio, salus mea. Obsecro igitur vos quos cognoui esse amicos meos, ne me in hac tanta & tam difficili

Causa

causa deseratis authoritate, opera & consilio vestro. Obtestor iterum atque iterum. Ta-
cent attoniti omnes, & conversis oculis Lindemannum intuentur. Is formulam
quam receperat, manu tenens abjicit cum quadam indignatione: Velim, inquiens,
vos vel egisse hac, vel afuisse & didicisse, quantum obtinere potuerit. Ego opem
& fidem illorum implorare non desino. Tacent caeteri: Duo vero, Bernsteinius
& Cancellarius respondent: Non posse se hoc tempore, si carcere liberari velim,
aliud mihi consulere quam ut conditiones has accipiam. Futurum ut mitigentur
omnia deinceps. Nosse me principem Electorem. Conqueror iterum quomodo
me onerare culpa non commissa, & mea confessione condemnare debeam. Quod
cogitarem autem condemnatum me prius fuisse quam auditus essem, & proposita esset
ἅμα δίκη καὶ κηρύκειον, accusationem simul & condemnationem: nec mitiga-
tionem me ullam inspectaturum esse. perturbatione animi summa, in illa mea
imbecillitate attonitus provoco ad Tribunal Dei. Si ergo, inquio, aliter liberari
non possum provoco ad Tribunal Dei justi judicis & vindicis, quod hoc modo
mecum agitur, & quod pro meis in has terras meritis talis mihi gratia refertur.
Tacent iterum omnes. Ego formulam describo, obsigno, & juramento con-
firmo. Ita dimittor. Remittor Witebergam ad stationem & operas meas,
praesto quantum per vires licebat, quas recolligere sese non sinebat insita
& penitus infixa animo maestitia. Cum alebat recurrens subinde ac reno-
vans memoria totius actionis perlatae. Non veniebat tamen in mentem

alterius

atrocius aliquid molituros in me & suscepturos esse inimicos meos. Sed diebus non ita multis elapsis, permulgatur fama, conuocari ordines praecipuos harum regionum Torgam, ad deliberationem de Caluiniano dogmate penitus extirpando: susurro uago & obscuro obmurmuratur etiam de nobis qui Dresdae jam absoluti eramus, atrocius accusandis, & rogandis in nostra capita sententijs. Haec etsi me valde angebant: tamen & mea me conscientia consolabar, & futurum sperabam, ut non pronunciaretur de capite meo priusquam essem auditus. Conueniunt Torgam ordines. Initium fit deliberationum a capitali accusatione nostrum, D Peucerij, D Stoessij, M Christiani, & mei. Proferuntur fundamenta accusationis: extortae confessiones, & ereptae nobis literae priuatae: inter quas feruntur fuisse & meae aliquae ad M Christianum, sed mihi nunquam propositae, quibus quid contineatur, ne hunc usque quidem cognoscere licuit. Ordines pronunciant satis nos poenae iam sustinere, neque eam se exasperare posse. Plerique sunt in hac sententia, intercedendum esse pro nobis, ut solutis nobis aresto, opera nostra seruire concedatur alijs. Sed differendam adhuc esse intercessionem censent alij, recenti ira & indignatione adhuc feruentibus principibus. Confirmatur ergo Dresdae lata sententia, & de me quidem ut relinquar Witebergae in mea statione. Hanc quod uideretur mitior esse quam expectabatur, pro exaggeratae accusationis atrocitate, parum gratam sibi fuisse ostendit Elector: jubet & minas addi, nimirum in sua potestate futurum, quid de nobis statuere uelit. Tertio igitur ab hoc conuentu Torgensi

mense

mense rursus euocor Torgam, ubi consilium ex mandatis quae habebat indicat mihi, constitutum esse Electori, me Witeberga transferre alio, et iubet ut locum alium in his terris quem velim eligam. Qui aderant Friburgam nominant. Respondeo, tunc etiam, vix animam ducens, prae magna corporis et animi aegritudine, quae eousque me continuo afflixerat, irritata subinde et exacerbata novis paroxysmis et caussarum evidentium, et morbi ipsius: Respondeo igitur, certe me habiturus et obtemperaturum Principi Electori, idque me iam etiam facturum esse, nec si aliter faciam profuturum id mihi: de loco me acquiescere, sed petere me ut me senes[cen]tem iam liberaliter Cels. sua alat, et faciat mihi potestatem libere exercendi artem medicam. Benigne pollicentur qui aderant, sed iubeor expectare ad dies aliquot. Tribus septimanis elapsis revocor ad Consilium: reperio mutata omnia: Instituitur iterum examinatio mei. Adiurat me propemodum Lindemannus per fidem, religionem iusiurandi et conscientiam meam, et si quid sit amplius, ut ingenue confitear et enunciem quantum mihi constet de practicis cum Palatinensibus quae factae sint, et cum D. Cromero inprimis. Benigne pollicentur de gratia principis quam excideram: Recuperare me illam posse si libere et aperte quod sciam de his rebus proferam. Respondeo igitur, Cum me cum obtestatione interrogatis, eadem ego religione proferam de his cuncta, et ita proferam, ac si consistere nos omnes ante faciem et tribunal Dei, ubi scitote me hanc responsionem daturum esse. Nihil mihi quicquam constat aut cognitum est unquam de ullis practicis, et de Palatinensibus nihil inprimis, nec quas ullis intelligo.

Non

Non sum ego solitus technas struere, aut conflare practicas, harum imperitus prorsus. Et scitis vos omnes, me in aula semper aliena a me negotia fugisse procul, neque ullis unquam me admiscuisse, neque accessisse ad ullos principum legatos, nec inquisivisse de negocijs & caussis adventus. Nec mirari satis possum, cum ab omni suspicione hactenus liber fuerim, quod nunc in suspicionem trahar, & in me tanquam consciam practicarum quid inquiratur. Ad principem Electorem Palatinum, nihil unam epistolam non scripsi, quando mihi ad eum partem scriptorum soceri mei, quam sub nomine & patrocinio ipsius emiseram. Scripsi epistolas aliquas etiam ante multos annos ad Cancellarium Doctorem Christophorum Probum, sed familiares tantum, quibus Scholasticos ei commendavi. Est mihi praeterea amicitia cum viris doctis aliquot, cum D Ursino & aliquibus ex posteritate & propinquitate soceri mei: ad hos etiam familiariter scribere sum solitus. Sed haec quid ad conspirationes aut practicas? Cum D Chemnio notitia mihi fuit, familiaritas nunquam. Non scripsi ad eum, neque quotiescunque fui ipso praesente in aula, accedere ad eum sum solitus. Witebergae quod fuerit scio: sed me absente id factum: Nec quis cum eo fuerit, aut quid egerit cum quoquam, percunctatus sum. Peto igitur ne me iniquis suspicionibus pergravetis innocentem, et culpa me hac in parte carere antea satis ostendi. Non me obsecro aestimate tam stolidum, aut inevigilantem esse vel fuisse, ut non perspexerim quid mihi decuerit facere

facere: quae ne cum periculo aliquo coniuncta viderentur. Nam tum, inquit Lintemannus, tuâ causa quaerimus, quam de alijs quid tibi sit exploratum? Non plus inquio de alijs scio quam de meipso: & quid scire possum qui ad nulla accessi, nullis adfui aut interfui, nullis ingessi aut admiscui me negotijs & deliberationibus alienis à mea vocatione. Sed cum tanta cum obtestatione postuletis ut quod scio non occultem, dicam quae me occasiones his negocijs & certaminibus implicarint. Illmus Elector Palatinus petebat à socero meo, ante mortem anno proximo (Epistolam manu Electoris scriptam non dubito inter meas repertam esse) ut suam de controverso articulo Caenae dominicae sententiam aperire sibi & communicare vellet. Id fecit breui epistola, quae cum mortuo socero typis evulgata in multorum manus pervenisset, multi cum magni nominis & perspicuae dignitatis viri, tum privati amici etiam quaerebant ex me de hac epistola, quantum constaret mihi, & de controversia ipsa quae ex socero meo audivissem & cognovissem. Non occultavi id ad quemque me interrogantis id facere debuj. Sed citius credidissem caelum in me ruiturum esse quam suspicari potuissem futurum, ut meae privatae literae unquam ad privatos scriptae de controversia nondum explicata aut definita certamini publico, ex soceri sententia traherentur aut detorquerentur contra me in suspicionem conspirationum aut practicarum. Socer ante mortem die proximo hanc mihi confirmavit esse veritatem in illa controversia. Propter

hoc testimonium maiores Ego causas habeo in ea perseverandi. Cum testify:ssem

loqui, iubeor secedere. Mox revocor. Ad magis specialia inquirit Linde-

mannus descendere nos oportet. De Th. beza et quantum tibi constet, referas:

Quis enim incitarit ut libellum editum contra Selneccerum principi Electori in-

scriberet? Respondi de Beza, me etiam satis superque respondisse Dresdae,

quod toto tempore quo mihi cum eo amicitia fuit, supra ternas ab eo lras

non acceperim, sed intra sexennium nullas: Nec ullas me ad ipsum dedisse.

Quid alijs & Bezae intercedat, & omnino an alicui aliquid me non curasse

nec inquisiuisse. Iubeor iterum secedere. Sequitur me paulo post Linde-

mannus, & rursus cum obtestatur ne dissimulem quicquam de conspirationi-

bus & practicis Palatinorum(?), & inprimis de ijs quos si iam conscios esse ac

fuisse, tum pollicitum de gratia principis liberaliter. Respondeo iterum protes-

tatus de mea perpetua fide erga Principem Electorem, nihil mihi de ullis

practicis constare, nec me intelligere quas velint, nec me quicquam posse dice-

re nisi fingere velim: Quod si tentem infeliciter id me facturum qui prac-

ticarum sim imperitus: Oportere enim ad veri speciem talia composita esse,

ne fraus prima fronte mox deprehendatur. Denique me mentiri nec posse

nec velle. Redit ad Collegas Lindemannus: Accersor ultimo. Cumque

sperarem, me, quum haec postrema actio reipsa ab omni culpa & suspicio-

ne liberat, eorum quae mihi prioribus intentata fuerunt, sententiam clemen

tiorem

tiorem auditurum esse, duriorem prioribus accipio. Condemnor poena tuo exa-
xtiao, & iubeor Rochlicium proficisci cum coniuge & liberis, ut ibi habitem, alli
gatus ad urbem eodem quo ad Witebergam arresto, & eadem iurisiurandi relligione.
Causa nulla exprimuntur, sed additur: habere principem probabiles & necessarias
sui consilij causas. Nec permittitur mihi reditus ad meos & bibliothecam
meam, sed recta inde cogor ad locum exilij proficisci. Nec coniunx & liberi
intercessione sua quam offerebant principibus plus impetrant quam dilationem
constituti temporis in dies quatuordecim, quem tamen terminum cum medio-
cres vires recepissem expectare non sustinuj, ut procul & mature abessem ab
oculis eorum qui me oderant. Narravi simplicissime
rem gestam, uti gesta est. Etsi docet autem narratio ipsa, qualis haec ac-
tio fuerit, si nihil addam amplius: cogit me tamen conscientia mea propter
Ecclesiam filij Dej, propter testimonium de doctrina quam confessus sum, propter
vocationem in qua fui, quam malevoli mei calumniabantur, propter posteri
tatem meam, & propter famam atque existimationem cui inusta est labes
deformis, nihil reticere aut supprimere eorum quae explicatis nudae nar-
rationis circumstantijs innocentiam meam clarius demonstrent, in quibus
si quid de cursu & successu vocationis meae dixero, id ne quisquam arro-
gantiae fieri aliqua suspicetur, vehementer etiam atque etiam rogo.
Optarim non fuisse mihi allatam necessitatem ad hanc mei defensio-
nem

nem. Atq. utinam cum ijs solis mihi contendendum iure esset, qui in me venenatis, virulentis, cruentis & parricidialibus calumnijs & mendacijs Principes concitarunt, offensi illa qualicunq. gratia, in qua fui. Ostenderis illis essem apud aequos iudices quibus artibus usi sint, & quid sint meriti. Sed iudicium et vindictam Deo iusto iudici & vindici omnipotenti commendo, & repetendo quod supra feci, iterum profiteor ac protestor, nihil me odio principum, consilij aut ordinum in his terris facturum: Nihil in contumeliam vel iniuriam eorum dicturum esse: Nec aliud quicquam quam quod veritas rei gestae in testimonium meae innocentiae facere aut dicere me cogit: Nec se vocari in testimonium veritatis gravilor ferent, qui adfuerunt & superstites sunt: Caeteros qui in vivis esse desierunt ante filij Dei tribunal de eodem testimonio compellabo. Deum testor καρδιογνώστην, me invitum ad hanc defensionem pertrahi, sed summa mihi cum afferatur necessitas, excusatum me fore pijs & bonis viris omnibus certo confido, atque ut excusatum habeant obnixe etiam atque etiam peto. Quoties cogito qui labores, quae voluntas, quae cura, studium ac fides mea fuerit constans ac perpetua erga has terras: Quam misere, quas conceperam de laborum meorum praemijs fefellerint me spes meae? non possum non varie affici animo meo. Nunc cogitatione innocentiae meae & meritorum commonente fremitum, mox dolore gemitus exprimente & lachrymas. Rursus conscientia rectissimorum consiliorum &

facton

& factorum, fiducia certa iusti iudicij Dei abrumpente gemitus & perturba-
tum animum erigente, in spem certissimam divinae liberationis & testificatio-
nis, doloremq. exemplis innumeris illustrissimorum virorum leniente, quos si-
milis fortuna oppressit, odijs & invidia circumventos. Annos totos quatu-
ordecim ab obitu socerj mej sustinuj in Academia Witebergensi molem multo
maximam onerum, curarum & laborum publicorum: & impensis iam insumtis
etiam in eam viribus omnibus ingenij & corporis mej direxi consilia omnia,
conatus, & actiones in hunc finem, ut hoc praeclarissimum monumentum re-
purgatae religionis, & conditae Academiae duorum summorum virorum opera
D. Martini Lutheri & Philippi Melanthonis constitutum, & optime studijs
pietatis & aliarum artium, ac honesta disciplina, exornatum legibus optimis,
instructum rebus necessarijs ad stabilitatem conservaretur ac floreret ad
longam & seram posteritatem. Nec defuit his consilijs & conatib. meis be-
nedictio divina, cuiusq rei non dubito futuros esse testes ad omnem posteritatem
aliquot mille alumnos Academiae, quibus cognita fuit & perspecta perpetua
mea sollicitudo. Testatae sunt idipsum cum aliae principum nostrorum
literae, tum postrema, vix anni quadrante ante motam hanc tragoediam
scriptae, cum voto pio, Deus ut me quo tunc graviter decumbebam morbo,
liberatum restitueret pristinae sanitati, & conservaret scholis harum regionum
diu ut salvum & incolumem: quas proferrem, nisi cum multis alijs mi-
hi

hi erepta essent. Nec de his addam plura. Scholas illustres vero cum adiun-
gerentur caeteris Inspectoribus collega, quas perturbatas reperimus, quantopere
curae nobis fuerit, ut recte & illae constituerentur, & cum Academijs ut consen
tirent, ut ingenia tenera quasi praepararentur ad Academiarum doctrinam
publicam, cum ante hoc tempus singulae suas quasdam peculiares instituendae
adolescentiae formas secutae & inter se dissentirent, & ab Academijs discrepassent: de-
niq. quales effecerimus testabuntur qui affuerunt, & docebit id res ipsa pau-
lo post euentu. Erga principes ipsos, & in aula qualis fuerim, quanta
cum subiectione animi principes coluerim, quanta cura fidem praestiterim
mei quae fuerunt officij ac muneris, quanto silentio & taciturnitate quan-
ta sim usus, quantopere aliena a me & vocatione mea fugerim, quantum
operam dederim ne quem offenderem aut irritarem, ne cui grauis aut
molestus essem, ne quid facerem praeter decorum quod in reprehensionem
jure & merito incurrere posset, fateri oportet omnes qui me norunt, nisi
me jam, ab aduersa fortuna oppressum, iniquè etiam & calumniose praegra-
uare falsis testimonijs velint. Extant scripta mea, & aliorum & meo
nomine edita, sed a me composita quae testabuntur ad omnem posteritatem,
quantis ornarim ac celebrarim encomijs principes ipsos; quantis laudibus
vera ornamenta harum terrarum, Ecclesiarum, politiarum, scholarum,
legum, judiciorum, disciplinae erexerim, ut haud sciam an maioribus

ante me

ante me quisq; ? Norunt innumeri alij, quantopere consilijs, hortatu, suasu, commen

dationibus meis efficere studuerim, ut & principibus conciliarentur voluntates, favo.

res & studia hominum, auctoritas summa, gloria sempiterna, & ut cum Ecclesijs & scho

lis harum regionum coniungerentur externae in ea doctrinae forma quam profitetur

liber titulo Corporis doctrinae, & Consensus nuper Dresdae initus. De his omnibus provoco

non tantum ad testimonia hominum, sed ad Deum iudicem, qui introspicit sensus

internos, & cernit abdita cordium. Sed his dum occupor & exerceor assidue, tan

ta cum virium omnium contentione atq. enixe, ut in lethalem morbum inciderim:

Quid accidit mihi ? Nihil metuens, nihil somnians adversi aut infesti: Imo

securus ex recentissimo testimonio summae clementiae erga me, & iudicio tam prae.

claro de meis laboribus, opprimor ex inopinato, & ita opprimor ut custodiendus

tradar satellitibus, quemadmodum facinorosus aliquis, & eripiantur mihi privatae

ac ad me literae aliorum, & quidem in hunc finem, ut ex his conquirantur & de

texantur causae adversus me accusationis capitalis, cum alioquin nullae aut

iustae aut speciosa reperirentur. Hoc factum quo praetextu excusari queat,

aestimandum relinquo sapientibus omnibus & candide iudicantibus. Nulla

tractavi unquam negocia principum: nullis adhibitus sum deliberationibus, nulle

rum fui conscius: multo minus me ullis admiscui, vel ingessi sponte: Scho.

lasticam egi vitam, & ad hanc quae pertinent curavi & exercui sedulo. Et

publice fieret, aliter non inquisivi unquam quam ut cognoscerem de causis &

eventibus rerum, tantum quantum mihi usui esset futurum ad historiae scrip.

tionem

tiorem: Id me fecit cum publice constiterit, quo iure inquirere in privatas aliorum ad me literas, & has mihi auferre potuerunt: ut me undecunque conrasis & confictis praetextibus obruerent & iugularent? Sed ne reperta quidem sunt causa adversus me ulla in illis ipsis literis, neque ex mihi ereptis ulla adversus me epistola producta est. Quid ergo decepti essent inimici mei spe sua, decurrere eos ad alia artificia oportebat. Quid fit ergo? Ex carcere protractum me in iudicium accusant, quod cum religiose, & summa cum attestatione promiserim, me sicut ante fecerim, non amplius in negocijs religionis facturum practicas, id non servarim, quod, per conspirationes & practicas, novum Sacramentariorum dogma introducere in has terras conatus sim, quod Theologos & domesticos & externos incitarim ad idem faciendum, quod in hunc finem libellos ipse evulgarim ac disseminarim. Dira profecto & atrox accusatio! Sed quo nititur fundamento? De religiose & cum attestatione facta promissione primum respondeo. Provoco ad eos omnes qui mandato principum me Witebergae compellarunt, ex quibus desierunt esse in vivis Joannes Borilensis & Henricus Gleissentaleius. Superstites adhuc sunt Wolffgangus Schonbergius praeses metallicarum urbium, Damianus Sebottendorf, Abraham Bock Marscallus aulae, Doctor Georgius Cracovius. Ad vivos ego in hac vita provoco: Mortuorum animos voco ad tribunal filij Dej: Si horum quisquam dixerit me eo tempore fuisse accusatum practicarum & conspirationum ullarum, quod nunquam tribuj mihi passurus fuissem, constantiore tunc praesens animo quam post eram in morbo

morbo. Si non dixerit illorum quisq., fuisse compellationem eam simplicissime enunciatam, ut abstinerem à Theologias, si me cum admiratione ulla maiore & religiosiore attestatione, si aliter quam simplicissime, respondisse me dixerit, & his plane verbis, quod id sim libentissime facturus, nec me tantum à Theologicis sed prorsus ab Academia & scholis illustribus abstinere velle, quod se ad principem relaturum Domicenus negavit, & me id potiorem me hortatus est. Si ergo aliud dixerit horum quisquam, quidvis patiar. Tam memini, quae acta tunc & dicta fuerint, ac si hoc ipso momento personuissent aures meas. Hac cum indubitato ita se habeant, non est veritus tamen Architectus accusationis & condemnationis meae, tanta atrocitate verborum me inique & iniuste praegravare. At contra hoc ego cum attestatione summa affirmo, me quod simpliciter promisi, id religiose praestitisse. Nec si unquam tum Architectus ille demonstrare poterit quicquam à me factum esse ab illo tempore quo violatae promissionis convinci possim. Epistolam ad Christianum scriptam obiecit mihi. Illa vero me summe excusat, quia ne contendat cum collega suo suadeo. De veritate, quid me arguere potest, cum testimonium ex me, & confessionem veritatis nunquam cognoverit, & nullum meorum scriptorum praelegerit, ex quo iudicium fieri de mea fide & confessione potuisset? Sed venio ad alia.

Atrocissima vox est conspirationum & practicarum, nec impingi gravius ulli crimen potest quam occultarum conspirationum, quae in seditiones & certam perniciem publicam exeant. Nec sum ita rudis & hebes ut quantam haec vox atrocitatem complectatur, non intelligam. At ne tunc quidem, cum perturbatissimo & af-

fecti[o]

sedatissimo animo mihi in praesentia subito respondendum esset, quum haec non expectaret neglexi. Sed appello rursus judices meos: Quae fuerint illae conspirationes & practicae de quibus sum accusatus? aut quibus sum epistolis, argumentis, indicijs, coniecturis, suspicionibus convictus tantorum criminum? an prolatum quicquam est, quod me docuerit conspirationes & practicas fecisse? An duo illi, quibuscum factae dicebantur, adducti sunt ut audiremur & convinceremur? Quid homini obsecro factum est? Meministis judices, quid his opposuerim? Quantopere questus sum iniuste me opprimi? Quam sollicite vestram fidem, opem, consilium implorauerim? Quoties ad judicium & conscientiam vestram appellauerim? Meministis quod vos omnes alte silueritis? & silentio vestro excusationem meam quomodo probaueritis? uno Architecto accusationis meae excepto, cui haec omnia lusus & risus erant: qui usitato Generalium joco has in caput meum institutas accusationes eludebat? Ut maxime autem multae meae fuissent prolatae privatae literae, quae de mea sententia in hoc controverso articulo evidenter docuissent: An propterea de conspirationibus & practicis accusari possum? Tuo me ergo, praeclare Architecte Lindemanne, judicio, communicatio sententiarum inter viros doctos per literas de articulo fidei pertinente ad salutem aeternam animae, & quidem de articulo controverso ac pendente, de quo nondum consensu vero Ecclesiarum in caeteris articulis consentientium definitum & pronunciatum est: tali ergo communicatio sententiarum inter viros

doctos

doctos tibi conspiratio est, & practicarum molitio? Sed inquies, quomodo vocem aliter id quod fit contra voluntatem Magistratus occulte & clam? Si fuit voluntas principum alteram partem contradictionis, in controversis duobus articulis de incarnatione filij Dei & de Coena Dnj, non tolerare in suis terris: cur publico interdicto hanc suam voluntatem non aperuerunt? ac ne dicam de alijs, cur me tulerunt tam patienter, quem sciunt totiês fuisse apud eos accusatum de hoc dogmate? Cur me non protinus repulsum a se eiecerunt sua ditione? Cur me retinuerunt, ut parricidialibus calumnijs circumventus opprimerer, nullo meo merito? Si contra interdicta publica, clam & occulte structum a me aliquid, ad invitandos alios, ad propugnandum dogma contrarium, ad turbandas Ecclesias fuisset, praetextum illum tuum conspirationum & practicarum specie aliqua urgere poteras. Ex solis privatis libris, de dogmate & expositionibus sententiam meam, quantoscunque acervos congesseris, numquam, ac ne quidem si quid publicatum scriptis, cum nulla prohibitio antecesserit: sed ne tunc quidem interdicta publica magistratus, ademissent mihi confessionem veritatis privatam aut publicam contra mandatum Dei, si voluntatem tamen consilij, exponi me id oportuisset meo periculo. Cum igitur me conspirationum & practicarum complexu opprimeris, tu videris, decernent sapientes Dei & boni, iudicet Deus iudex & vindex. Si me odio veritatis non mei oppugnas, cur me non de ipsa doctrina accusas? Cur quaesivisti calumniose praetextus conspirationum & practicarum, ut per me pro-

expugna

χρήματα πολιτικόν callide confingere & singulares, tumque seditiosum. Si mei odio id facis, quibus modis quaeso meritus sum tam acerbum odium te quoque in his terris, qui benefacere studiis omnibus publice & privatim & recte consulere Scholis & Ecclesiis? Sed iudicium sit bonorum, quibus commisi. Novum Sacramentarium dogma mihi tribuis: At vero illud quod est? Cur me novi & Sacramentarii dogmatis accusas, & condemnas non auditum? Cur mea scripta quae me divulgasse obiicis, mihi non proposuisti? Ego novum Sacramentarium dogma nullum novi. Doctrinam amplexus sum & teneo firmiter de vera incarnatione filii Dei, & de instituta ab eo ante mortem sacra coena ut sit testimonium praesentia sua & efficacia in credentibus, & monumentum omnium beneficiorum quae morte sua peperit generi humano. Quam non opinor, sed certo scio. Non coniicio, sed constanter affirmo esse immotam & immutabilem veritatem filii Dei, confirmatam uno consensu inde usque a temporibus Apostolorum in Ecclesia orthodoxa per annos amplius mille quingentos, quod te docere possem repetita doctrina & historia Ecclesiae veteris, inde usque ab initio, si veritatis agnitione te dignum Deus censeret. Sed cur me non docuisti coram, quale illud novum Sacramentarium dogma fuerit? nimirum, quia quod esset ignorabas, & meis scriptis, quibus me tamen convictum fuisse iactitas destituebaris. Qua fronte, quaeso, fuisti ausus intonare formulam me meis scriptis convictum esse cum praeter unam illam epistolam ad M. Christianum, nullum iota meum pluteis?

In illa

In illa ipsa tamen epistola Veritas tantum nominatur, non explicatur. An te adeo Veri-
tas offendit, ut ne mentionem quidem nominis, re ipsa nondum cognita, ferre ne-
queas. Sed quibus me quaeso testimonijs conuicisti quod inuitarim Theologos
domesticos & externos? Quos mihi libellos meos a me sparsos ostendisti? Te-
cum loquor, Lindemanne, qui meum loquebaris. Silebant enim caeteri, &
impatienter ferebant me innocentem opprimi. An chartam unam meam, aut
quae habuerit meum quod esse constaretur, protulisti? Nullam profecto. Haec
cum ita se habeant, conscijs reliquis omnibus qui interfuerunt iudicio: Qua ergo
fronte talem de me pronunciare & scribere sententiam, & me tam atrociter con-
demnare, tanquam reum grauissimorum scelerum, & meritum poenas atrocissimas
non es veritus? An non perculit animum tuum sensus aliquis iudicij Dei,
& irae aduersus eos qui calumniose innocentes opprimunt? Sed audi amplius.
Cogis me fateri tributum meae deprecationi & intercessioni aliorum, quod tam cle-
menter mecum actum sit, & agnoscere me quod maximo sim affectus beneficio.
Quando, quaeso, & culpam agnoui, quam a me constantissime depuli; & poenam
deprecatus sum, & tuam illam atrocem & iniustam sententiam beneficij loco ac-
cepi? Quando inquam id factum est? Prouoco ad vos Iudices omnes, qui
adfuistis, & unumquemlibet vestrum nominatim compello, eo quo sedistis ordine.
Te Joannem Bornsteinium, & Henricum Schonbergium, te Christophorum La-
gewitzium, te Johannem Tautenbergium, te Laurentium Lindemannum,
te

te Davidem Hirschfeldium, te Johannem Lindanawum, te Andream Pauli Doctorem, te Davidem Pfeiferum, te Cancellarium Doct. Hero. Kisenwetterum: Universos vos & nominatim singulos appello, si me convictum fuisse, si me crimina mihi tributa agnovisse, si culpam deprecatum esse, si beneficij loco sententiam me accepisse dixeritis: capitis poenam luam. Iterum vos appello, & per pietate vestra propter iustitiam & gloriam Dei vos oro atq. obtestor ne desitis veritati testimonio vestro. Teipsum etiam, & tuam conscientiam appello, Architecte: Nonne tu mox renuntiis sententiam scriptam adferebas, quam me, si liberari vellem, describere mea manu & sigillo obsignare coegisti. Per quos ergo sum deprecatus? An in conventu vestro ister ex me voces audite sunt, quas mihi tribuis, & me agnoscere miserum coegisti? Primam .n. epistolam supplicem quae accusationem mei multis diebus antecessit hunc non attendendum esse existimo, in qua certi de nulla re tum fueram intimulatus, imo cum ex mandato Illustrissimo mihi indicatum esset, meliori loco res meas esse quam opinarer, quid deprecari potui? & qualis fuerit illa subiectio, mea epistola ibi posita ostendit. Sed adhuc amplius audi. Obligas me iuramento corporali, ne quid ullo unquam tempore, ore vel scriptis, contra faciam? Unde tibi quaeso illa potestas plus quam pontificia, ut te collocare supra filium Dei, & contra huius mandatum prohibere mihi antea adacto ad iuramentum, ne quam convictus in mea conscientia testimonio Spiritus Sancti veritatem esse indubitato suo,

eam

eam ergo me confitear, & ut reticendo veritatem in exilium me & poenas aeternas prae-
cipitem? Si mihi tamen non ereptam confessionis libertatem contenderis, acquiescam, &
hac in parte te culpa liberabo. Si ideo ereptam mihi contenderis quod non idem quod tu
sentiam, vide quomodo ad Deum factum hoc tuum excuses. Quod ergo tunc feci,
quam concluderes actionem illam, idem nunc repetens, provoco ad tribunal & judi-
cium Dei, & Deo justo judici & vindici commendo me & innocentiam meam, obtes-
tans enim per gloriam sui unigeniti filij, ut tandem expergefactus illustri testi-
monio judicij et auxilij sui succurrat laboranti veritati, & mihi innocenti & oppresso
me eripiat ac liberet, ut vindicet gloriam filij sui & meam innocentiam. Sed
& deprecor a Deo supplice & ardenti gemitu pectoris mei lapsum meae imbecil-
litatis, quod & senili infirmitatis meae, extreme fractus viribus & metu diu-
turnioris carceris adigi me ad accipiendas conditiones iniquissimas liberationis
& extorqueri mihi impium juramentum passus sum, & crimina quod agnoscerim
confessione mea, nunquam a me admissa, & quasi condemnarim causam ipsam ac
veritatem filij dei: nec potius pertulerim extrema omnia. Hunc lapsum o Pater
aeterne Domini nostri Jesu Christi, misericors & miserator Domine, ignosce imbecil-
litati meae ex misericordia, per & propter filium tuum, Jesum Christum. Amen.
Cogis me fateri, Architecte, singularis quod clementia extiterit mihi, & quod
in hac ipsa sententia magno beneficio affectus sim. Quae fuerit igitur illa
clementia, & quod beneficium, ut tibi ostendam vicissim, cogis me conscientia mea.
Adimis mihi inspectionem scholarum illustrium, & curam aliorum examinationem

eorum

eorum qui munificentia illustri aluntur in Academia: operas professionis publicae in Medicina et historijs restitui mihi, sed tamen factiosum hominem & molitionum seditiosarum conuictum, iuramento & aresto me alliges ad Vrbem Witebergam, cum interminatione summa, ne quid factiose aut per technas & practicas moliar, struam, moueam domi aut foris, contra has terras, quasi in factiosis consilijs, conatibus, molitionibus tota mea vita fuerit consumta. Magnum profecto beneficium erga innocentem. Sed contentus hoc beneficio tu crudelissimus, nisi id cumulasses nouis beneficijs, & nisi me noua actione prouocatum coegisses de defensione mei cogitare. Quibus igitur nouis beneficijs cumulasti priora? His scilicet. Cum me antea absolutum condonatione intentatae culpae & poenae restitutes in locum Academiae pristinum, mox Torgae residentibus illis omnibus, prodis nouus actor, & me apud conuocatos ordines huius regionis accusas capitaliter, nixus fundamento confessionis quam mihi extorseras, & alsis quibus alijs literis meis, quas me uidere prius & legere noluisti. Quo me quaeso iuris praetextu de ijs denuo accusasti, a quibus me tua sententia paulo ante liberaras? Cur me criminum capitalium peragis reum, cum nullius unquam criminis ex his quae intentaras & obijceras, me conuictum scires? Qua conscientia, & quo ore potuisti in me tam cruentam & crudelem, sine ulla ueri aut recti specie accusationem pronunciare, & ea atrocissime exaggerata urgere & flagitare, ut de me capitaliter iudicaretur, suppressis altissimo silentio ijs omnibus, quibus me accusationes tuas & obiectiones

oes

omnes constanter elisisse & avertisse memineras? Tuam, inquies, confessionem habebam? At non memineras quod nullo illa nitebatur fundamento, & quomodo illam occasione summae infirmitatis animi & corporis, & metu carceris mihi extorseris? An non haerebant infixa animo tuo illae saepe a me repetitae voces: Provoco ad vestram conscientiam, quod summa afficiar iniuria. Provoco ad iudicium & tribunal Filii Dei quod mecum ita agatur, & gratia mihi talis pro meritis meis quod refertur? An leviter, vel nihil te afficit iudicium Dei, ac nullum futurum esse credis? Nec metuis iram Dei vindicis in hac vita? Sed heus tu, si oblitus illorum fuisti. Cum me accusationem tuam novam non audire, cum me prius inspicere literas quas addixisti novas, non voluisti? Cum me non apud eosdem iudices opponere excusationem meam passus es? Cum me a tota actione Torgensi exclusisti? Cum sententiam capitis flagitabas, me non prius interrogato, an quae me „fecisse" confessus sim agnoscam adhuc & confitear, quod facinorosis & capitis reis praestari beneficium solet. Non gravius quicquam dicam in quenquam, sed aequitatis & iuris erat non statuere aut pronunciare de quoquam, cum actio tam atrox & capitalis intenditur, quam se fecisse agnosceret, quod esset confessus. Et formula obligationis talis est, ut docere satis possit, quomodo sit impetrata. Si me vis ergo beneficia praedicare, quibus singulari clementia affectus sum in hac actione, commemorabo illa tibi ordine. Quod spoliatus literis Dresdae in custodiam coniectus, accusatus aliquot criminum, sed nullius convictus: Ad confessionem tamen eorundem adactus, condemnatus, & iuramento obli-

gatus

gatus ad silentium veritatis, sed absolutus tamen & remissus Witebergam ad praelectionem publicam cum aresto. Torgae vero de iisdem atrocius & plane capitaliter accusatus, suppressis omnibus quae de mea innocentia Dresdensi accusationi opposueram, non auditus, non interrogatus in crimina obiecta agnoscerem, non vocatus ad sententiam audiendam, sed iterum condemnatus tuo decessorisque tam praeclaro incursu in odium omnium bonorum & gentium externarum. Sed accessit ad haec beneficia mox ingens cumulus, ex alia tua nova munificentia. Mensibus duobus, non multo pluribus diebus quam a Torgensi actione elapsis revocatum me Torgam exuis honoribus meis, spolias omnibus ornamentis & praesidiis civilibus, eiicis loco & vocatione, extrudis in exilium, detrudis in carcerem, aresto affixum ad unum locum, more ἐξωλεία sive deportationis veteris, iuramento, quo sum obligatus, nulla in parte laxato. At quo meo merito? Propter probabiles inquit, & necessarias causas. Illae vero causae quae sunt? Audiveram eas paulo ante, cum iterum examinarer. Cuius sunt ergo? Interrogatus iterum de conspirationibus & practicis, non obscure tectisque amplius nominibus dissimulatis, ut factum erat Dresdae, sed palam & aperte, nimirum cum Palatinensibus, cum D. Eramo, cum Th. Beza, quosque tunc Dresdensis actio aperte nominabat, & interrogatus cum admiratione, sicut dixi, & obtestatione summa: Respondeo consistens ante faciem & tribunal Dei, nullarum me

conspirationum

conspirationum, nullarum me practicarum conscium esse nec fuisse umquam, nec fecisse illas umquam, nec foris, neque in aula, neque alibi; sicut narratio supra exposita docet. At haec Examinatio quid sibi voluit? Nonne bis antea accusatus ac condemnatus, et toties iterum absolutus sum propter has ipsas causas, conditionibus certis quidem, sed iis iniquis admodum, iniustis, et acerbis? Quibus continetur ergo et consistit fundamentis, capitalis actio adversus me tua? Si me iuste antea accusasti et condemnasti, cur nunc interrogas me iterum tanta cum obtestatione et admiratione, quid deliquerim, quid confitear, quos conspirationum et practicarum cum Palatinensibus et Bremio auctores et socios esse sciam? Deinde me conspirationum cum D Cracovio reum peregisti, nullius convicisti: Postea iterum capitalem de iisdem causis actionem instituisti: Nunc tandem me adigis ad confessionem de illis ipsis causis: id est de toto fundamento tuae adversus me actionis, quaerens quid concedam et fatear, quid non! de quibus me innocentem subire iudicium et perferre sententiam oportuit, cuiusque executionem etiam perferre me oportuisset, si ordines inclementius pronunciassent. Considera, obsecro, quorsum te adigas! Nonne priores tuas actiones mortis plenas, et falsas omnes, iniustas, iniquas declaras. Cum me examinas tanta cum admiratione denuo, nisi quia dubitasti? Si dubitasti: cur quaerere in meum caput tanta cum atrocitate fuisti ausus. Sed iusto iudicio Dei iudicis et vindicis tu te prodis iudicio tuo, et meam patefacis innocentiam. Haec ipsa Examinatio .n. me ab omni culpa et suspicione penitus ac prorsus liberat.

Te

Te vero per calumniam mihi intentati criminis, sine meo ullo merito grauat. Verum tamen cum te manifestissime conuincat, & me euidentissime doceat innocentem esse omnium obiectionum de conspirationibus & practicis criminum: hi tamen, ne innocens fuisse censear iudicio hominum, si relinquam Witebergam, summa me poena afficis, nimirum capitis mei diminutione, & priuatione status, dignitatis, honorum, vocationis: & addis ad hanc contumeliam insuper exilia & carceres. Addis etiam post exilia & carceres acerbissima conuicia: laceras me crudelibus calumnijs, insultas iacenti & oppresso insolenter. Hoc est auctarium illud quod adijcis ad beneficia priora, ut exhaustos pro his terris summa fide, summo studio, summa omnium virium contentione labores meos cumulate compenses. Sed & de his ipsis actionibus ne uideri uolim, meis verbis tantum fidem habendam esse, prouoco ad testimonium collegarum tuorum, Joann. Bornstaij, Damiani Sebottendorfi, Dominici Peiferi, & qui postremae actioni interfuit Joannis Lenizij Silentiarij qui nullo meo merito, ex amico mihi factus hostis, primus omnium in aula me acerbissime odisse, & acerrime oppugnare cepit, nec destitit donec me deiectum ex loco meo & abiectum penitus, extreme conculcauit. Haec sunt ergo laborum meorum praemia: Eiectio ex literis oppressio mea, accusatio capitalis ex conficto praetextu conspirationum & practicarum, horribiles calumniae, odia, contemtus, exilia, carceres, impium iuramentum, de quibus cum frustra me excusem, gemo interea, & agnoscens mihi cum multis me sanctioribus & praestantioribus

viris

Viris communem conditionem & fortunam, Deum sancte testem & iudicem cogitatio-
num, consiliorum, & factorum omnium, & vindicem iniuriarum quibus afficior.
ac fiducia certa praesentiae, protectionisq. & spe liberationis divinae me erigens
ac sustentans perfero calamitates meas, ea qua debeo moderatione animi
Christiani, & senio taedia & molestias exilij & carceris cogitatione exemplorum quod
scio similia accidisse innumeris alijs, qui e suis, quas praeclare docuerunt aut
rexerunt, Ecclesijs, scholis, Rebuspubl. imo quas constituerant & exornarant,
suorum civium testimonio, quamlaudatissime, tamen eiusdem calumnijs & odijs
inde tandem exsularunt. At cur te iniuria affici quereris? inquies.
Cur accusas eos qui exempli causa in te animadverterunt, eo tempore, quo
animadversione maxime opus erat ad reprimendum & compescendum, indies
magis magisq. irruentem in has terras Sacramentarij dogmatis impetum,
cum tu factionis illius caput fueris? Cur te admiscere his certaminibus non
destitisti? Non infitiaberis enim te veneno sacramentario infectum esse:
Non te negabis multas de his controversijs epistolas scripsisse, etsi monstrari
vel autographa, vel exempla literarum tuarum nequeant. Neque id postremo tua
Confessio negat. Praeterea neutiquam infitiaberis exemplo severitatis opus fuisse.
Nisi enim crescentia indies Sacramentarij dogmatis germina autoritas
publica velut in herba oppressisset, radicibus altis illa confirmata, in sedi-
tionem & lanienam Gallicae nihilo mitiorem euasura, & principes ipsos in
certum atque inevitabile discrimen coniectura fuissent, praesertim cum a
religiosis

religiosae pacis legibus & conditionibus excludantur omnes huic sententiae addicti. Quod si ergo conniventibus principibus paulatim illa innatiuis sunt, quas contes turbas domi ob dissidia inter docentes, quae pericula ab hostibus propter violatas pacis religiosae leges forinsecus orituras & permansuras in has terras fuisse. Ex levissimis occasionibus enim nuntium fuissent Romani, & mox tuum locum istum &c. Non existimes igitur nullam fuisse causam ut severitas tanta usurparetur adversus paucos quosdam antesignanos & duces, quibus castigatis & remotis facile quieturi sunt reliqui. Haec serio declamitata esse magna & verborum atrocitate & vocis contentione a plurimis. Ingemui & excandui auditis vocibus istis: Ac ne nunc quidem sine simili perturbatione animi illorum unquam recordor. Ingemui propter caecitatem adversantium contritum, & propter pertinaciam repellentium agnitionem veritatis. Excandui propter malitiam cumulantium peccata caecitatis & pertinaciae blasphemis vocibus, iniquis calumniosis depravationibus recte factorum, & hostili persecutione. Cohorresco toto pectore haec cogitans, & ea nunc gemitu deplorans Deum supplex oro ne peccata paucorum malitia peccantium imputet multis errore delinquentibus ac seductis.

Non inficiabitur sanus quisque ut opinor, doctrinam de incarnatione Filii Dei, seu unione hypostatica duarum naturarum in Christo traditam ab exulibus Academiae Witebergensis, ac repetitam & explicatam scriptis publicis, esse

illam ipm

illam ipsam, quae magnis certaminibus Synodorum oecumenicarum quatuor asserta,
defensa, obtenta, adversus Arium, Nestorium, Eutychen uno consensu orthodoxae Ec-
clesiae conservata ac propagata, tot martyrum sanguine obsignata & legibus Impp.
gravissimis magna authoritate constanter est sancita. Controversiam vero de sa-
cra coena quae inter D. Martinum Lutherum & Helveticas Ecclesias incidit, adhuc
haerere, nec authoritate publica aliqua diremptam esse, & Lutheri sententiam non
esse normam iudicii sed stare una in parte tanquam alteram partem contradictionis
cum adversatrice altera non tam authoritatis quam veritatis nixa praesidio & patrocinio.
Nec in concordia Anno tricesimo octavo Witebergae Buceri & Capitonis opera con-
ciliata atque confecta Lutherum constitisse, sed renovasse certamen acrius paulo ante
mortem. Haec ergo cum sint luce meridiana clariora, non sit opinor, sanus qui
haec infitiabitur. Cum ergo nondum sit definita posterior sententia authoritate
publica, nec sit constitutum utra pars veritati sit propior: quae obstinatio est, in
priore illa, quod explicatum & certum est nolle amplecti? quae caecitas in
altera non velle inquirere veritatem, aut monstratam non velle agnoscere?
ac prohibere insuper pertinaciter, ne fiat inquisitio, nec cognitio diiudica-
tioque instituatur, ut conscientiis errantibus, incertis & dubiis consulatur? Val-
de vereor secuturum illud prophetae Quoniam scientiam repulisti, repellam te.
Nam cum sine cognitione & iudicio condemnatur pars altera? In civilibus,
censetur iniustum pronunciare parte non audita altera. Haec aequalitas quanto
magis in Ecclesia servari debet praesertim ubi agitur de controversiis, ex quibus
pendet

pendet salus aeterna utriusq[ue]. At hic non condemnatur tantum sententia adversa ante cognitionem, sed diris etiam atq[ue] execrationibus denunciatur. Si, quibus in ore sunt ista voces, venenum Sacramentarium, virus fanaticum, intel ligerent aut considerarent convicij & blasphemiae atrocitatem, non de dogmate pa: rum explorato aut cognito tam temere & futiliter eas usurparent, aut tam gravi peccato se contaminaturi essent. Neq[ue] insitia affectata excusabit quemquam. Nec Zeli praetextus proderit, qui est οὐ κατὰ ἐπίγνωσιν. In medio sunt scripta partis utriusq[ue], ex fundamentis utraq[ue] copiose detexta suis: legantur utraq[ue], & collata inter se fundamenta ac testimonia, examinataq[ue] ad normam Evangelicae veritatis, & consensum purioris antiquitatis ponderentur & pensitentur. Id si fiat reperietur veritas, per mentes veritatis cognoscendae avidas spiritu sancto gubernante. Nec difficile est scrutatori veritatem, vero, rectoq[ue] & simplici studio indicare, utra sit sententia doctrinae Christi & Apostolorum propior, & fidei analogior. Non est enim obscura veritas. Sed recusare inquisitionem & cognitionem veritatis furenter, ut multi faciunt, & prohibere ne ab alijs etiam cognoscatur, imo accendere & irritare potentiores ne patiantur aut fieri inquisitionem, aut versari in manibus dissentium scripta, e quibus cognosci quid verum sit possit, & omne a sua opinione dissentaneum ac discrepans veneni sacramentarij praeludicio confestim prolinus execrari, rejicere, suspectum, invisum, exosum, abominabile reddere, persequi, id quo spiritu fiat, & quomodo hoc sint ad Deum excusaturi Hypocritae viderint. De

me

me respondeo, Virum Sacramentarium aut fanaticum, nullum aut genium eorumque
aut aliis in medio corde, quod scio & in quotidianis meis precationibus & con-
solationibus experior esse domicilium ac templum Spiritus sancti, qui est Spiritus
Veritatis: Sed a fanaticis opinionibus omnibus condemnatis testimonio Veritatis
Evangelicae, & Ecclesiae orthodoxae iudicio, toto pectore semper abhorrui. De
filio Dei nostro Deo & homine, deque vera eius praesentia & efficacia in S. coena,
in qua se ita mihi praesens communicat & coniungit, ut me faciat verum
& vivum membrum veri & vivi sui corporis, ita sensi & sentio, sicut me Christus
ipse, & unus omnium optimus interpres verborum Christi Paulus Apostolus docuit.
Hanc mihi doctrinam non excutient e manibus, multo minus evellent ex
corde illae dirae & blasphemae voces veneni fanatici aut Sacramentarij, &
similes. Nec certitudinem huius doctrinae convellent misera illa & detor-
sione violenta miserabiliter consarta praestigiae verborum, multiplici contra
dictionum implicatione, quibus & illuditur mire & tenebrae offunduntur
Veritati, ne ab imperitis agnoscatur, Ut stabiliantur novum horribilis ido-
latriae in regno pontificio mixta, ac veneno contra blasphemiae latores in fili-
um Dei. Ac precor hunc Redemptorem & salvatorem generis humani Je-
sum Christum, verum Deum & verum hominem, πρὸ τῆς ἡμέρας τῆς ἐκ-
της, ut in hac agnitione sui vera, & omnium suorum beneficiorum me
Spiritu sancto confirmet ac conservet. Quae sit autem illa Veritas postea
exponens Confessionem meam, pluribus meis ostendam. De hac Veritate
quod

quid sentirem ac crederem, fateor me a morte Soceri mei, quem praeceptorem, interpretem & magistrum, ut in alijs doctrinarum partibus sic in hac senten- tia primum habui ac praecipuum, numquam dissimulasse nec dissimulare aut oc- cultare debuisse: Nec Christo me adiuuante sententiam hanc, quam certo scio esse ueram & orthodoxam, unquam abiecturus. Nec, si mihi, ut magna est mea infirmitas, quam agnosco & deploro indies, carceres aut tormenta exprimerent vocem aliam, illam veritatem tamen unquam erepturi sunt ex animo meo. Sed ne me deserat filius Dej, si sit mihi periclitandum, nec me destituat praesidio spiritus sui auxilioque, sed mihi robur & constantiam fidei in confessione largiatur, id ardentissime precor. Non est opus virium humanarum perseuerantia in con- fessione & constantia, ac laetitia in cruce & afflictionibus, uel inter ipsos crucia- tus suppliciorum, sed Dei donum est. A te ergo, fili Dej, peto toto pectore ut ro- bores & sustentes me ne vacillem, ne deficiam, ne auellar abs te. Neutiquam ergo agnosco diras illas & blasphemas voces, quibus me cognitore nec diiudi- cata controuersia pars altera atrociter nunc condemnatur: Sed contra affirmo con- stanter persuasus inuictis testimonijs doctrinae Apostolicae & orthodoxae Ecclesiae, ac suffragio Spiritus sancti in corde meo, quod sit haec certa & immutabilis Veri- tas Euangelij Christi de utroque articulo controuerso, congruens analogiae fidej & symbolis quam amplector. Sed, inquies Architecte, concessum tibi fuisset sentire & credere in animo tuo alterutrum utrum libuisset, si tacu- isses. Magistratus enim non inquirit in conscientias, quibus sint se im-

portare

perare non debere, quod sententiarum iudicium solius Dei est, qui solus est καρδιογνώ-
στης; Respondeo: Psalmus inquit: Credidi propter quod locutus sum. Et Paulus:
Corde creditur ad iustitiam, Ore fit confessio ad salutem. Non premi aut tegi
potest vera fides, sed exerit & ostendit se protinus his primis fructibus maxime,
invocatione nostra & confessione. Et cum mandatum universale de confessione,
tum praeceptum Pauli pertinet ad omnes: Adhortamini alij alios, & aedificate singulos.
Praeterea, quomodo occultare poteram sententiam meam, tot provocatus amico-
rum & aliorum literis, toties cum obtestationibus summis rogatus, ut quid de
Palatinensi epistola soceri, quid de ipsius sententia explorati haberem proferrem?
aut si publice id facere vererer, privatim cum aliquibus id communicarem.
Nonne si insidiose & astute, meae tranquillitatis causa, id vel dissimulassem
vel pernegassem, quod tamen exploratum erat omnibus, conscientiam fuissem gra-
vissime sauciaturus meam? Cum tali vero vulnere conscientiae, quod novis
subinde literis aliorum refricatum & laceratum, paene in momento recrudesceret,
quam acerbam quaeso fuissem acturus vitam? Loquor ut qui conscientiam habeo,
& quidem teneram, quique militare bonam militiam studeo, retinendo fidem &
bonam conscientiam usque ad vitae finem. Scio, si imitari exempla securae profani-
tatis in te & nonnullis alijs voluissem, potuisse me in vestigijs meae vocatio-
nis persistere, florere, opibus, honoribus, gratia: frui dulcissima quiete in abun-
dantia rerum ad vitam degendam necessariarum: Sed haec evanida & ca-
duca bona huius vitae non volui anteferre aeternis. Ea tamen sum modera-
tione

tiones usus, ut me intra septa metasq. vocationis meæ continuerim: Nec vel in publicis lectionibus aut disputationibus, vel in scriptis publicis mouerim aut agitarim quicq̃ȝ ullo tempore. Nec sum immemor colloquiorum q̃ intercede-bant aliquoties Socero meo cum D Medico, cum rogante illo & obtestante, ut de hac controuersia ederet confessionem integram, secretum, sicut de alijs pluribus, respondebat: Dimittite me; faciam quod rectum erit. Cumq. ille urgeret: Cur inquit, non faceres idem in his terris quod alibi. Quia, inquit, scio Vos id non passuros esse: præsagiens animo & prædicens q̃d nunc miseri nos illius suc-cessores experimur, & sustinemus. Nihil itaq. contra Vocationis meæ leges, nihil publice feci, aut aliter q̃ȝ me meo loco, ut hominem Christianum, seuerissimo Christi mandato obligatum ad confessionem, omni tempore facere decuit. Sed, inquies, cur non destitisti admonitus? Cauere te certaminibus his admiscere, & q̃stiones ac practicas facere prouexisti, de periculo edoctus? Tu vero primum, Architecte, demonstra mihi contra promissum quod fecerim? Qua re q̃so violaui promissum? An quia ad M Christianum scripsi, ne contendat cum collega & quia sit Veritas triumphatura in his terris? Si mente consules, læ-tari debebas & gratulari de hoc Voto & omine meo, quod Veritatem sperem man-suram esse in his terris. Ubi est enim Veritas filij Dej, ibi Ecclesia est, & summum caput est, ac summus ἀρχιτέκτων ipse filius Dei Emanuel. Si ergo non existi-mas tolerandam esse veritatem, mox excuties & abiges Christum ipsum, ca-put & fundamentum Ecclesiæ. Ubi Christus non est, ibi Ecclesia esse desinet.

At quale

At quale erat certamen M. Christiano cum collega tunc? nonne de Unione hypostatica duarum naturarum in Christo? Cuius ergo renovarunt certamina? Cuius a consensu Dresdae constituto discessit? An non id apud vos in aula factum est? Si quid habes conscientiae! Si quis in te residuus est metus iudicij divini: coget ille te fateri consensum de doctrina in his terris a vobis in aula turbatum & dissolutum esse. Neq. inficiari id poteris, vel si rumparis. Sit sane a me etiam aliquid scriptum, de quo mihi ignorum est nihil, nec constat quicquam: An si pro consensu & concordia Ecclesiarum in his terris scripsi, quam Dresdensis quondam effecerat, propterea feci contra fidem & promissum? Aliud n. nihil me scripsisse certo certius scio: nec tu unquam aliud edocebis. Quod certaminibus theologicis me nolim admiscere promisi: quod silentio meo negare veritatem & Christum nolim, nunquam promisi: neq. ego id promissurus essem, neq. tu id postulaturus esses alioquin mihi impie & nefarie. At nulla apud nos certamina fuerunt, et apud vos in aula si orta sunt, quare condemnas me si pro consensu publico aliquid pronunciavi? Denique quando me contra promissum egisse quicquam demonstrabis, cum paucis mensibus ante has turbas Illustrissima Domina scriptis literis me ad concordiam inter docentes adiuvandam adhortata sit, cui quid fecerim ostendi. Si quid ergo fecissem, iussus fecissem, nec propterea accusari poteram, quod promissum violarim, cum autoritas novi mandati promissum de fugiendis theologicis negotijs sustulerit. Sed ut semel me liberem: Non me ullo unquam tempore fecisse aut scripsisse quicquam demonstrabis, vel si, ut dixi, dixi

dissidias ac rumparis, quod certamina accenderet aut foueret, quodque incitarit quem-
quam ad turbandam concordiam inter docentes in his terris: Vel, ut tuis verbis utar,
quod conspirationibus & practicis nouum Sacramentariorum dogma introduxit. Nec
docebis, nec euinces hoc ullis uel testibus unus uel scriptis. At contrarium me
fecisse, id est, me concordiae efficiendae, continuandaeque fuisse studiosissimum omni
tempore, innumeris & viuis testibus Ego demonstrabo, & abs te mihi intentatum
falsum crimen euidenter retorquebo. De utroque igitur prouoco ad Dei, & ad multo-
rum praestantium virorum testimonia ex omnibus ordinibus, summis & mediocribus
qui haud dubie memores consiliorum que contulisset eis impertium, norunt quanto-
pere mihi consensus de doctrina in his terris curae fuerit, quam enixe dederim
operam ut nobis Ecclesiis quam plurimae conuiungerentur. Hoc ergo cum te lo-
quem possim quibus utriusque opus sit, qua virulentia calumniam hanc mihi impingis,
quod conspirationibus & practicis nouum Sacramentariorum dogma disseminare
studuerim. Quis non videt communi quadam intelligentia praeditus, & vim
afferri mihi summam, & abs te sub conspirationum & practicarum titulo, prae-
textum violentum quaeri ad me crudeliter opprimendum. Sed & hoc addo:
ut maxime proferas literas quibus hortatus sim alios ad hanc sententiam, qua
ex dictis controuersiis ego pro indubitata veritate habeo amplectendam &
tuendam, quomodo me tu Antistes juris ex tuo iure docebis, conspirationes fe-
cisse, quia studuerim propagare veritatem, & gloriam filii Dei illustrare?

Nam quod

Nam quod haec Veritas non sit, neutiquam evictum est aut probatum. Cur unquam de re bona aut salutari in finem bonum conspiratio facta est? Dicerem, si non graviter ferres, Architecte, quod res ipsa ostendit fuisse consilium tuum. Sitiisti sanguinem meum. Sitiisti, inquam, sanguinem meum; Eum haurire non poteras si de solo me dogmate accusasses. Alio ergo praetextu opus erat. Sed alium contra innocentem non reperiebas quam Conspiratorum & practicarum. Hunc te ergo arripere meliorum inopia cogebat, ut conceptum adversus me odium iniustum expleres. Sed Deus iudex erit, cui me iterum commendo. At vero instabis adhuc, & antiquitatem sententiae Lutheri atque autoritatem: gallicas caedes & seditiones; paris religiosae leges obiicies. Constitutum esse dices Magistratibus nullam a Lutheri doctrina discrepantem sententiam tolerare? Respondeo: Autoritati Lutheri nihil detraho, nec detraham unquam quoad vixero, Et quantas res Deus per hoc organon effecerit, fortassis propius & exactius considero, celebraturus etiam eas si vita suppeditaverit, quam qui videri volunt eum impense colere ac tueri. Sed Controversiam quae cum Helveticis Ecclesiis ei intercessit in suspenso mansisse non inficiaberis, in qua, ut dixi, sententia Lutheri fuit pars contradictionis altera. Nec Lutherus unquam Helvetios ita convicit, ut a se superatos esse dixerit aut scripserit. Sani Mente discessum esse Marpurgi, tunc sapientium fuit iudicium. Ab eo tempore, & paulatim magis magisque illustrata est Veritas & inventa atque inita est conciliatoribus Bucero & Capitone concordiae ratio

Vite

Witebergae. Marpurgi ita disceβum est, ut propter dissidium in hoc articu-
lo alteri alteros nequaquam oppugnaturos esse, utrorumque consensu statueretur. Wite-
bergae ad Concordiae medium accessum est paulo propius, ut docet historia Actorum.
Sed nescio quae infelix Ate vinculum illud Concordiae anno sexto post iterum
disrupit. Quoquomodo id acciderit, pendente controversia, cuiuis sollicito de sa-
lute animae suae liberum est omni cura & studio scrutari, utra sit Veritas?
& interest cuiusque certi aliquid in re dubia secum constituere. Prohibere autem
hoc inquisitionis studium an non sit contra Deum, autores prohibitionis uide-
rint. Sed inuentam & agnitam Veritatem non amplecti, aut suo detrectare
praeiudicio blasphemum esset. Si igitur & Ego in articulo dubio utriusque par-
tis argumentis in pondere omni accurate ponderatis atque ad normam puri-
tatis antiquae examinatis, praefero alteram Apostolicae congruentem, & à
Lutheri diuersam, contumeliosus in Lutherum non sum, cui sua in caeteris
definitis & determinatis articulis constat autoritas inuicta atque immota.
Immo si nimio studio nominis Lutheri, aduersarer & repugnarem agnitae
Veritati, & blasphemus in Deum, & in Lutherum iniurius essem, qui suam
nequaquam voluit autoritatem praeiudicare Veritati. Tantum profeci autem
multa & indefessa Veritatis inuestigatione, ut longe firmioribus mihi argumen-
tis & illustrioribus alteram Heluticarum Ecclesiarum sententiam quam Lu-
theri didicerim. Sed & antiquiorem multo reperio, quod de habere perspicua testi-
monia

monia veteris & purioris Ecclesiae utriusq. Graecae & latinae ante superstitiones tenebras, & tyrannidem Romanae Ecclesiae, cum Lutheri opinio multo sit recentior, extructa ex eodem fundamento Missae & idolatriae pontificiae, quo fuit primae Ecclesiae spurcissima. Si ergo illam prae Lutheri opinione amplector, nemo me iure reprehendet. At si dissentientes non tollerare Magistratui fuit decretum, cur id publico interdicto dudum non fuit promulgatum? Cur me tam diu, tam patienter, in schola, in aula, in his regionibus tulistis? quem non ignoratis in hac sententia diversa fuisse, ut quem Archicalvinistam vocare estis soliti. Quam ob causam me nunc spoliatum honoribus omnibusq ac dignitatibus, relegatum in exilium, & in solitudinem conclusum vi retinetis. Certe si aut interdicto cautum fuisset, ne quis sentiret aut profiteretur a Luthero diversum, aut mihi id constitisset, Principes id tolleraturos non esse, dudum ego sponte valedicturus his terris, nec praesentia mea offensurus quemquam fuissem. Cum ergo contra nullam legem, contra edicta nulla deliquerim: nulla etiam lex lata, nullum edictum propositum fuit: cur tam atrociter punior. Cur meo merito retineor vinctus iuramento, ne quo me vertam ex hoc loco? Denique quid meritus sum miser ego cum paucis alijs, ut tanta afficiamur contumelia, cum alijs idem dogma multo liberius professis, impune id facere licuerit? Certa inquies, per conspirationes & practicas introducere novum dogma conati estis. At tu me de nullis unquam consp. prob. & practicis convictum, postrema est tua examinatione

prorsus

prorsus innocentem & reperisti, & reipsa declarasti, sicut ostendi euidenter: & ego tibi multis modis innocentiam demonstraui meam. Sed exemplo, inquies, opus erat & seueritate: alioquin principes in discrimen venturi fuissent ex suspicione quod fouerent addictos Sacramentarijs, contra leges religiosae pacis: et periculum erat ne conuulsa autoritate Lutheri, accensa inter incolas certamina in lanienam gallicam erumperent, & principes summo cum discrimine implicarent. Haec pericula exemplo auertenda fuerunt. Nos ergo tibi idonei visi sumus, Architecte, in quos statueretur exemplum, & qui ludibrio totius Germaniae exponeremur! Sed sit ita sane. Intelligo pericula: fateor sine magnis motibus, odijs, certaminibus, non suscipi patrocinium & defensionem veritatis caelestis. Hoc scilicet est quod dicit Christus: Non veni mittere pacem sed gladium. Sed periculorumne metu quaeso vel cura inquirenda proferenda & propugnanda, vel confessio, vel defensio veritatis est abijcienda? Nonne inquit filius Dei: Qui inuenerit animam suam perdet eam: & qui perdiderit eam mea causa inueniet eam. Item Quisquis voluerit animam suam seruare perdet eam, Quisquis autem perdiderit animam suam, mea causa, inueniet eam. Dura sunt voces istae & ingratae auribus humanis, qui religionem quaerimus cum otio & tranquillitate coniunctam. Habet Ecclesia alias laetiora & tranquilliora tempora, cum halcyonia quaedam, mitescentibus tempestatibus persecutionum: alias tristiora, quae propter aduersationes, odia, scismata, oppugnationes hostiles non deserenda

tamen

tamen aut prijcienda est Veritatis confessio. Si propter pericula aut Constantinus Magnus non defendisset pias Ecclesias adversus Licinij tyrannidem; aut FRIDERICUS Sapiens Elector Saxoniae non praebuisset receptum & hospitium Luthero: nec victrix veritas religio Christiana deleuisset idola Ethnica, nec prolata lux veritatis Euangelicae discussisset tenebras & depulisset iugum regni & tyrannidis pontificiae. Ita, nisi essent, qui defensa in hac ipsa controversia nostra sententia, autoritate publica inciderent nervum idololatriae & tyrannidis pontificiae, qui opinione contraria validissime adstringitur & roboratur, velut Alexander incidit nodum Gordium, nunquam penitus delebitur hoc regnum superstitionis & tenebrarum. Saepe de Luthero cogitanti mihi venit in mentem exemplum Eliae prophetae, qui quanta habuerit testimonia divina scimus omnes. Sed ille ipse cultum Baal & alia Ethnica idola omnia, cum ex populo Israelitico sustulisset, cultum tamen aureorum vitulorum in Dan & Bethel tollere non poterat, quod esset nervus illius regni institutus in hunc finem ut populum Israeliticum a templo, sacerdotio, cultu & regno Iudaico abduceret. Si ergo tantus propheta, tantis ornatus divinitus testimonijs non potuit populum ad quem missus erat repurgare ab omnibus idolis: neque Lutheri vocationi propterea decedat fides & autoritas, si hoc fundamentum regni pontificij non deleuit funditus. Nec conuellitur autoritas Lutheri, si, qui ei successerunt veritate clarius patefacta, demonstrarunt quo modo everti idololatria debeat quae obscurat, imo rapit honorem Deo debitum, & a Christo vero Deo

cultum

cultum convertit ad creaturam. Non est enim, nec fuit ulla tetrior & hor-
ribilior idolatria in Ecclesia, inde usque á temporibus Christi & Apostolorum, hoc ipso cul-
tu consecrati panis, cuius nervus est seu conversio substantiae panis in corpus Christi
seu huius ad panem annexus seu alligatio, qualiscunque sane fingatur, & quocunque
pingatur fuco. Ab hac idolatria ut repurgetur orbis Christianus, supe-
rior magistratus nullis parcere sumptibus, nulla recusare vel defugere debebat
pericula. Sed ad ea pericula nondum ventum est: & fortassis non ad ea
deveniretur: Et perdurabit idolum illud usque ad gloriosum adventum filii dei,
sicut Pauli Apostoli vaticinium videtur innuere. De periculis igitur propioribus
loquor á turbata tranquillitate, quae si tantopere extimescis ut propterea non mo-
do non existimes adiuvandam esse vel opera atque authoritate publica patefac-
tionem veritatis, vel testimonio aut defensione propugnationem: sed oppugnan-
dam etiam hostiliter ac profligandam, procul erras, si minore cum iactura fa-
mae, tranquillitatis, conscientiae, oppressis & contumelia affectis bonis viris, quam
his benigne dimissis averti aut depelli illa posse credidisti. Uno interdicto,
una epistola, uno nutu periculum hoc omne fuisset, & cessissent omnes sum-
ma voluntate & propensissime his Ecclesiis libenter. Nec te ut metu lamie-
nae Gallicae excruciares erat opus, quam te fugere, ut specie aspirantium nullam
ad turpater servitutis exagites, minime obscurum est. Cur ardet Gallia
intestino bello? Cur suorum civium sanguinem? Principibus ne culpa,
an propter

an propter furores hostium Evangelij, qui immani & atroci animo atque crudeli, furentes
Veritati Evangelicae sese opponunt, & caedibus ac supplicijs prohibere conantur, ne illu-
cescat illa ac propagetur, ne sonet & exaudiatur vox filij Dej, ne qui ad DEUM
in vera filij agnitione & fiducia convertantur. Juste inquies coercentur qui
religionem novam contra Magistratus sui voluntatem seditiose introducunt. Vetus
hoc est sophisma Sathanae, tribuere Evangelio quod est malitiae hominum & seditio-
nes vocare & interpretari studium illustrandae & propagandae veritatis caelestis.
An non meministi, quid de hac obiectione Nostri dudum responderint Pontifi-
cijs gravissime? quam constanter autoritate Christi & Apostolorum crimen &
culpam seditionum depulerint a sese, & in autores Pontificios & Architectos hostili-
um molitionum contra patefactam Veritatem retorserint? Si nescis illa legas
& cognoscas in tot publicis scriptis quae extant. Nec de hac tam manifesta ca-
lumnia, quam multorum scriptis refutatur, quidquam addo amplius. Si enim Veritas
cura fuisset, in hanc eadem facilitate conciliari concordia potuisset, qua in consen-
sum Tridentinum fuit antea, facilius certe quam in formulam recentem, cuius ap-
probationem extorqueri cruce, aut metu carceris oportuit. Sed aliud spectarj
& pericula quietem turbatura nescio quae ex religiosae pacis violatione magis
mihi manifesto apparet quam minas caelestes. Ac valde vereor nec eam quae
quaeritur tranquillitatem aut securitatem aut diu duraturam esse: nec procul
abfuturas esse poenas caelestes, quae obstinatum contemptum & persecutionem
hostilem

hostilem ostensae veritatis, immota lege iustitiae divinae immutabiliter comitan-
tur. Ut ergo concludam hanc Apologiam meam. Si constitutum fuit prin-
cipibus neutrum pati, neque ut fiat inquisitio veritatis, nec ut doceatur aut sonet
à Lutheri sententia diversum in his terris quicquam, dimitti aut interdicto publico
moneri, ut vel desisteremus à proposito vel discederemus, nec iniquis & calum-
niosis praetextibus opprimi debuissemus, ut contumeliose traheremur ad poenam
cuius simile in Germania compertum non est, praesertim ut hoc modo ageretur
cum hominibus liberis & per se te. Nulla enim est quisque nostrum servitute ob-
strictus cuiquam, & Academiae immunitate ac privilegiis, in causa pertinente
ad Deum & gloriam filii Dei, & quidem in controversa causa, in qua inquisitio
professioque veritatis per se concessa & libera est omnibus etiam humano iure
Sed divino mandato praecepta est omnibus [illegible] sub poena amissionis
aeternae salutis, & aeternorum bonorum. Dimitti ergo non contumeliose de-
portari debuissemus. Illud enim laude titulum clementiae & moderationi Prin-
cipum fuisset: De hoc vero impetu violentiae longe aliter iudicatura est &
praesens aetas & posteritas. Ac plerique nostrum longe aliter de his terris tot
annorum continuis & utilissimis laboribus meriti sumus: ut cetera omnia taceam.
Sed quod mutari non potest id auxiliante Spiritu sancto, ac mihi quasi
succenturiante ita fero, ut quamquam fatiscam quandoque & labar, non succumbam
tamen illo fido Achate ex omni parte me fulciente praesidiis consolationum ne-
cessariarum

cessariarum. Quin afficiar autem vehementer fieri aliter non potest. Sed non tam
meis calamitatibus moveor quantaecunque illae sunt quam poenis & calamitatibus pub
licis, quas Germaniae hostili contemptu & persecutione veritatis in his ipsis articulis
ductus, quorum uterque pertinet ad agnitionem veram & honorem filij Dej sibi at-
trahit & accelerat. Gallia & Belgicum haud dubie poenas dant desertae tam
diu idolomaniae in pontificia missa tot parricidijs. Utrique enim luunt poenas
contempti multis cladibus, & qui tuentur & qui oppugnant illam idolomaniam,
quod parentes utrorumque coniunctis operis oppugnarunt omnemque gloriam &
veritatem filij Dej. Quid nobis eventurum existimamus qui in tanta luce
patefactae, demonstratae, assertae veritatis omni conatu id agimus ne locum
veritas reperiat, ne sonet aut exaudiatur in ullo angulo Germaniae: Sed
ut profligata ultra Garamantes & Indos procul a nobis exulet. Exula
bit igitur, & nos pro luce veritatis obruent atque opperiment tenebrae horren-
dae cum publicis cladibus, quas quod in caelo fulsit sydus anno vertente am
plius, absque omni dubio denunciavit. Cum autem caput totius causae & actio
nis contra me vertatur in hoc articulo quod introductionem novi sacramentarij
dogmatis in has terras adiuverim: nec sciunt quisquam qui aut sua voce explicavit
aut meis scriptis demonstravit, aut ex me agnoscere vel audire volunt quale
id sit, quidve sentiam aut doceam: ne me quis fanaticis opinionibus iudicio
orthodoxae Ecclesiae damnatis contaminatum fuisse suspicetur aut calumnietur:

ab

ab his suspicionibus & calumnijs mea confessione cogit me vindicare conscientia mea. Hanc igitur edam perspicue & plane: Iudicet eam Ecclesia orthodoxa, non polluta idolis, non fascinata blasphemis opinionibus de filio Dei, sed hunc recte agnoscens & inuocans, sicut se patefecit. Huius verae Ecclesiae iudicio me & confessionem meam subijcio. De duobus capitibus doctrinae Christianae certamina mota sunt: de incarnatione filij Dei seu vnione hypostatica duarum naturarum in Christo, & de praesentia filij Dei in Cena sacra. Posterius multis annis exercuit Ecclesiam grauissime, pene inde usque ab initio repurgatae doctrinae Euangelicae. Prius ex Nestorij & Eutychis furoribus a Swenckfeldio renouatum, sed multo maiore contentione a Theologis Wirtebergicis agitatum, falso commento Vbiquitatis totam alteram partem secundi articuli symboli de filio Dei abolere voluerunt. De hoc ergo prius, quia alterius fundamentum statuitur a patronis Vbiquitatis. Quaeritur, quo sensu accipienda sint verba Ioannis Euangelistae, Verbum caro factum est: et Symboli verba, Et homo factus est: cum toto contextu usque ad articuli secundi finem. Wirtebergici hoc sensu inquiunt: Verbum caro factum est, id est, Verbum seu natura diuina in Christo effudit in naturam humanam [illegible] tam omnes suas proprietates essentiales, omnipotentiam, omniscientiam, omnipraesentiam, & humanam penitus absorpsit. Alij in his terris offensi absurditate, quod si immortalitas in humanam naturam effusa esset, mori non potuisset, & repudiantes Pap[illegible] quod huic delirio addiderunt, Christum non vere sed phan-

tasia &

tasia esse naturam hominem & mortuum esse: cui Ignatius statim in prima Epistola contradixit, inquiens: οὐ δοκήσει, οὐ φαντασίᾳ, ἀλλ᾽ ἀληθῶς ἐγεννήθη ἄνθρωπος, ἀληθῶς ἐσταυρώθη, ἀληθῶς ἀπέθανε. Contra hoc ergo Stancarum finxerunt quasdam esse essentias proprietates, quasdam non. Hos teteros & blasphemos in filium Dei errores toto pectore execror, & cum orthodoxa Ecclesia omnium temporum credo & confiteor: primum, Christum Dei filium esse de essentia patris ab aeterno genitum, & secundam esse personam divinitatis, & λόγον atque imaginem aeterni patris ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον τῷ πατρὶ ἀϊδίῳ, qui initio protulit Evangelium ex sinu patris, & in paradiso affatus est primos parentes, eosque ex faucibus aeternae mortis, edita voce promissionis de semine eripuit, & postea in longi temporis solitudine & maestitia saepe coram eos invisibiliter erexit & protexit: qui hospitio exceptus est a patriarcha Abraham, & Sodomam aliasque in[=]cestas civitates incendio delevit, qui conspectus est in scala, luctatus est cum Iacob; qui servavit Iosephum, servavit Mosen abiectum in profluentem Nili; misit enim ad eductionem populi ex Aegypto per mare rubrum, & ad constitutionem politiae Iudaicae; qui gubernavit totum cursum Moisis, manus Iosuae, Davidis, Gedeonis praeliantium, ostendit se prophetis; conspectus est in fornace Babylonica. Deinde credo & confiteor hunc λόγον aeterni patris admirando decreto divinitatis, tempore constituto assumpsisse humanam naturam in utero Mariae Virginis

integram

integram & incorruptam, corpus & animam sine peccato, habentem oes essen..
tiales seu naturales proprietates animae & corporis, vires & appetitiones nrae humanae
proprias & ordinatas, & simul infirmitates eiusdem naturae, q sunt poena &
non peccata, secundum humanam naturam passibilem & mortalem, sentientem
dolores animi & corporis, moestitiam, lacrimationes nervorum & alios affectus si..
ne peccato, ut mori posset pro peccatis generis humani. Tertio, credo &
confiteor λόγον aeterni patris assumpsisse humanam naturam in unitate per..
sonae, copulatam sibi indissolubili foedere & unione hypostatica, id est, non
tantum inseparabiliter, sed etiam tali unione ut ambae sint unum ὑφιστα..
μενον, atque natura humana assumpta talem habeat ordinem ad assumentem
λόγον, ut massa illa non esset nisi sic gestaretur & sic sustentaretur ἀπὸ
τοῦ λόγου: sine ulla tamen physica confusione aut permutatione inter se
naturarum, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, secundum
verba decreti Chalcedonensis: neque differentia naturarum & tollente
unionem hypostaticam, nec unione hypostatica confundente inter se natu..
ras, sed qualibet natura retinente sua ἰδιώματα essentialia, suam
voluntatem, suas actiones, citra confusionem: & in iis quae sunt officii
qualibet agente quod suum est, ὅπερ τὸ ἴδιον, secundum proprietatis
suae modum, unde una fit actio quae est totius personae & θεανδρική
vocatur, quia unus & idem Christus θεάνθρωπος: divina & humana
operatur: & unum fit ἀποτέλεσμα, quod similiter est opus totius

personae

persona, sicut est totum opus redemptionis & salvationis, etsi multa fiunt ministerio naturae assumptae. Ut ergo inseparabiles naturas in Christo, sic appellationes discerno, quae significant proprietates naturarum, & appellationes officij, ad quod missus est Christus: ac retineo firmiter doctrinam Ecclesiae de communicatione idiomatum, cuius fons & fundamentum est Unio hypostatica & distinctio proprietatum naturae cuiuslibet. Propria sunt naturae humanae pati, vulnerari, mori, finitum & circumscriptum esse. Propria autem divinae naturae, esse omnipotentem, immortalem, infinitum, ubique praesentem. Sed nomina officij sunt, Redemptor, Salvator, Rex, Pastor. Haec nomina competunt toti personae, non tantum humanae naturae. Etsi autem actiones quaedam sunt in natura hum. propriae, ut dolores &c & agones in passione: tamen missio filij fit ab initio Ecclesiae. Filius perpetuo adest Ecclesiae, patefacit promissionem, colligit & servat Eccl. & vult illam suam obedientiam: Est intercessor, propitiator, salvator propter illam futuram obedientiam quae est personae postquam assumsit humanam naturam: Est efficax in credentibus, & exhibet atque applicat eis bona aeterna lucis, iustitiae, & vitae aeternae per Spiritum Sanctum fide, ministerio promissionis & sacramentorum. Nec missio & obedientia tollunt aequalitatem personae. Rursus etsi qualibet natura sua retinet idiomata essentialia: tamen ea ipsa idiomata recte tribuuntur toti personae in concreto propter unionem hypostaticam duarum naturarum. Hunc modum loquendi

quo

quo proprietas vni naturae conueniens tribuitur personae in concreto, vocarunt Graeci περιχώρησιν καὶ ἀντίδοσιν, Latini communicationem idiomatum, quae est praedicatio seu modus loquendi, non ut falso nunc fingunt, physica confusio naturarum. Propter vnionem hypostaticam & idiomatum distinctione recte Christum voco Dei filium, & Mariae filium: & Mariam θεοτόκον, quod non concedit Nestorius. Recte dico: Christus est homo, Christus est mortuus, Deus est vulneratus, sicut recte dico, Homo est animal rationale, Homo est mortalis. In abstracto non recte dico, Diuinitas est passa, vulnerata, mortua. Sicut non recte dico, Corpus hominis est immortale, Anima hominis est immortalis aut bruta. Hac enim a copulatione animae & corporis sumpta imagine Antiquitas ad declarandam utcunque vnionem hypostaticam duarum naturarum in Christo usa est, etsi non per omnia congruit. Sed discerni tamen oportet propositiones quae de proprietatibus essentialibus, a reliquis quae de officio loquuntur. In illis addi oportet declarationem sumptam a naturae proprietate, vt cum dico, Christus est vbique secundum diuinam naturam. Hac declaratione in propositionibus de officio non est opus: quod officium commune est vtrique, & toti personae, vt cum dico, Christus est mediator. Christum itaque credo & confiteor verum Deum & verum hominem, sed vnum Christum, non alium Deum, alium hominem: Et in vna Christi persona duas distinctas personas inseparabiliter copulatas, & ea ratione quidem vt natura diuina

assumens

assumens & natura assumpta sint unum ἀδιαίρετον, agnosco & confiteor. Eu-
tychen autem condemno qui dicebat, μετὰ τὴν ἕνωσιν μίαν φύσιν ὁμολο-
γεῖν. Condemno et Nestorium qui divinam naturam Christo adesse contendit
tantum per assistentiam aut societatem, ut Heliae, & aliis sanctis. Eun-
dem Christum credo & confiteor carne passum, crucifixum, mortuum, descen-
disse ad inferos, & resuscitatum a mortuis ascendisse in coelum, & sedere ad
dexteram Dei omnipotentis, unde venturus est judicare vivos & mortuos.
Execror igitur furores illorum qui contendunt λόγον, vel naturam divi-
nam esse passam & mortuam, contra ὁ Χριστιανὸν Polidectum. Si enim in
Christo talis est natura divina quae pati & mori potest, Ergo λόγος alli-
gatus est corpori ita non potest sit extra corpus, & tantum est illa na-
tura humana visibilis & tangibilis. Item non est una & eadem essen-
tia patris & filii, cum in propheta dicatur, Ego sum Deus, & non mutor.
Maxima autem mutationum est illa quae fit de vita in mortem. Er-
go Christo detrahitur natura divina. Execror & Nestorium qui secundum
Theophylactum dixit τὸν Χριστὸν μετὰ τὴν ἀνάστασιν θεοποιηθῆναι. Item
Acephalos & Monophysitas & recentes omnes etiam in historiis qui ascensionem
Christi in coelum interpretantur ἀφανισμὸν & proprietatibus essentialibus huma-
nae naturae eum exuunt & spoliant post resurrectionem, ascensionem in coe-
los & collocationem ad dexteram aeterni patris in regnum & sacerdotium
aeternum

aeternam cum Nestorio, Swenkfeldio & alijs: & tribuunt Christo post glorificationem corpus sine proprietatibus substantialibus humani corporis, infinitum, & ubiq. praesens, detrahentes ei dimensiones finitas, ac loco circumscriptas in longum, latum & profundum. Articulum symboli autem de ascensione in caelum intelligo simpliciter sicut sonat sine ulla allegoria, de physica & visibili translatione corporali in caelum, sed ita ut sit ad dexteram Dei patris, hoc est, ut exaltatus in regno & sacerdotio teneat omnipotentem gubernationem una cum aeterno patre, ad quem adducet post universale iudicium universam Ecclesiam Electorum. Itaq. toto pectore & ore profiteor Dominum nostrum Iesum Christum resurrexisse a mortuis carne, sicut ostendunt perspicua testimonia: Videte me & contrectate me, Spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis me habere. Item: Resurrexit non est hic. Videbitis eum euntem sicut ascendentem est. Item Veniet in nubibus, Habebit alios stantes a dextris alios a sinistris. Item, Me non semper habebitis vobiscum. Et Paulus inquit Dominum profectum esse in caelos. Et Stephanus conspicatur caelos apertos, & filium hominis stantem ad dextram patris. Deinde profiteor eundem post ascensionem dierum quadraginta conversationem & familiaritatem cum Maria matre, Apostolis & universo caetu Ecclesiae illius temporis non evanuisse, aut non esse amissum ut spectrum, sed comitante magno agmine hominum resuscitatorum, & spectante tota quingentorum audito-

rum multitudine euectum esse ex hoc mundo in caelum, ad vitam, gloriam
& regnum coeleste: id est: illam ipsam humanam naturam assumptam ex Vir
gine & resuscitatam confiteor euectam esse ad dexteram Dei, ubi ante non erat:
ibi nunc est Christus Deus & homo, caput Ecclesiae, monstrans beatis patrem in
clara luce & immediate. Haec glorificatio & exaltatio humanae naturae in
Christo non mutauit essentialia idiomata naturae. Nam glorificatio Christi post
resurrectionem est accessio excellentis & ineffabilis gloriae, qua non abolentur, aut
detractis idiomatis mutatur substantia naturae assumptae ex Virgine, sed cor-
pus fit ex infirmo, passibili & mortali, impassibile, immortale, agile, lucidum
lens, cum conspectu essentiae diuinae, ac praerogatiua ingenti donorum, gloriae, bea
titudinis, laetitiae, in tali gradu qui antecedit omnibus creaturis. Sed non glo-
rificatus tantum, verum & exaltatus est Christus in regno & sacerdotio, ita ut
hic Dominus exaltatus supra omnes creaturas secundum utramque naturam sit
deinceps gloriosum caput Ecclesiae, perficiens omnia in omnibus electis. Est
igitur Christus sublatus ad dexteram Dei patris collocatus in arcanam lucem &
laetitiam inaccessibilem creaturis: Et exaltatus ad regnum & sacerdotium aeter
num, ut regnet aequali potentia cum patre, & ut natura humana assumpta in
Christo sit sona victoriae qua conteritur caput serpentis & destruuntur opera
Diaboli: sit sona regni, sacerdotii et gloriae, ut unica λατρεία inuocetur
Dominus noster Iesus Christus, Deus & homo, adoretur ab Angelis, ut intercedat

&

pro Ecclesia, ut colligat, protegat, servet & salvet eam, depellat Diabolos & diabolica organa. Firmiter itaq. credo & toto pectore profiteor Christum corpore suo glorioso in coelo esse secundum veri corporis modum, id est locatione physica quae est corporum circumscriptorum: unde se toti generi humano in hoc ipso suo glorificato corpore Christus in nubibus ostensurus est, cum veniat iudicare vivos & mortuos. Nam πολίτευμα nostrum in coelo est: unde expectamus Salvatorem Dominum Iesum Christum, qui transformabit corpus nostrum humile: ut conforme fiat suo glorioso corpori, pro efficacia qua potest sibi subiicere omnia: sicut & Paulus inquit. Nec agnosco in Christo aut plura corpora, aut contraria inter se essentialia ἰδιώματα, finita & infinita quae audacter aliqui comminiscuntur: sed unum corpus tantum, quod etsi glorificatum est ut dixi, tamen est ὄντως σῶμα, & essentialia idiomata nunquam exuit aut deponit. In hoc glorioso corpore suo certo & confido me Redemptorem meum visurum esse: & ut laetus eum aspiciam sedentem pro tribunali; & denique in tota aeterna gratitudine in coelis celebrem toto precor pectore. Haec de priore articulo confessio est mea, imo non mea sed Apostolorum & totius antiquitatis in orthodoxa Ecclesia: quam cum laceravint & conspurcarint contumeliose & blaspheme, qui & huius tragoediae totius & harum nobis innascentibus calamitatum primi sunt autores, eo quod principes incitaverunt: voco universos illos & singulos ad tribunal Filii Dei Christi

utroq

utroq ordine, sacro & politico, audituros omnes cum hoc dogma tam immaniter oderint & exagitarint. Venio ad alterum articulum de vera presentia Christi in sacra cena, in quem, cum fundamenta de veritate humanae naturae in Christo Ecclesia omnium temporum, et Romana conservarit incorrupta tam, mirarer tantas potuisse incepere tenebras, nisi scirem quantam vim afferat humanis mentibus fulcimentum superstitionis in ritum externorum observatione, et curiositatem suam. Plerumque humanae mentes magis moventur spectaculis externis rituum divinorum quam voce Dei, ut olim in sacrificijs, & recens in sacramentis; & doctrina vel negligentia vel dissidijs docentium, ut plerumque fit, vel opinionibus gentium paulatim intervenientibus. Cito oblita promissionis ac veri usus rituum solis inhaerent symbolis externis, sine verbo, & aut mutant signa in numina, sicut Chaldaei & Persae ignem fingebant esse Deum ipsum, quia audierant ignem de caelis lapso incensas esse victimas, aut alligant numina ad symbola, aut tribuunt eis peculiarem vim divinam. Postea instituunt & cumulant opera peculiaria quae fingunt cultus esse, & mereri remissionem peccatorum ijs pro quibus exercentur & fiunt. A talibus profectus initijs caepit terribilis depravatio Cenae Dominicae, & idolatria missae pontificiae, cuius in Ecclesia quae ante tempora Gregorij Magni nulla reperiuntur vestigia. Semina prima depravationis huius nata sunt ex opinione de sacrificio & oblatione pro vivis & mortuis. Abusui oblationis, quam Gregorius Magnus spectris motus confirmavit, occasionem praebuerunt & alios prop

ritus externi oblationis symbolorum & preces atq. gratiarumactiones com-
munes & publicæ quæ fiebant ad sacram synaxin, ubi & munera quæ ob-
lationes nominatæ sunt adhibebantur ad mensam Domini; & post peractam
cœnam reliquiæ distribuebantur inter pauperes. Presbyter ante distributionem
cœnæ Dominicæ offerebat, id est commendabat Deo totam actionem sacram, tum
eorum qui distribuunt, tum illorum qui in vera conversione ad Deum & fide
vera, cum invocatione Dei, & gratiarumactione pro toto fructu passionis & mor-
tis Christi accepturi erant corpus & sanguinem Domini: & offerebat ea tanquam
sacrificium quoddam & oblationem, idq. Deo ut gratum atq acceptum esset propter
Christi victimam & sacrificium petebat. Respexit autem pia antiquitas haud
dubie ad dictum Petri: quod fideles sint sacerdotium sanctum ad offerendas hos-
tias spirituales, acceptabiles Deo per Christum. Offerebat vero & ipsa antitypa
seu symbola, atq. ea sanctificari Spiritu sancto in usu instituto & legitimo
credentium precabatur, sicut veterum canonum verba evidenter demonstrant.
Scilicet ut sint sumentibus corpus & sanguis Christi, hoc est, ut in vero
usu symbolorum exhibeantur & applicentur fide sumentibus cum Christo ipso om-nia
eius beneficia. Miscebantur & vota precesq pro tota Ecclesia, & pro sin-
gulis quibus opus erat intercessione Ecclesiæ ad Deum, & auxilio communium
precum. Hæc recte intelligebantur & recte fiebant dum esset doctrina de usu Sacra-
mentorum integra & sana: qua degenerante paulatim, irrepserunt abusus, cumque

his

his oblationes alienae & novae; & affictum est oblationi cum Symbolorum usu [illegible]
vulgi errore tribui quaedam autoritas & efficacia sanctificationis, cui praetextus
decori quaesiti sunt ex antiquitate. Tandem aucta & confirmata persua-
sione de fructu oblationis, post Damascenum, inde usque a temporibus Caroli
Magni & Ludovici Pii, quod toti actioni, distributioni, & sumptioni corporis
& sanguinis Christi, piorumque gratiarum actioni & precibus communicantium tributum
erat, translatum est paulatim in ipsum ritum oblationis Symbolorum: & quae
sibi merui, ut diceretur oblatio veri [illegible] Symbolorum: donec Symbola
pro ipso corpore & sanguine Christi habita & culta sunt. Ita paulatim usus
Sacramenti coeptum est, non ad genuinum finem & usum hominis sumentis sacramen-
tum institutum, sed quomodo prodesset etiam non sumenti? & excogitatae sunt voces
quibus fieret ad Symbola alligatio rerum significatarum, corporis scilicet &
sanguinis Christi, in usu & extra usum: augerenturque crescentia ceremonia-
rum opinione certi & necessarii cultus, qui sumenti propter opus ipsum sump-
tionis, etiam sine fide, non sumenti in applicatione oblationis prodesset: donec tota
Sacramenti ratio mutata est, & ex novis his fundamentis in abominandam
idolatriam degeneravit. Ex his commentis audaciae humanae amota
doctrina de vero usu Sacramentorum, nati sunt duo maximi & perniciosissi-
mi errores, inter se non dico diametro distantes atque contrarii: Unus
superstitionis idolatricae qui peccat excessu: Alter impiae profanationis
qui in defectu peccat. Hic posterior minus late vagatus est, & fana-
ticor

ticorum seu Enthusiastarum proprius est, quales sunt hodie Anabaptistae, Swenk-
feldiani & horum similes, quorum aliqui fingunt Coenam Domini tantum
inane spectaculum esse simile tragoedijs de Hercule aut Theseo, ubi mortuorum
& absentium celebratur memoria. Aliqui signum esse volunt externae profes-
sionis & societatis cum Ecclesia, quod discernat coetum Christianorum ab alijs
extra Ecclesiam agminibus, sicut toga discernebat civem Romanum ab homi-
ne Graeco. Aliqui verba institutionis & ritum transformant in allegoriam
quasi externa actio seu sumptio sit tantum umbra & inanis pictura manduca-
tionis internae & spiritualis: & externa elementa sint inania & nuda sym-
bola. Haec blasphema & profana Enthusiastarum deliria toto pectore exsecror.
Agnosco & profiteor Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum vere in no-
bis praesentem vivere & regnare, & sic adesse suo Sacramento vere & sub-
stantialiter, ut in hac sumptione velit se nobiscum coniungere, seu nos con-
sociare sibi vera societate, applicare nobis sua beneficia, nos vivificare, &
perpetuo in nobis efficacem esse. Prior error excessu peccans eorum qui
quocunque modo seu quacunque specie Christum seu vere seu Concomitantia corpore
praesentia sua durabili seu momentanea alligant ad symbola extra hominem
& extra usum ac legitimum symbolorum usum ad quem instituta sunt, quasi
adsit per symbola & non per usum. Vera enim Sacramenta in actu non se-
ipsa per se sola symbola. Aqua baptismi sola non est baptismus. Panis & vinum
non

non sunt ipsa Sacramenta: quo communi errore tenetur fascinata maxima multitudo hominum: sed sunt actiones certi generis divinitus institutae, seu ritus divinitus instituti ad certum finem quibus addita est promissio in Evangelio tradita, ut sint testimonium & pignus remissionis gratiae exhibitae & applicatae singulis. Baptismus est actio, id est, tota illa mersio in aquam, & pronunciatio verbi in eum finem, ut fiat fide, spiritu παλιγγενεσία seu regeneratio ad novam & aeternam vitam. Sacra coena est actio: scilicet manducatio panis & vini, divinitus instituta, in eum finem, ut fiat fide & spiritu sancto communio corporis & sanguinis Christi, seu insertio in corpus Christi: Et in utroque sacramento fiat applicatio omnium beneficiorum Christi, cuius sit obsignator & sigillum haec actio confirmans fidem & promissionem. Tunc ergo sunt vera sacramenta quando conveniunt omnes causae, & finis correspondet ad quem sunt instituta, de quo postea dicam. Ut autem fecunda est superstitio: ita hic error sese in multiplices diduxit & effudit formas, discrepantibus de modo praesentiae opinionibus: in unum hoc fine tamen & conveniunt & occupantur, atque elaborant ut dementer omnes ut persuadeant sumentibus non quomodo Christus se praesens communicet credenti in vero & legitimo usu symbolorum: & in credente quomodo habitet & sit efficax: sed quomodo sit contentus in pane & vino: quasi Sacramentum hoc sit institutum eo, ut Christus externis symbolis se & non cordi coniungat, & in symbolis non in pectoribus nostris sit quaerendus. Accidit autem perinde utrisque istis quod memini socerum meum cuidam Italo expostulanti cum eo Wormaciae cum transsubstantiatio.

stantiationem oppugnaret tam atrociter? respondet: Vos Itali quaeritis Deum in
pane, quem non creditis esse in caelo. Plane enim hi omnes Christi corpus in
pane quaerunt, quando in caelo esse pertinaciter infitiantur, contra Evangelicae veri-
tatis auctoritatem. Triplicem autem modum praesentiae corporis Christi in pane
& vino, tribus inter se toto caelo dissentientibus sententijs constitui reperio: unum
magicum, alterum physicum, tertium hyperphysicum. Magicam praesentiam
Pontificij fingunt, innixi argumento sumpto ex verborum Christi veritate: Hoc
est corpus meum: & ex omnipotentia. Hi enim retinent verba sicut sonant,
urgentes τὸ ῥητόν, quod in hoc falso sensu de praesentia corporali ad solum eius
pontificium commentum utcunque congruit, praedicatione identica, & conversione
simplici. Tribuunt autem vim magicam verbis, quorum virtute res seu sub-
stantia symbolorum mutentur. Consecrare, inquiunt, est pronunciatione
verborum Christi, quae sunt in institutione, mutare substantias externorum
symbolorum in substantiam corporis Christi. Hoc vero efficere aiunt tantum
verba pronunciata a Sacerdote Canonico consecrato & uncto: propterea, sicut
Bavaricus Monachus Wormatiae blaspheme concionabatur, ordinem sacerdo-
tum hac praerogativa & dignitate antecellere matri Mariae, quod illa
Christum semel pepererit, Sacerdotes autem toties conficiant (hoc enim
verbo utuntur) quoties consecrent. Huius blasphemae & impiae opi-
nionis fundamenta faciunt τὸ ῥητόν verborum Christi: quia, inqui-
unt dixit Dominus, Hoc est corpus meum: cumque sit Christus veritas

ipsa

ipsa, ut sit quod dixit necesse est. Fit igitur cum verba institutionis pronuntiantur μεταποίησις seu μεταστοιχείωσις seu μετουσία, id est, mutatur substantia elementorum symbolorum, Christo per omnipotentiam suam efficiente id quod dixit. Sed si obiicias, Non apparet ulla mutatio: Symbola enim οὐκ ἐξίσταται τῆς ἰδίας φύσεως, sicut Theodoretus inquit, sed a consecratione conservant pristinam magnitudinem, figuram, colorem? Fit inquiunt vi omnipotentiae transmutatio substantiarum tantum, non accidentium quae remanent, & sine suo consistunt subiecto, sustentata vi divina. Extenditur enim a corpore Christi quod in caelis est ad panem vis omnipotens, mutationis istius effectrix. Ita τὸ ῥητὸν retinentes Pontificij praesentiam corporis Christi in pane statuunt substantiarum mutationem, ne impingant in articulos symboli de ascensione Christi in caelum & sessione ad dexteram, quos vident veritatis labefactandos esse? Circumspectiores scilicet & cautiores recentibus qui convellere & evertere symboli articulos malunt quam conceptam de praesentia corporis Christi in pane opinionem deponere.

Hoc impium, blasphemum & mendax commentum quod absurditate manifesta ostenderet, alij, relicta substantiarum mutatione decurrerunt ad συζυγίαν seu σύζευξιν seu συνουσίαν id est copulationem duarum substantiarum corporis & panis: sanguinis Christi & vini: At similiter vi verborum asserunt detrahi corpus Christi e caelo & cum panis substantia copulari.

Haec non minus blasphema opinio, & a pontificijs ipsis & a Doctore Luthero propter impietatem incurrentem in manifestos fidei articulos constanter

rep.

repudiata, tantopere tamen arrisit nonnullis Theologastris recentioribus ut ve-
riti non sint autem blasphemo fingere ἕνωσιν ὑποστατικὴν symbolorum &
corporis Christi, qualis est divinae & humanae naturae in Christo. Utrumque
commentum igitur tanquam repugnans & claris atque expressis Pauli verbis (qui ante
et post consecrationem panem vocat panem, calicem vocat calicem, panemque ac
vinum sumi ait) & toti sacramentorum rationi, & huius ipsius sacramenti in-
stitutioni, toto pectore reiicio atque execror. Sed hoc posterius discedit etiam a
veritate verborum. Si fit enim connexio seu copulatio duarum essentiarum &
naturarum suam symbola retinent: cadit & evanescit τὸ ῥητόν. Hoc est vera
propositio praedicatione identica & conversione simplici: Hoc est corpus meum.
Verba institutionis verissima sunt sicut sonant ex natura & ratione sacra-
mentorum. Hoc est corpus meum, scilicet sacramentale & μυστικόν. Non mu-
tatur enim consecratione panis substantia miraculose, sicut expresse The-
odoretus inquit ὁ ἄρτος τὴν φύσιν οὐ μεταβάλλει: Nec corpus Christi de-
ductum caelo pani miraculoso connexu aut foedere coniungitur, qualis est
duarum naturarum in Christo. Nulla habet enim testimonia Evangelij aut
purioris Ecclesiae utrumque commentum, quia fuit ignotissimum utrique Ec-
clesiae post tempora Apostolorum per annos octingentos ad minimum. Sed se-
paratur hic cibus ab usu prophano vel physico, & transfertur ad usum
μυστικόν, sacrum & spiritualem: scilicet, ut non sit amplius panis physicus
sed consecratus & sacer, destinatus ad hunc usum, ut sit corpus & sanguis
Christi.

Christi; non natura sua, non mutatione substantiarum, non duarum substantiarum diversarum connexu, sed usu sacro, vero & legitimo. Hunc panem qui manducat & hoc vinum qui bibit fide fit particeps corporis & sanguinis Christi vere & substantialiter praesentis & sese atque sua beneficia applicantis. Consecrare vero vel benedicere, ut Paulus nominat, significat pronunciare verba tradita a Domino, agere gratias, precari, & tota actione divinitus instituta hanc coenam discernere a profano cibo & physico, atque ita transferre ad usum spiritualem, iuxta institutionem, ut in vero usu habeat rationem sacramenti, & sit vere corpus & sanguis Domini. Haec de magica praesentia sufficiant. Physicam praesentiam faciunt qui πανταχουσίαν introducunt exemplo Eutychetis. Hi audacter contra totam Evangelicae veritatis & orthodoxae Ecclesiae autoritatem, Christum vero corpore spoliant, & omnibus humanae naturae idiomatis exuunt. Non enim discernunt inter duas naturas, finitam & infinitam, creatam & increatam, neque inter essentiam divinae naturae in Christo & inter dona effusa in naturam humanam, neque inter ipsam ἕνωσιν ὑποστατικὴν duarum naturarum quae est inseparabilis & οὐσιώδης, & inter effusionem donorum ex divina natura in humanam quae etsi est οὐ κατὰ μέτρον & confirmata ac nunquam desinit, tamen non est eadem cum unione hypostatica. Nec discernunt inter essentiam Dei in Christo & Helia & aliis sanctis aliter quam secundum mensuram donorum, ut faciebat Nestorius. Praeterea fingunt corpus Christi mox ubi coepit esse in utero Mariae Virginis diffusum esse in infinitum, ex effusis in ipsum proprietatibus naturae

divinae

diuinae, ad eum modum, ut humana diuinae per omnia exaequata, non minus quam ipsa natura diuina complexerit omnia, affueritque praesens tam lapidi, ligno, animanti quam pani: sed hoc interesse, quod caeteris creaturis omnibus affuerint praesentia vniuersali indefinite, pani vero in Eucharistia tantum, κατὰ οἰκονομίας seu compensationem distributiuae. Haec tetra deliria vniuersus toto abominor pectore, quia tantum delent fundamenta fidei & salutis humanae de Christo vero Deo & homine: & praesentiam filii Dei per ministerium verbi & sacramentorum in saluandis in hac vita, prorsus cum vniuersali & physica praesentia in tota rerum natura ita confundunt, ut discrimen aliud non faciant quam κατὰ οἰκονομίας, quod tamen quid sit, aut quid significet, ne autores ipsi quidem & propugnatores commenti vel intelligunt vel explicant. Cohorresco cogitans quanta sit audacia vel renouare furores veteres iam olim explosos & damnatos iudicio Ecclesiae, quales erunt Nestorii & Eutychis, vel excogitare nouos pugnantes cum expressa euidentia & tanto consensu tradita atque conseruata veritate. Quid de praesentia veri corporis hi contendunt qui in Christo nullum corpus, nullam naturam humanam, nullas corporis proprietates agnoscunt? Sed & hos relinquo, cum de veritate naturae humanae supra satis sit dictum.

Supersunt qui hyperphysicam praesentiam & miraculosam corporis Christi in pane extruunt ex proprietatibus quibusdam hyperphysicis. Faciunt hi plures idiomatum gradus: Affingunt corpori Christi

idiomata

idiomata physica & hyperphysica, in quo ordine & hoc idioma collocant. quod unum & idem corpus Christi possit simul esse in locis infinitis, non secundum physici corporis modum sed ὑπερφυσικῶς, ut loquuntur. Nec discernunt inter idiomata propria essentiae divinae καὶ ἀκοινώνητα creaturis, ut sunt ἀΐδιον, παντοδύναμον, πανεπιστήμον, ἀπερίγραπτον, ab excellentia donorum quae in naturam humanam Christi sunt effusa οὐ κατὰ μέτρον, non ὑπερφυσικῶς. Nec in humana natura idiomata ἀχώριστα, & ab essentia inseparabilia, ut sunt corporum dimensiones, discernunt a separabilibus. Recepta igitur idem dicunt ac sentiunt quod πανταχουσίαν seu ubiquitarii, etsi levius verbis id molliant, omnipotentiae Christi tribuentes, quod idem numero corpus sumi sistere panem infinitis in locis uno momento miraculose possit. Non minus enim hoc ipsum est alterum proprietati veri corporis repugnat quod Christo uno contenti cum scriptura sacra tribuit orthodoxa Antiquitas. At cur miraculum fingunt, cum miraculum nullum edere Christus, sed sacramentum corporis & sanguinis sui instituere voluerit? In hos tamen scrupulos impingere malunt quam de sententia includente corpus Christi in panem decedere. Etsi autem in hoc falso fundamento astruendo occupantur plurimi: magis vinguntur tamen cum declarandus est praesentiae modus. Non adest inquiunt secundum modum ubiquitatis, non physica praesentia, non transmutatione substantiarum, non locali inclusione: non descendit nec ascendit, sed definitive adest, quod Scholasticorum inventum est contra com

mentum

mentum de materia prima: Et adest vero corpore, sed non secundum veri corporis modum, verum ὑπερφυσικῶς. Qualia haec obsecro sunt? & quomodo inter se congruunt? Si definitive adest, ergo corpus non adest. Nam definitive locum occupant spirituales naturae tantum, non corporea. Ita ubi multum desudarint, tandem implicantur retibus contradictionum infinitarum, ut quo evadant non reperiant; & impingant ubique. Haec omnia cum ex se comminiscantur, absque ullis scripturae testimonijs, sine fine tamen debacchantur in rationem humanam, a qua ipsi fascinantur & dementantur maxime, dum quaerunt, procul a scriptura & orthodoxa antiquitate, quomodo corporis Christi ad panem affixi praesentiam definiant, partim adminiculis sumptis ex doctrina physica de mutatione substantiarum, aut de spiritualium creaturarum locatione, quae a corporum demonstrationibus est alienissima, partim ex se gignentes hyperphysicis idiomatis in substantia corporis Christi; quae talia in ea nulla sunt, evidenter refragante autoritate scripturae. Interrogati cur hoc faciant: non discedendum esse inquiunt a veritate verborum. Tota vis igitur huius opinionis nititur eodem fundamento, quo Pontificiorum μετουσία. Sed verbis neutiquam id respondet ut illa. Pontificijs haec propositio: Hoc est corpus meum κατὰ μετουσίαν esset vera, sicut sonat praedicatione identica δεικτικῶς: Hic ipse invisibilis panis est corpus meum: si commentum τῆς μετουσίας esset verum. Pontificij ergo verba retinent, & soli quidem de commentitia praesentia corporali accomodate urgent τὸ ἐστί: Hy-

per

per physin non retinent, sed ludunt praestigijs verborum, quia mox discedentes à verbis alienam interpretationem affingunt, additis particulis In, sub, cum: quae nusquam leguntur in textu, & non identicam sed tropicam necessario, ut Synecdochicam vel metaphoricam praedicationem pariunt. Estque certissimum, Verba institutionis retineri non posse sicut sonant, nisi in alterutro sensu horum duorum, aut pontificio ex figmento τῆς μετουσίας, aut Sacramentali & mystico. Hoc est corpus meum: scilicet sacramentale seu mysticum corpus, à quo sensu tamen excludi tropus nequit. Reliqui omnes quantumcunque vel contendant vel glorientur περὶ τὸ ῥητόν, imponunt hominibus, quod fateri coguntur, vel si detrectant. Nam inter has duas propositiones: Hoc est corpus meum: Et: in sub cum pane est corpus meum, tantum interesse quantum inter caelum & terram, inter simpliciter & figuratas locutiones interest, clarius est luce meridiana. Nec illa talis copulatio duarum essentiarum fingi in οὐσιώσει potest, quae identicam praedicationem admittat, nisi οὐσιωδῶς vel ὑποστατικῶς sine mixto. At talem fingere, extreme impium & blasphemum est. Si ergo nullo alio fundamento praesentiam corporalem demonstrant, nisi veritate verborum, ut aliud nullum habent penitus: aut concedant ad pontificios si in verbis perstant, aut fateantur fundamento se destitui suae sententiae. Sed ut maxime sit verum eos retinere τὸ ῥητόν, quibus obsecro testimonijs scripturae docebunt, aut qualis sit corporis cum pane copulatio, aut quomodo denique in usu panis & vini Christi corpus nostris

nostris corporibus, essentialiter connexu, coagmentetur? quam diuturna illa sit praesentia? aut quis sit usus illius? quae inde sit petenda consolatio? ad quid prosit? quid conferat aut efficiat in corporibus nostris? ut taceam infinita absurda alia quae inde emergunt, impingentia in fidei articulos. De his universis ne ulla extant scripturae testimonia, nec quaesitum est unquam in vera Ecclesia, ut de re prorsus ignota Ecclesiae, et excogitata humana audacia. Sed cum de fructu Coenae Dominicae dicitur, spiritualis usus ab omnibus uno consensu monstratur: nimirum, sumptionem fieri ad excitandam et confirmandam fidem. Nam institutam eam esse ut testetur exhiberi et applicari singulis promissa beneficia Christi ad singulos fide sumentes, ablui precioso sanguine Christi, et inseri tanquam surculos sacrosancto corpori ipsius, ut in nobis consociatis ipsi nova societate efficiat similia, qualia efficit in sua massa, quam ex Virgine assumpsit, et animas atque corpora nostra vivificet ad vitam aeternam. Neque existimo quenquam fore tam blasphemum in filium Dei, ut fuit ille cui parco, qui affirmare ausus est corpus Christi efficax esse et agere in nostra corpora actione physica, sicut vinum calefacit: quod cogitans cohorresco. Cum ergo manifestum sit quam sit et haec tota sententia aliena a veritate Evangelica, et analogia fidei et sacramentorum, quam infinita absurda habeat! in quot articulos religionis nostrae allidat! rursus confiteor toto pectore me nunquam eam amplecti. Concludens ergo expresse et diserte testor, in hac

sacrosancta cœna me non agnoscere ullam præsentiam Christi in symbolis ex-
tra usum & extra legitimum & institutum usum symbolorum, qui to-
tam actionem complectitur externæ sumptionis symbolorum & internæ appli-
cationis Christi & beneficiorum eius, quæ fit fide. Ita sunt enim res duæ,
terrena & cœlestis, quibus constare cœnam Domini testatur Irenæus. Funda-
mentum enim cœnæ Dominicæ est materiale est sumptio panis & vini: & eadem
illa est res terrena sacramenti. Terminus, et formale est ordinatum esse
illam sumptionem in hunc finem ut fide sumentibus sit communicatio cor-
poris & sanguinis Christi: & ut sit applicatio omnium beneficiorum Christi,
quæ est res cœlestis. Nulla est ibi magica præsentia, sed spontanea, quia
Christus adest sacramento suo liberrime, tantum ritu, quem ipse liberrima
voluntate instituit, non quia sacerdos ibi faciat miraculosam mutationem
aut quia in verbis sit vis magica, mutans circumstantias symbolorum, aut
detrahens Christi corpus cœlo. Nulla est physica præsentia sed mystica
seu sacramentalis seu pactionalis: quia ita adest filius dei sicut se toto
ministerio affuturum pepigit, etsi media diversa sint quæ ad hunc finem insti-
tuit: ut dicam postea. Nulla denique est hyperphysica præsentia seu
miraculosa, sed ordinata: quia nihil facit Christus in hoc sacramento
novum & miraculosum, contra institutum & patefactum reparationis &
salvationis hominum per ministerium verbi & sacramentorum modum,
nec rationem sacramenti mutat in hac ceremonia, & nihil commune

est

est huic praesentiae Christi in ministerio & sacramentis, cum praesentia physica & universali in creaturis, cum qua impie a nonnullis confunditur. Nec ullis hic opus est disputationibus de omnipotentia; Christum omnipotentem posse facere quod velit. Non voluit enim Christus miraculose aliquid facere. Sacramentum instituere voluit Christus corporis & sanguinis sui, cuius usu fides in singulis exercitata & commonefacta de morte & passione, & de omnibus Christi beneficiis, Christum vere & substantialiter praesentem apprehendat, & sibi omnia eius beneficia applicet. Sicut inquit: Hoc facite in mei commemorationem. Et Paulus ait: Quotiescunque comederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem domini annunciate donec veniat. Haec ut intelligantur, repetam paulo altius qualis sit praesentia Christi in ministerio. Conditus est homo ut sit imago Dei, & domicilium ac templum Dei. Imago quidem in iustitia & sanctitate vera, ut fulgeret in mente hominis vera et firma agnitio Dei & legis, & notitia de vera obedientia & de iudicio Dei. Ut voluntas, cui fuit coniuncta libera & non impedita electio & cor ardens veris motibus Spiritus sancti; & integra obedientia sine peccato. Templum vero & domicilium Dei, in quo Deus acquiesceret et delectaretur, & cui in tota aeternitate sese, suam sapientiam & laetitiam communicaret. Sed cum ille sese avertisset a Deo ad Diabolum, secuta est destructio imaginis; & desiit esse templum & domicilium Dei. Ne interiret autem genus humanum oppressum ira

Dei

Dej et morte aeterna, filius Dei λόγος, unâ, aeterna & substantialis imago aeterni patris misertus nostri, supplici deprecatione avertit à primis parentibus ardentissimam et iustissimam iram patris, convertit ac derivavit illam in se, poena in se translata. Ibi filio Dei sese offerente ad obedientiam & ad poenam pro genere humano, factum est decretum de restituendo genere humano ad imaginem Dei, & de ordine reparationis ac salvationis, ut mitteretur à patre ad genus humanum filius λόγος & Spiritus sanctus, ut filius assumpta natura humana fieret victima pro genere humano, satisfaceret iustitiae Dej suâ obedientiâ, atque ita placaret iram patris, destrueret opera Diaboli, expiaret peccatum, deleret mortem aeternam, & genus humanum liberaret ab ira Dei, à peccato, à potestate Diaboli, à morte & condemnatione aeterna, patri reconciliaret: & ut haec sua beneficia patefacta & edita promissione, communicaret & offerret generi humano, & efficax in cordibus hominum voce & sigillis promissionis suae simul applicaret ea fide accipientibus, effuso simul Spiritu sancto qui accenderet in cordibus eorum lucem & iustitiam, & vivificaret hominem vita aeterna, renovatum ad imaginem Dej in iustitiâ & sanctitate novâ in quâ erat creatus, & ut hoc modo Deus colligeret sibi per filium aeternum Ecclesiam, cuius ipse caput esset, genere humano reducto ad novam κοινωνίαν cum Deo quam excidit, quae inchoata in hac vita complebitur in aeterna, in quâ cum beatis angelis electi vivificati vita aeterna, & impleti luce & iustitia aeterna visibiliter & immediate Deum intuebuntur. Secundum hoc in arcano consilio divinitatis decretum, & per filium patefactum ordinem

idest

id est ut Paulus ait, per stultam praedicationem placuit Deo saluos facere homines. Juxta hunc ordinem adest & adfuit semper Ecclesiae filius Dei, & semper est & fuit efficax spiritu suo sancto, per ordinata a se media: id est ministerium verbi & sacramentorum, quae signa visibilia gratiae, sigilla promissionis & σφραγῖδας δικαιοσύνης sicut de Circumcisione Paulus inquit, esse voluit. Exhibet et applicat sua beneficia fide illa accipientibus, & sibi inserit, consociat credentes perfectos illa luce iustitia & vita aeterna, quae in ipso est, ut ex ipso velut surculi ex arbore sugamus fide & attrahamus alimentum vitae aeternae. Hoc modo salvati sunt omnes quotquot salvati sunt inde usque ab exordio humani generis, ante et post exhibitum in carne Christum. Voce promissionis edita per filium in paradiso, Semen mulieris conteret caput serpentis, primi parentes oppressi pene extincti sensu irae Dei & doloribus aeternae mortis resuscitati, vivificati & servati sunt, filio Dei voce promissionis spiritu suo sancto efficaciter consolante corda eorum. Et obsignata est promissio sigillis externis sacramentorum, vestiti sunt pellibus ut cogitarent nuditatem suam tegi innocentia & obedientia venturi seminis. Nec interest quicquam inter Ecclesiam ante & post Christum, nisi quod patribus promissio ante natum Christum monstrabat venturum gratiam, nobis iam exhibitum annunciat. Et Sacramentorum ut significationes differebant, sic symbola externa differunt. Circumcisione significabatur nasciturum semen mulieris, In Baptismo iam morte abluimur. In Caena Domini reficimur & alimur corpore eius & sanguine ad

vitam

Vitam æternam, ut commonefacti antè sciamus jam exhibitum esse. Beneficia eadem
sunt, & idem est modus applicationis, nimirum fide apprehendente promissio=
nem & Christum ipsum induente. Eadem dona lucis, iustitiæ & vitæ æternæ
effudit filius Dei in sanctos patres q[ui] postea in naturam assumptam effudit non
κατὰ μέτρον, et quæ nunc communicat fide amplectentibus promissionem de
exhibito Messia, & utentibus recte Sacramentis; sed credentibus omnibus κατὰ
μέτρον πίστεως. Hæc perpetua & non otiosa, sed viva et efficax præsen=
tia filij Dei in hac vita per Spiritum Sanctum, per Verbum & Sacramenta q[uæ]
in statu innocentiæ & beatitudinis fuerat talis futura, qualis nunc est in Sanctis
angelis & erit in beatis post hanc vitam cum erit Deus perficiens omnia in omni=
bus electis, procul removenda est ab universali & physica præsentia Dei in cre=
aturis, quam quia non discernunt aliqui, manifestè & totis viribus impli=
cantur, fingentes tantum præsentiam, qualis est in creaturis. Ex his igitur
manifestè liquet quomodo Christus sit præsens & efficax in sacra cœna cor=
pore & sanguine suo. Non adest magicè, non adest physicè, non adest hyper=
physicè seu miraculosè. Nullam enim novam, & ab hoc ordine reparationis
& salvationis hominum initio patefacto diversam præsentiam & efficaciam insti=
tuere voluit, cum hæc symbola corporis & sanguinis sui usu sacro ad comme=
morationem de morte & passione sua, & testificationem de præsentia atque effica=
cia sua consecravit ac destinavit. Nec physicum aut prophanum cibum,
aut Capernaiticam manducationem instituit, sed Sacramentum corporis &

sang

sanguinis sui instituit, ut vescentes pane & bibentes vinum, in mysterio, &
sacramento fide vesceremur corpore, & biberemus sanguinem eius. Propterea
Paulus diserte ac perspicue loquens semper quod ore accipitur ac comeditur panem,
quod bibitur calicem nominat: Quotiescunque ederitis panem hunc, & biberitis poculum
hoc, mortem Domini annunciabitis donec venerit. Qui comederit hunc panem &
biberit ex hoc poculo indigne. Probet quisque seipsum & ita de pane illo edat &
de poculo illo bibat. Sed de hoc ipso pane & vino rursus ait: Calix benedic-
tionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Panis quem
frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Quid his verbis clarius est?
quid manifestius vocabulo κοινωνίας in graeca lingua, & in scriptura sacra?
ut ubi dicitur: Quae κοινωνία Christo & Belial? Calix benedictionis est
communicatio sanguinis Christi, eo quod illo externo & visibili symbolo vere sang-
uis Domini exhibetur fide accipientibus in usu divinitus instituto, & ita qui-
dem ut vere abluamur & vivificemur sanguine filij Dei pro peccatis nostris
effuso. Panis quem frangimus est communicatio corporis Christi, eo quod
illo externo & visibili symboli vere exhibetur corpus Christi fide accipientibus,
ita quidem ut vere efficiamur socij et membra corporis Christi pro nobis in
mortem traditi & resuscitati, & vere participes fiamus, naturali & vera
participatione omnium eorum quae in suam naturam Christus assumpsit; bonis
iustitiae & vitae aeternae. Deinde cum inquit Paulus, Quisquis ederit
panem hunc & biberit poculum hoc indigne, reus erit corp. & sang. Christi.

Qui

Qui edit & bibit indigne: scilicet de pane & poculo, ad antecedentia respiciens: iudi-
cium sibi ipsi edit & bibit, non discernens corpus Domini: rursus evidentissime
facit duas res diversas et distinctas, symbola panem & vinum, et res significatas: Et
diserte ait, sumentem indigne panem & poculum, reum fieri corporis & sanguinis
Christi, & sumere sibi iudicium, eo quod non discernat corpus Domini. Quo-
modo igitur fiunt rei corporis, indigne sumentes, quod non adest? Primum de
indignis sumentibus dicam. Indigne sumunt, qui non afferunt poenitentiam &
fidem ad hanc sumptionem, quia sine fide accipiente promissa beneficia & Christum
promissum non est efficax. Sed non est fides ubi non fuit initium verae conversio-
nis ad Deum, quum deponuntur peccata contra conscientiam, & vincitur impia dubitatio.
Indigni sunt ergo, qui sunt sine poenitentia & fide; nec plures sunt sumentium
gradus. Digne sumunt qui cum poenitentia sumunt fide utcunque languida. Indigne
sumunt qui sine poenitentia & sine fide sumunt. Sed indignorum gradus sunt
multiplices. Sunt qui perseverant in delictis contra conscientiam, seu in contemptu
beneficiorum Evangelii, aut sunt sine cognitione doctrinae fundamentali. Secundo
sunt qui propter consuetudinem aut ex hypocrisi sine cogitatione doctrinae, si-
mulata poenitentia accedunt, vel etiam cum impia dubitatione, aut cum opinio-
ne operis operati. Tertio loco sunt qui Coenam Domini mutant in idolum
propter quaestum, in adoratione, repositione, elevatione, circumgestatione & obla-
tione panis consecrati; aut quoquo modo faciunt alligationem corporis & san-
guinis Christi ad symbola extra usum & verum usum & legitimum, sine
integritate

autoritate & testimonijs scripturae, privata audacia, ut confirment verum idolatriae pontificiae & opinionis operati, securis, otiosis & profanis hominibus gratam persuasionem impiam, falsam & blasphemam, sed blandam, quod ipsa ceremonia sine fide, sine bono motu utentis sufficiat ad consequendam remissionem peccatorum: quod utens ante finem vitae ceremonia salutari, etsi pollutus sit, imo obrutus sceleribus & peccatis contra conscientiam. De his omnibus pronunciat Paulus tamque de indignis, quod rei sint corporis & sanguinis Christi.

At quomodo ergo fiunt rei, si non praesens corpus Christi contumelia afficiunt, sicut faciebant milites qui Christum crucifigebant? Non loquitur Paulus de praesenti corpore, sed diserte inter symbola panem & poculum, & inter res significatas discernens: indigne sumentes panem & vinum ait fieri reos corporis & sanguinis Christi; nec ullam facit horum copulationem talem qualem fingunt qui corpus pani includunt, neque ulla ex verbis Pauli talis copulatio ostendi & cogi potest. Indigne autem sumentes fiunt rei corporis & sanguinis Christi; eo quod fiunt rei eorum quae in abusu huius sacratissimae Coenae in corpus & sanguinem id est in Christum ipsum & omnia beneficia, passione & morte eius generi humano parta committuntur, quorum paulo ante longa series est commemorata. Relatio ad corpus Christi pertinet ut contumelia ad Caesarem, si quis petulanter imaginem Caesaris conculcet aut conspuat.

Instituta est haec sacratissima Coena in hunc finem: primum ut externa & visibilia symbola nomine corporis & sanguinis Christi renovent memoriam in animis omnium beneficiorum passionis & mortis Christi;

&

et excitent ac confirment fidem. Deinde, ut sumptio, quae sacramentum ipsum in vero & legitimo usu symbolorum, testetur Christum vere & substantialiter praesentem fide accipientibus exhibere & applicare illa sua promissionis & mortis, id est incarnationis & totius obedientiae erga patrem ac meriti sui beneficia omnia, & nos insertos sibi spiritu sancto vere consociare, societate non ficta aut imaginaria sed vera & quidem participatione naturali, sicut Cyrillus ait, id est illa ipsa luce, iustitia & vita quibus perfusum suum corpus; & sicut est ipse caro de carne et os ex ossibus nostris, sic nos vicissim vivificati spiritu & conspersi corporis sui luce iustitia & vita per spiritum sanctum incipiamus fieri conformes ipsius glorioso corpori, cuius conformitatis initium est in hac vita, & consummabitur in illa aeternitate. Huius vero viae suae consociationis & conformationis cum Christi corpore vero est obses & sigillum sacra Coena, & vere per hanc Coenam Christus praesens eam efficit. Qui aliam praesentiam fingunt privata audacia, rei omnes fiunt corporis & sanguinis Christi, non minus quam totus ordo illorum, qui paulo ante commemorati sunt indigne sumere hanc sacram Coenam, aut ea abuti. ~~Haec~~ ergo cum sint manifestissima & certissima in doctrina Pauli, quibus nemo refragari poterit nisi furens aut excaecatus: quae amentia agit quaerere aut fingere praesentiam corporis physicam aut hyperphysicam & quidem in pane? violenter corruptis & detortis Christi & Pauli verbis, ut opinioni de opere operato quae securus blanditur, & grata est, patrocinentur. Ut me ergo paucis tandem explicem, haec fundamenta video immota & irrefutabilia esse. Primum: quod Christus

Iesus

resuscitatus a mortuis & erectus sursum intulerit in Coelum verum corpus & fi-
nitum ac circumscriptum: Quod humanae naturae glorificatio & exaltatio ad
dextram patris non mutaverit substantiam, nec idiomata essentialia corporis:
Quod cum hoc vero & glorificato corpore sit in caelo localiter, ubicunque vult esse,
& quod inde in eo sit rediturus ad iudicium piorum & impiorum: nec des-
cendat & ascendat suo corpore in distributionem Coenae; quibus verbis & Luthe-
rus utitur. Secundum: Quod τὸ ῥητὸν in verbis institutionis retine-
ri non possit, nisi in alterutro sensu duorum, aut pontificio ex figmento
falso τῆς μετουσίας, aut altero sacramentali, de corpore mystico & sacramen-
tali: Quorum ille propter manifestam & blasphemam impietatem & absurditatem
jam olim sit explosus, ita ut ne quidem ab ipsis Romani Idoli defensoribus
excusari queat, & pro deplorato passim relinquatur: alter solus ut congruat ve-
ritati necesse est, qui tamen per tropum declaratur eodem intellectu, eo quod
panis non est ipsum corpus Christi natura sua sed institutione & usu legiti-
mo. Reliqui omnes a verbis discedunt quotquot sunt qui se verborum ve-
ritate tuentur ac revera laedunt vestigiis. Tertium, quod praesentia Christi
in coena non sit alia quam praesentia eiusdem in toto ministerio, secundum ordi-
nem institutum divino decreto & per filium patefactum. Quod nullum Dei
verbum, nullum insuper opus, alliget Christum vel ad verbum vel ad symbola
extra hominem, & extra verum & legitimum eorum usum; sed ad hominem
quod se Christus alliget legentem, audientem & meditantem Evangelium

assen-

assentientem & credentem verbis Evangelij, ac recte ac legitime utentem symbo-
lis, fiducia promissionis, cuius sunt sigilla. Ut enim impium est verbis
Evangelij tribuere vim magicam, quod arceant daemones & pericula corporum
aut fortunarum inscripta valvis aedium, aut suffixa, aut gestata in collo,
aut pronunciata sicut a Magis pronunciantur: sic impium est aquae Bap-
tismi tribuere vim expurgandi peccata aut sanandi morbos, vel ad panem in
Sacra Coena alligare corpus Christi, cum adsit corpus Christi non propter panem
sed propter hominem, ut sit efficax in hominis corde, cogitante in quem u-
sum & finem haec symbola sint instituta, & fide promissionem accipiente;
Praeterea non aliter sit praesens & efficax in uno sacramento Christus quam
in alio, etsi externa symbola differant, ut imbecillitati humanae multiplici
commonefactione & auxilio multiplici Christus opituletur & medeatur. Ut
baptismus testatur ablutionem fieri a peccatis & regenerationem seu ini-
tium renovationis quae semel fit, nec iteratur: sic Sacra Coena regenera-
to alimentum est & quasi nutritio ad vitam aeternam, quae toto tempore
vitae opus est, ideoque saepe iterari debet. Tota vita enim hominis perpetua
debet esse conversio, & inchoata regeneratio augeri debet perpetuis exercitijs
fidei & invocationis, & perpetua alimonia ad vitam aeternam. Denique
ut totus iam dixi, quod nullum Dei verbum corpus Christi includat in pa-
nem: sed quod hoc omne sit audacis humanae commentum, conservatum
ex inveterato errore pontificio de Transsubstantiatione. Veteri autem & puri-

ori Ecclesiæ prorsus ignotum. Quartum: quod vera sacramenta in Ecclesia sunt actiones à Deo institutæ, quibus addita est promissio gratiæ: & quod præsentia Christi sit præsentia in actione, sicut est instituta & mandata, non otiosa aut inanis, sed efficax in cordibus fide utentium Sacramentis. Hæc fundamenta cum sciam certo, nullis posse convelli aut labefactari scripturæ vel orthodoxæ antiquitatis testimonijs, quæ divino beneficio mihi mediocriter explicata sunt, & plus fortassis perspecta quam multis alijs qui veritati pertinaciter resistunt: ideo amplector & teneo ea utraque manu quod ajunt, vel potius toto pectore, fide firmissima credens & profitens quod Dominus & Redemptor meus Iesus Christus verus Deus & verus homo, & corpore suo glorioso in cælis sedens ad dextram Dei patris omnipotentis, & in sacra cæna vere & substantialiter præsens distribuat sumentibus in vero & legitimo usu symbolorum corpus & sanguinem suum: id est, exhibeat & applicet credentibus singulis omnia beneficia promissionis Evangelicæ, & Spiritu sancto vivificatos singulos inserat suo sancto corpori vera societate, ut vere efficiamur socij & membra corporis Christi pro nobis traditi & resuscitati: & veri fiamus participes, naturali & vera participatione, eorum quæ in eandem massam Christus effudit, lucis, iustitiæ & vitæ æternæ: ac incipiamus fieri conformes glorioso corpori, donec nostrum humile corpus tandem resuscitatum à mortuis efficiatur conforme suo glorioso corpori. In hac confessione quam certo scio & ipsam esse Evangelij veritatem & orthodoxæ

Eccle

Ecclesiae sententiam, ut me confirmet & conservet filius Dei, spiritu suo sancto
ardentissimis gemitibus oro. — Hanc defensionem meam &
confessionem scripsi properanter tempore τῆς ἐξαλτίας ἐμοῦ, Rochlicii, in
magna corporis afflictissimi imbecillitate, & inter insidias multiplices quae undique
struebantur mihi, ferebantur, si quis forte reperiretur novus praetextus ad me vel exagi-
tandum crudelius, vel squalidiore carcere macerandum & opprimendum. Quare
cum neque tempus suppeditaverit quod subita & inopinata irruptionis impressio
mihi paene in momento esset exportanda, neque cruciatus perpetuus mentis in ani-
mo perturbato & anxio sineret me de his tantis rebus, quantum opus esset, cogi-
tare: precor omnes qui haec lecturi sunt, ut si quid desideraverint id tribu-
ant magnae perturbationi meae, & angustiae temporis. Sed curae mihi fuit,
ut veritatem in utraque causa & filii Dei & mea privata explicarem, & ostenderem
vindicaremque & gloriam filii Dei, & meam innocentiam sancte affirmo. Ac
Deum testem voco καρδιογνώστην, me aliud spectasse aut quaesivisse nihil, quam
ut exstaret ad posteros meum testimonium de veritate doctrinae in tribus summis
articulis, & de mea innocentia: praesertim cum mox initio oppressio mihi vio-
lenter, occasione afflictissimae valetudinis, & carceris diuturnioris, metu deinceps
praecisa esset & adempta omnis me excusandi facultas, & pateremur falsis ac
mendacibus rumoribus atrocissime confessionem sententiae eius quam constanter
retinui semper, neque interrogatus unquam occultavi, & lacerarer intrepide sine
modo & sine fine & sine intermissione omni, aliis & alienis & quibus-
quis

quae si neglexissem, impius & blasphemus in filium Dei, ingratus in Ecclesiam,
crudelis in me ipsum & meos. De utroque igitur, & de innocentia & de confes-
sione hac mea, iudicium bonis viris & candore sentientibus: Vindictam Deo
iusto iudici & vindici commendo: provocans iterum ad tribunal Dei, quo cito
& voco omnes inimicos meos. Interea cantu Davidico me consolor: Qui ha-
bitat in abdito altissimi, & in umbra omnipotentis commoratur: dicat Domino,
Spes mea & munitio mea, Deus meus, sperabo in eum. Quoniam ipse te libe-
rabit de laqueo venantis, & de peste exitiali: pennis suis proteget te & sub
alis eius sperabis: Scutum & clypeus est veritas eius &c. —— Tibi
ergo omnipotens aeterne misericors verissime Deus, pater aeterne Domini
nostri Iesu Christi, me tota humilitate subiicio, supplex orans ut adesse glo-
riae & veritati filii tui, & innocentiae meae, testimonio paterno & praesidio tuo:
Declara tandem iudicium de veritate tuum illustri documento, Converte ad
te seductos & errantes. pertinaces & obstinatos hostes tuos pessunda: &
oppressos eripe & libera: ne contumelia afficiatur filius tuus, Dominus
noster Iesus Christus, cuius causa agitur. —— Amen.

[illegible]

edit.

(Rés. Q m12° 806)

Examen D. Casparis Peuceri, habitum Rochlicij ab Hieronymo Rauschero Consule Lipsensi.

Die decimaseptima februarij Anni septuagesimiquinti supra millesimum quingentesimum, venit ad me D. Casp. Peucerum Rochlicium in custodiam meam Hieronymus Rauscherus Consul Lipsensis, cum mandatis ab Ill.mo principe Duce Saxoniæ Electore Augusto etc. et novum examen mei instituit, cuius hæc est summa. Ingressus meum in conclave meæ habitationis, mox ubi consederat, exponit causas adventus sui, nimirum ut ex me certa quædam capita percontetur, de quibus si non liquido et explicate respondero, secuturum esse examen severius. Respondeo paratum me esse summa voluntate & fide ad parendum illustrissimis mandatis: Nec me dissimulaturum esse, aut occultaturum quicquam quod recordare in universum potero: Nec me causas habere ut reticeam quicquam: Nullarum me enim actionum mihi conscium esse quas non velim & optarim publicas & omnibus notas esse. Capita interrogationum & mandatorum quæ ipse non simul proponebat, sed uno expedito accedebat ad aliud, hæc erant: Primum ut enunciarem & confiterer, quarum mihi molitionum & conspirationum conscius sim. Alterum, quibus cum ex Theologis & Consiliarijs in aula inierim vel communicarim consilia, deque controverso articulo Cœnæ sacræ sermones habuerim, quos ex illis sciam meæ sententiæ addictos esse. Tertium, quomodo fidem probare principi Electori possim meam, cum ab eo in hoc capite religionis dissentiam?

Ad

Ad primum caput principq; respondeam, petebam nominatim & diserte explicari de quibus insimularer conspirationibus & practicis. faciliorem enim & certiorem excussionemq; mihi responsionem fore. Obiectas mihi esse antea conspirationes cum Palatinentibus factas, de quibus me abunde satis purgaverim. Ille contra: nondum satisfactum esse principi Electori, sed nulla se tamen habere mandata aiebat, ut specialius quicq; definiat, sed iussum se ea quærere generaliter. Adhæc sine ulla longiori deliberatione subdebam: At de qua re accusabo meipsum, nullius delicti mihi conscius? Et quæ est ista ratio vel insimulationis vel examinis. Ut tamen ab omni conspirationum et practicarum culpa etiam conscientiam meam liberam esse sciatis & immunem, respondeo, Si quid à me tentatum est unq;, Si unq; ulla in animum subijt meum cogitatio quicq; quoquo modo moliendi insidiose, factiose & per practicas adversus principem Electorem, Si quid novi etiam commissum ab alijs: precor ut me Deus iustus iudex & vindex hoc isto momento fulmine feriens præcipitet in ima terræ barathra ad æternos ignes & cruciatus, & abijciat me à facie sua in æternum. Repeto etiam has diras cum imprecatione ut in eos Deus retorqueat, à quibus proficiscuntur. Et descendens ad speciem ostendo quanto studio coluerim principes omni tempore, q; omni subiecti timorum officiorum genere declarare eis fidem meam observantiamq; sim conatus, quanti semper laudibus extulerim & celebrarim eos, & prædicarim eximia harum terrar

terrarum ornamenta ab ipsorum benignitate profecta, q̃ dederim operam ut multis Ecclesijs nostris conciliarentur & coniungerentur. Eius rei mihi praebituros testimonium esse non solum scripta mea q̃ extant meo aliorumq. nomine edita, sed innumeros viros praestantes ex genere & ordine hominum tam illustrium q̃ mediocrium.

Hanc responsionem meam cum in pugillares consignasset paucis summatim, proferebat quaestionem alteram: Quibus cum contulerim de mea sententia in hac controuersia de Cœna Dnj, praesertim ex Theologis in aula & Consiliarijs principis Electoris? & an eodem modo de ea doceant Caluiniani? Respondeo: Non horum scripta me legisse, nec me sententiam meam hausisse ex libris illorum, Sed eius me autorem habere piae & sanctae memoriae Socerum meum Philippum Melanchthonem. Interfatur ille: At constare tamen me cum D Cancellario Kislebero, & D Zeschio ex Consiliarijs saepe de hoc dogmate collocutum esse, qui illorum scripta accurate & multum legerint. Minime inficior id, respondeo Ego. Ideo diserte dixi, quibus illi formulis verborum hoc dogma explicent, & in quem modum de eo disserant, mihi non constare, quod libros non legerim, Sed doctrinam sensu & veritate eandem esse me minime dubitare, quod de vno & vero nihil possit dici nisi vnum & verum. fieri tamen posse ut alius alio idem aut felicius, aut integrius, aut clarius exponat. Non me igr̃ dogma hoc petiuisse ex Caluinianorum ut vocantur scholis in quibus non fuerim. Sed in nostra id schola didicisse, praeceptore & magistro socero meo, ut multi

alij

alij: Coniunctionem tamen, necessitudinem ac familiaritatem domesticam & quoti-
dianam fuisse sit & frequentius meum privatim, & apertius ille sit de eo col-
locutus. Ac profusissimis lacrymis eum apud me non semel sed crebrius de-
plorasse quod impediatur Lutheri autoritate & adversantium rabie, ne ex pro-
fesso audeat sententiam edere suam, etsi sparsim satis suis scriptis eius declara-
rit. Denique proximo ante mortem die, illum me in hac mea sententia con-
firmasse voce sua. Hoc primo magistro me didicisse considerare & cognoscere
in hac tantis certaminibus & tanto ardore animorum agitata controversia, quae sit
veritas, & de indicatione ipsius me inquisivisse mediocri cura ac diligentia
testimonia Antiquitatis, imo pervestigasse quae fuerit per annos mille quingentos
omni tempore doctrina in Ecclesia de hoc articulo: Voluisse me enim conscien-
tiae meae consulere, ne in articulo necdum publico consensu definito conflictare-
tur cum perpetuis fluctibus dubitationum. Mortuo autem Socero cum edita
essent duae epistolae una ad Palatinum Electorem, altera ad D. Cratonem Medi-
cum Caes. innumeros bonos ac praestantes viros interrogasse me literis & coram
de epistolis illis, quantum mihi constaret? & de Soceri ac mea sententia. Ad
omnes eos me nihil dissimulasse quicquam, sed aperte professum & confessum esse
quid senserim, verum meo loco, & ut me decuit in vocatione mea, non in
lectionibus publicis aut disputationibus, nec scriptis publicis, sed privatis literis
& colloquijs, Et cavisse me etiam magno studio ne unquam aut usquam
incho-

inchoarem disputationes aut sermones de illa controversia, sed expectasse me, tam-
per donec provocarer, aut aliquâ occasione in sermones de ea inducerer. Inter-
cessisse mihi notitiam cum multis ex nobilitate, cum uno vero ex praecipuis Mare-
scallo Saxonico Johanne Lösero etiam interiorem amicitiam. Cum hoc quia ad me
sponte mentionem non fecit, me nihil unquam de hac controversia unquam collocutum
esse, multo minus quid disputasse: Verum si interrogatur testaturum esse &
multos alios, provocatum autem vel invitatum me liberrime exposuisse quod sentio,
& veritati ostendisse fontes, de quo perhiberi posset testimonium Carlowitzius
si in vivis esset. Nec debuisse me aliter facere secundum Christi minaces
simul voces, Qui me confessus fuerit coram hominibus, hunc confitebor coram
patre meo caelesti; Qui me negaverit hunc negabo. Et secundum Petri
dictum, Paratos nos esse debere ad reddendam rationem fidei nostrae. Cum
enim iudicarem, & mecum constituerim hanc esse veritatem, interrogatum me
testimonio meo veritati deesse non debuisse. Saepe me recordari sermonum
qui Doctori Morditio & Losero meo intercesserant Lipsiae in aedibus Lotheri
Consulis. Cum quaereret enim Morditius quare de hac controversia non ex
professo ut de caeteris suam explicaret sententiam, respondebat: faciam hoc
sed dimittite me ex his terris. Cumque instaret Morditius: cur idem non
facit noster? Non inquit tibi ignotum est quae & quanta obstent impe-
dimenta. Ad haec Consul Rauscherus: At tacuit tamen semper huius?
Respondeo Ego: Sic tamen litteram notaret non tractaret hanc quaestionem,
Sed

Sed in publica doctrina nihil quod esset necessarium cognoscendae veritati praeter-
misit, et tantum scriptis aspersit suis multis in locis, ut in qua fuerit sententia
neminem latere possit. Nec facilius factu quicquam est quam inde decerpere iustam et
integram tractationem, cum sibi ubique constet ac consentiat. Hanc ergo cau-
sam esse, nimirum quod iudicem et sentiam in controverso articulo hanc esse ve-
ritatem, ut interrogatus et in colloquiis privatis, nec dissimulaverim unquam, nec testi-
monio meo confirmare in vera sententia alios destiterim. Idcirco non infi-
ciari me, cum duobus ex praedictis de ea ipsa quod disseruerim, ut cum multis
aliis, quoties mentio inciderit. Sed meminisse me sermonum omnium non pos-
se, nec personarum quibus cum colloquia habuerim, praesertim cum pene annos
quatuor ab aula abfuerim. Cum D. Zeschio a multis annis mihi fuis-
se amicitiam contractam in Academia, cum hoc frequentius me esse colloqu-
tum et libentius, eo quod accurate multorum doctorum hominum scripta lege-
rit: postea cum D. Cancellario: cum D. Cracovio rarius, ac ne nunc qui-
dem me posse affirmare, in qua ille sit sententia. Ibi Rauscherus subii-
ciebat fateri Cracovium, se in hac esse sententia. Bene, inquio: Ego vero de
eo quod explorate non scivi affirmare non debui. Caeteros Consilianos
ajo mihi non venire in mentem: Rogo ut nominet. Profert ergo aliquot, et
primo loco Johannem Bernsteinium. Cum hoc me aio collocutum non esse hac de
re, quantum recorder. Secundo loco nominatur Abrahamus a Bock aula Mare-

scallus

scallus? Ne enim hoc quidem inquio, nisi forte in arce Stolpensi, quando ei scrip-
tum Theologorum, cuius titulus est Grundtfest tradidi & commendavi. Adfuisse
tunc & Lindemannum, sed apud hunc nunquam controversiae memini, nisi obiter eo
ipso tempore. Ibi Rauscherus: Lindemannus in alia semper fuit sententia. Mox
in Architaenia mentionem delatus, Hunc inquit de se tota audisti. Non inquio
hoc aut ab illo postulatum, aut a me factum esse recordor. At ipse affirmat,
inquit. Si affirmat dixi; fortassis ille reminiscetur: Ego plane non recordor;
Idcirco non infitior, et quae de certa infitiarer! Hoc memini, in aedibus eius
saepe convivio exceptos fuisse ex consiliariis aliquot, me quoque adhibito. Ubi inter
alios sermones, quandoque & huius controversiae incidit sermo. Sed non possum
repetere mecum omnia, nullum eiusmodi mihi revocare colloquium in memo-
riam, in quo statum causae ipsi exposuerim. Mirari me cur in illum tam
sollicite inquirant, quem non admodum affici circa certaminum in Ecclesia
nec sit Laicum si affirmatum intelligere illa sciant. Si tamen asserunt se a
me edoctum esse, posse principem Electorem quaerere ex eo quae sint illa quae di-
dicerit. Ab Architaenia reversus Rauscherus ad Cracovium, qui sit Con-
fessus a se & me Magistrum Ambrosium aulae Concionatorem p.m. in quodam
colloquio privato Stolpenae ante bellum Gothanum graviter esse tentatum
& oppugnatum, & haec tamen revertum cum coniuge ea vespera graviter de
nobis esse questum. Respondeo, Cur Cracovius de tali colloquio cum M

Ambrosio

Ambrosio retulerit, mihi non constare: me nullius recordarj: & habere me huius rei graves causas, quia M. Ambrosium, cui non fuit ignotum in qua sim sententia, meminj palam monuisse, quod non velit de hac controversia mecum vel conferre quicquam vel contendere, sed suam ipse retinendo sententiam ac mihi relinquendo meam, mecum tamen veterem amicitiam colere. Deinde accessisse eo ipso tempore & aliam causam propter quam vitarim omni studio mentionem omnem illius rej, quam non sit necesse referri. Hoc me optime meminisse, quod mecum quaerebatur M. Ambrosius cum indignatione ac fremitu belli Gothani causas & apparatus ad se dissimularj, quas velut extorquere mihi cupiebat. Si de hoc ipso negocio sermones fuissent, libentissime id me facturum esse. Nam persuasum hoc mihi esse & fuisse, veritatj si occasio sese daret, meo testimonio non deesse me debere. Scio me enim certo quod haec sit veritas, & multa me habere a socero meo sanctae memoriae eius rej testimonia. Nec accusarj me posse quod, sicubi affirmarim aut vindicarim veritatem caelestem voce aut scriptis, propterea aliquid fecisse fremum, aut molitus sim in principem. Distincta enim esse quae Dei sunt & quae sunt magistratus: & orare me Deum toto pectore veris & ardentibus gemitibus ut in hac me veritate conservet & confirmet. Praeterea meminisse omnes quomodo in aula sim versatus: Hoc me dubitare nullo in[-]nocentiae quale testimonium omnes tributurj sint, si interrogentur. Sive

omnes

omnes quod fuerim ἀπράγμων, quod nullis à vocatione alienis negocijs me in-
gesserim, quod ad me pertinentia curiosè non sim scrutatus. Suâ Cracovio, suâ Je-
nisio, suâ cæteris consiliarijs curanda perficiendaq. q[uo]d reliquerim; Ac me ad legatos
quidem principum amicos veteres me sponte accessisse, vitandæ suspicionis causa.
Semel tantum me cum Dr. Carlwizio fuisse invitatum à legato Anglico, cui con-
vivio interfuerit D. Ehemius Palatinensis legatus. Ibi me enim allocutum esse, &
alio nullo tempore, quod sciam. Si quid curiositatis mihi tribuere velint, ei id tri-
bui posse, quod historiæ publicæ causa sciscitatus sim interdum quæ ex diversis
regnis nova allata sint. Ad hæc Ranscherus, Non fuisse hæc, inquiens, a-
liena à mea vocatione; progreditur ulterius & Cracovium in quæstione confes-
sum esse ait, quod semel in ipsius prædio convenerimus ipse Cracovius, D.
Stosselius & Ego. Respondeo: Meminisse me optimè congressus illius. Invitatum
me enim à Cracovio Dresdæ excivisse, ad visendum prædium quod nuper
emerat, addito mecum D. Iohanne Hormanno Medico. Cum venissemus
ad prandium ex itinere nos, ut in hospitio novo, salutatorio poculo largius-
culo potiunculum ebibisse. Stosselium nobis ignaris vocatum a Cracovio ad-
venisse serius, & adduxisse secum Rectorem scholæ Pirnensis: eodemq. prope-
modum momento affuisse Camerarium aulæ cum familia sua. In cœna
nullos fuisse sermones nisi ludicros ut inter pocula. Postridie me summo
mane, nemine salutato, ne hospite quidem ipso, abijsse. Tantum me scire de
illo

illo congressu, nec aliud quicq. Sed huius articuli & controversiae mentionem quod sciam, non esse factam. Progreditur amplius Rauschenus & Craconium etiam confessum esse ait, quod Witebergae Theologos ad se accersitos instruit forti animo pergere editae sententiae defensionem. Me vero huic quidem non adfuisse, sed aliquoties instigasse Theologos ad constantiam, spe facta patrocinij aulici ab illis, qui eidem sint religioni addicti, idq. de me enunciasse & asseverasse Doctorem Cruigerum multis verbis: Eundem omnem culpam editarum scriptionum mihi tribuisse. Respondeo: Non posse Craconium dicere Theologos quomodo ego animarim, cum id non audient, sed Cruigerum affirmare quod praesidij & patrocinij aulici spe ipsos incitarim, id me vehementer admirari, cum meminerit me in ore has voces semper habuisse, Ne quid ullius humani praesidij fiducia, sed spe auxilij divini suscipiant ac faciant. Non me in hominibus confidere sed in Deo, quem sciam defuturum esse testimonio suae veritati. Nec me inficiari, quod hortatus sim in libro cui titulus est Grundfest, ut integre doctrinam illam de duabus naturis in Christo, & de Unione hypostatica explicarent, qui summus est articulus, & fidei Christianae fundamentum, Et liberrime me fateri in hoc me eos animasse non spe aut fiducia aulici praesidij, sed veritatis. Nec si nominarim eos, quos idem nobiscum sentire existimem, propterea auxilium aliis aut patrocinium promittere me potuisse. Deniq edoctum me esse exemplis experientia &

historiarum

historiarum, nihil esse incertius voluntatibus hominum, quas voces saepe usurpa-
verim. Et ut summatim complectar omnia, quaecunque in hac causa fecerim, se-
cisse me hoc proposito & consilio, quod certo statuerim hanc esse veritatem: Neu-
tiquam ut adversarer principi Electori, de quo nunquam mihi venerit ulla in animum
cogitatio. Nec me mea voluntate descendisse in haec certamina, sed supra locum
meum, occasione editarum epistolarum, & consuetudinis domesticae cum illo in
ea pertractum esse. Omnibus etiam hoc ac publice notum esse quod ad nullos con-
ventus Theologorum, nullas consultationes ipsorum publicas unquam accersiverim: Ro-
gatus de aliquarum controversiarum parte ostenderim quid mihi videatur veriti-
mam autoritate scripturae & probatorum patrum. Edita ab eis si fuerint Conten-
tamea vero potuerim, si dissona non sim assensus: nec quosque tamen traduxerim.
Cumque a Crucigero haec profecta asserat, petere me ut ambo audiamur coram.
Ad haec Rausscherus: Novum tamen, inquit, hoc dogma esse, & aliud ab
illo quod sonuit hactenus in Ecclesijs per annos quadraginta. Mihi, inquio,
novum non esse, nec alijs studiosis, qui scimus quod sonarit genus doctrinae
in nostra Academia, qui Philippum Melanthonem audivimus. Imo me cer-
tum esse vere doctos in Germania viros, qui vero studio indagarunt &
eruerunt antiquitatem, omnes in hac esse sententia, ut de alijs regnis non di-
cam. Etsi autem par se ferat quod non habeat mandata ut vel de dog-
mate isto, vel de alijs mecum agat: me postulare tamen, si vel de isto
dog.

dogmate, vel de ijs quae a Luthero in hoc Melanthonem dicturi erant au-
dire ex me Princeps Elector voluerit, quae mihi explorata sint cognita, me
paratum fore, ut optima & integerrima fide omnia referam. Si, inquit, hau-
scherus didicerunt doctrinam hanc a Philippo, & senserunt eam esse veritatem
Theologi nostri: eadem paruam constanter in ea perstiterunt. Nam libere illam
repudiarunt, amplexi suffragio publico alteram, & se seductos esse atque errasse questi
sunt. Non scire me inquio quid fecerint Theologi, & me ipsis excusandi velin-
quere quae obijciuntur. Hoc scire me de D. Crucigero & D. Mollero praesertim, quod
Philippum praeceptorem in hac doctrina habuerint, neque id illos inficiaturos esse si
interrogentur. Facit & mentionem M. Christiani. Ad eam subijciebam per-
lectas esse meas epistolas, quae doceant cum eo quid communicaverim, et illas
exemplo esse posse quales fuerint meae invitationes. Optare me ut extent &
legantur ab omnibus. Hoc altero articulo expedito venit ad ter-
tium. Hunc tertium inquit Princeps Elector urget maxime tanquam caput; quod
Cum dissenserim ab eo in hoc articulo, sincere affectus erga eum, & fidelis ipsi
esse non potuerim. Respondeo, Mirari me unde principi Electori qui de Deo
recte edoctus est haec nascatur cogitatio aut suspicio; Ministrum fidem prae-
stare non posse principi suo, qui Deo sit fidelis, aut, eum qui in religio-
ne dissentiat a principe postea violare aut fallere fidem in negocijs
alijs fidei suae commissis. Me longe diversum in partem contrariam, &

recte

recte, vereq. sentire, Non posse principi fidum aut ministrum qui ad ipsius libitum & in gratiam ipsius discedat a veritate caelesti, & Deum deserat. Habere me hanc Conscientiam Deo teste, & cum hac me, Deo iuvante, clausurum oculos, quod summa fide principes meos coluerim, summo silentio negocia ipsorum tum arcana quam communia occultarim. Neque unquam ex aula enunciasse aut extulisse me quicquam. Nec in illa unquam re quicquam, mihi fortasse errore commisisse quod in suspicionem saltem infidelitatis, aut dubiae, incertaeque fidei trahi possit: Nec compertorum esse principem Electorum quicquam ullo tempore, in quo accusari aut desiderari fi-des mea possit. Hoc mihi certo persuasum esse, qui sciam quanto studio, & quanto cum ardore precum ad Deum fidem meam ipsi probare contenderim. Hac me conscientia lenire aerumnas & miserias exilii mei, & in maximis potius laboribus animum erigere. Dicam tibi, inquit Rauscherus: Non liberat te hac suspitione Princeps, quod tu praecipue incitaris & confirmans Theologos. Oportere me id Deo commendare inquio: Cuicunque tamen & ne ille suspicetur, aliud nunquam dicturum me esse, quam veritatem agnitam in causa pertinente ad Deum, confirmare meo testimonio me debuisse, qualiscunque fuit opus. Nec posse me accusari quod novarim aut turbarim aliquid, si meam dixi senten-tiam, & in eadem confirmavi alios, cum ut in articulo controverso qui palam & publice disputatur, & de quo needum sit una consentiens definitum ac statutum utrius partis sententia sit verior, liberum cuique sit affirmare sibi quod alius

negare

negari quod falsum videatur. Lutherum ipsum suam opinionem pro alte-
ra parte contradictionis habuisse. Meminisse me quum Ambsdorffio
suadenti ut componeret formulam, ad cuius subscriptionem alios adigeret,
respondisse, nimirum si id velit, futuros fortasse plures qui refragaturi
sint quam suffragaturi. Causam hanc & controversiam suam esse, se pro ea
depugnaturum, nec se requirere ad idem faciendum alios se ut obligent qui
sponte nolint. Quam existimas de me futuram esse opinionem Principis
Electoris, si me intelligat contra conscientiam in religione, impia levitate lu-
dere, & ad ipsius aut alterius affectus, ex temporum occasione, cum senten-
tia animum inflectere: Non pro viro bono me habiturus esset, si in re civili
tale quid facerem. Adhaec nostris Theologis praecipuum certamen hacte-
nus intercessisse cum Ubiquitariis, non de Coena sacra, sed de summo articulo
fidei, id est, de Christo vero Deo & homine, & de duabus naturis in Christo
unione hypostatica unitis, qui sit fundamentum fidei Christianae & salutis
aeternae. Hunc articulum ut repetitum ex consensu antiquitatis expli-
carent integre propter Eutychen, me fuisse eis suasorem, & quod in veritate
illius articuli illustranda confirmarim & adiuverim eos, me non inficiari.
Meminisse vero haud dubie Principem Electorem, quod non semel dixerim
suae Cels. non nolle me esse civem eius Ecclesiae, in qua sic doceatur
quemadmodum in eo libro sit expositum a Theologis nostris cum Lipsensium
Theologorum

Theologorum consensu: Ac ne posse quidem esse veram Ecclesiam ubi secus doceatur, quod nitatur extra hoc uno fundamento Christi, quod sit verus Deus, et verus homo. Subijciens Rauscherus: Illustrissima Domina, inquit à nullo hominum se que-ritur ita deceptam esse, sicut a te. Respondeo iterum, Non scire me, de qua se deceptione intelligi velit. Si de religione: oportere me et hoc Deo commen-dare: sed iniuriam mihi fieri. Meministis n. Illustriss. principem, quae coram aliquando dixerim ipsi, quae ad ipsam scripserim ijsdem verbis et eodem argumento recens admodum ante hos motus, Et audivisse illam ea ipsa verba quae dixerim ad principem Electorem, Non fore me civium Ec-clesiae diversum credentis. Atque ita concludens examen repetita responsione ad quaestionem tertiam, Neutiquam suspicari debere principem Electorem quod propter dissentionem in hoc articulo minus ei fidus fuerim: Nec reperturum enim ulla unquam vel minima, dubiae saltem aut nutantis fidei argumenta, in ullis meis actionibus. Haec cum dixissem Rauscherus se acquies-cere meis responsis ostendens abrumpit examen et surgens alia quaedam de habitatione mea, et qua ibi sim conditione percunctatur, meque ut intra fines mandati me contineam hortatur. Exprobrat mihi congressum et colloquium cum Dno Carlowitzio Christophoro, summo ex equestri ordine viro, quod graviter principem offenderim, atque tales offensas vitare deinceps monet. Atque se tamen non iussu principis Electoris, sed privato erga me studio facere ait.

Respondeo

Respondeo, Vrile mihi curæ esse, ut præstem q̄ me facturum recepi, & hactenus
me tam exacte servasse oīa, ut sciam me minimam partem eius libertatis, q̄
mihi concessa fuerit usurpasse. Rauscherus subijcit, Principem Electorem mihi
solum ad templum accessum permissum esse dixisse. Ego oppono formulam meæ
relegationis seu deportationis, in quā sint expresse posita hæc verba, Vt sim
Rochlicij ea conditione & lege, quā sum Witebergæ. Ibi permissum mihi fuisse
libere in urbe accedere ad quoscunq;, & extra urbem etiam egredi quo
vellem, sicut Consiliarij declararunt, eousq; quousq; se limes territorij exten-
dit. Sed cum animadvertam Principem id nolle, deinceps cauturum me,
ne id fiat iterum. Ille nihil adijciens amplius, nisi ut dem operam, ne
quā re temere irritem animos principum, valedicit mihi, ac discedit.
Digresso illo, dum repeto mecum postremam quæstionem de suspecta fide ex
dissensione in articulo Cœnæ, varia mihi veniunt in mentem, q̄ cum
existimarem ad firmiorem mei excusationem factura esse, mitto ad Rau-
scherum filium meum ac rogo ne ad me reverti gravetur. Redit e ves-
tigio. Repeto itaq; caput postremæ quæstionis quod ille affirmavit præ-
cipuum esse & principale, ac pauca præfatus iterum de prima quæstione,
de tertia quæstione denuo respondeo: Omnino me cupere satisfacere Prin-
cipi Electori hac in parte, & ab omni suspicione liberari. Cogitasse me
de multis summorum Monarcharum exemplis, qui & Medicis &

alijs

alijs ministris diuersum in religione sentientibus usi sunt, ut de Iudaeis non
dicam. Notum esse exemplum doctoris Ioannis Cratonis Medici, qui duobus
Imperatoribus Ferdinando patri & Maximiliano filio fidelissime seruierit, sine
ulla unquam suspicione dubiae fidei, cum Ferdinandus non ignorarit fuisse Crato
nem & Lutheri commensalem & cohabitatorem, & Melanthonis auditorem. Ma
ximilianus haud dubie uiderit epistolam à Melanthone scriptam ad Crato
nem rogatu ipsius, quâ sententiam de hoc articulo suam edisserit. Extare
innumera exempla in veterum Imperatorum historijs ubi Christiani Ethnicis
Imperatoribus seruierunt. Antoninum Philosophum virtute ac felicitate
legionis Christianae quae vocata e fulminatrix deuicisse Marcomannos &
Quados. Plura me dicturum interpellat Rauschenus: principes inquiens
esse dissimiles: unum tolerare posse quod alter nequeat. Verum esse id
aio, sed si ferre me dissentientem ab ipsis non potuerunt, cur me ad au
lam attraxerint? cur e schola non dimiserint? Peruulgatum fuisse
de me rumorem & omnium sermone celebratum ante multos annos etiam
in ipsa aula, quid in hoc articulo sentirem, Ac meminisse principes quid
obiectum sit mihi ab ipsis, & quid responderim. Meminisse illos etiam inui
tatas fuisse contra me aulas Saxonicas à Theologis, e quibus unus Ia
cobus Andreas suaserit inclytae Reginae Danicae Illmae memoriae, ma
tri Illustrissimae Dominae nostrae, ut me remoueri ex aula mature
curet

cerit prius[que] inficiam etiam veneno meae opinionis principem Electorem. Tentasse id Reginam no[n] demonstratis literis, de quibus cum admonitus compellas-sem principes, ac petiuissem ut me clementer dimittant, Me videre quo ista tandem sint evasura, respondisse principem utrumq[ue], Ne quid moliam, sed ut in mea statione permanens agam idem quod antea, Nec quod diffidam ipsis. Cum ergo constiterit ipsis, cuius fuerim sententiae, cur me tunc non abire iusserint, cum id petiuerim? An me in hoc retinuerint, ut excruciatum carceribus longis enecent? Posse me, si dimittar nondum plane fractis & consumtis viribus adhuc multis utilis esse. Ibi Kauschenus: Alia nunc sunt tempora inquit, & alius rerum status. Mea vero, Ego subijcio, conditio alia nunc non est quam tunc erat. Reposuit Kauschenus iterum ex Cracovij & Grungeri enunciatione me incitasse & confirmasse theologos. Subdo ut antea, Veritati me testimonium dedisse, non impulisse aut armasse quemquam ad factiones mouendas, nec factiose a nostris theologis in Academia tentatum esse quicquam: placide & sodaliter disputatum esse de vnione hypostatica duarum naturarum in Christo. Non se intelligere ille ait has disputationes. Sed ex hoc articulo pendere alterum. Nec me ergo disputaturum esse nunc quicquam, sed affirmare quod nihil unquam factiose fecerim: propterea orare me Deum ut ita regat animum illustrissimi principis, ne quid nimium faciat. Kauschenus multorum

principum

principum literis comprobari ait, & applausu publico, quae a principe Electore cep-
ta sint. Cui cum ego subiicissem, Causa haec Dei est, & a Deo gubernabitur:
Valedicens ille mihi iterum abit. — Haec summa est repentini &
improvisi examinis mei, in quo etsi video multa dici potuisse copiosius, exac-
tius & firmius: tamen cum cogitandi spacium concessum mihi non fuerit, sed
subito me respondere ad omnia oportuerit: spero haec quantumuis tumultua-
ria & languida, Deo, meae conscientiae, & meae existimationi, iis etiam qui
legerint aliquando satisfactura esse. Quibus modis oppugner, quibus
rationibus cum vi, ira cum successerit, contentius vice alia ad me opprimendum,
sub specioso schemate factiosorum molitionum: docent & comminantur tot in
me habitae quaestiones, tot institutae accusationes, tot structae mihi insidiae.
Sed confido Deo iusto iudici & vindici, certaeque & indubitatae veritati, quam
sum professus & confessus, in qua me ut serves & confirmes o fili Dei
Iesu Christe te supplex oro. Ex ore tuo & tua satisfactione hanc de
te & de vera agnitione tui veritatem didici: Tuam ut pastoris mei vo
cem sequor: Tuis nitor testimoniis. Te oro, ne sinas mihi ullis terro-
ribus, periculis, minis, saevitiae exemplis, hanc tuam veritatem excuti
aut eripi. Tibi me commendo. Tuo me subiicio, dedo ac trado mise-
ricordiae. Tibi nota est imbecillitas mea. Tu scis quam languida assensio,
quam pusilla & infirma sit fides, quam pavidum tremulum & anxium sit
cor

cor meum. Tu me ergo rege spiritu tuo sancto, & confirma me, ne deficiat fi-
des mea, ne languescat inuocatio aut confessio mea, ne debilitentur aut
frangantur spes meae, ne succumbam aut concidam animo inter pericula, quae
ante oculos conspicor: Sed eripe me, & salua in misericordia tua propter nomen
tuum & gloriam tuam, in testimonium veritatis tuae. Amen.

CONCLVSIO

Maestitiam animi, & impatientiae quandoque obstrepentis tranquillitatis meae
fremitus leniunt in hac mihi solitudine & diuturnitate exilii mei, tria potissi-
mum remedia: Causa ipsa, Exempla eorum quibus similia acciderunt, & Conscientia
atque illustria praetenta apud me dei testimonia. Causas quoties mecum re-
peto ex serie tota actionum quae adversus me institutae fuerunt, varie afficior.
Nam ut fit in aegri & perturbati animi assidua lucta, cum multiplici interque se
diverso motuum genere cum alternante victoria, nunc doloribus excrucior, mox
his depulsis perfundor laetitia, interdum cum indignatione & fremitu incandesco,
& aliquanto post residente aestu acquiesco rursus cum quadam hilaritate &
tranquillitate in conscientia optimae rectissimaeque voluntatis, piorum & honesto-
rum consiliorum, felicium & salutarium ex divina benedictione eventuum.
Ac magis aliquanto hunc usque me excruciarunt hi quasi fluctus cogitationum
& affectuum, priusquam comperi quae mihi tribuerit crimina accusatio Tor-
gentis apud ordines huius provinciae praecipuos, quam exaggeratam fuisse
intellexi tanta atrocitate verborum ut sceleratissimis me caeterosque collegas
meos proditoribus exaequari, & vitam ingeniumque meum poli liquido appa-
ruerit. Nec componere animum ad quietem potui, quamquam culpa me omni
& crimine vacare certo scirem, priusquam capita accusationis illius essem adeptus.
Occultata enim ad me fuerunt, sed quo iure, & quibus legibus nescio. prae-

sertim

fertim cum & quaesitum in caput meum capitaliter, & ab ordinibus pronunciatum
fuerit, sed mitius quam expectabatur. Certe, si quod aequum est spectetur, admit-
ti debuissem ad audiendam accusationem mei & respondendum, quod ne fierem-
rotis quidem denegatum. Confecimus ergo capita illa singulari ope di-
vina, quae sola huiusque defuerunt Catanis, argumentis, ex ipsis inimicorum
meorum apertis explicatisque & nulla in parte dubijs amplius argumentis cer-
tis de innocentia mea: Quam primum Deo iusto iudici & vindici, deinde sa-
pientibus & bonis viris omnibus iudicandam permitto & commendo. De iu-
dicio Dej, testimonio Spiritus Sanctj in conscientia mea tam certus sum, ut
etiamsi ego sileam, sciam tamen Deum ipsum in lucem prolaturum & toti
mundo patefacturum esse meum quid & quomodo sit actum. Nec patefac-
turum id tantum, sed & vindicaturum esse innocentiam meam, & ulturum
iniurias & contumelias quibus affectus sum, nullo meo merito, nulla causa
mea. Quam certo Deus est & vivit, & iustus est, ac iudex est & vindex,
tam certo scio futurum ut vindicetur innocentia mea. Circumfe-
rebatur pagella a Doctore Crellio descripta ex libri mei & sponsae quibus
si adiecta essent quae primae Dresdensi accusationi opposui, & in Torgensi
examine tanquam consistens ad tribunal Dei, vere constanterque enarravi,
satisfactum foret innocentiae meae. Sed accusationum capita recensentur:
excusatio mea praetermittitur. Referam itaque accusationis illius capita
ex

Germanico translata, q malim meis verbis ex literis ipsis recitare, si copia illa-
rum suppetat. Postea excusationem mei subijciam, etsi nulla sit opus admodum,
quod me ipsa accusatio excusat. Quid in te peccarim, aut quo meo delicto me-
ruerim, in me quod statutum & editum est non intelligo, & Deo id permitto atque com
mendo. Ex epistolis itaque ad M. Christianum scriptis haec excerpta & contra me
producta fuerunt. I. Consolor Christianum his verbis: Veritatem quam tot p-
fluuia sanguinis in Belgio & Gallia restinguere non potuerunt, in his terris
tandem esse triumphaturam. Et quod subieci his: lacera literas ne mihi
idem accidat quod antea, & ne nouum mihi creetur periculum etc. II.
Satis tibi sit quod habes a tuis partibus viros eruditos & constantes. III. Signifi-
co me vehementer dolere quod Catechesis mandato sit prohibita. IIII. Esse de qui-
bus cum eo colloqui cupiam, q literis credi tuto non possint. V. Gratum mihi
esse quod Cracouium audiam conualuisse, qui Academiae laboranti opem ferat.
Ad haec sua manu adiecit princeps Elector: Nota, Elias Witebergensium
Cracouius. VI Quod Bonnelianus nobilis primum commonuerit Electorem con-
tra Academiam. VII. Quod scripsi: Tu sycophantica consilia refutas, & -
recte facis. VIII. Non existimasse me tam paruam pagellam daturam esse
tantas turbas. Ad marginem sua manu adiecit Princeps Elector, Doctore
Peucerum negasse a se in Catechismo quicquam scriptum esse, nec de eo scisse.
alibi id fateri. IX Selneccerum & pastorem Dresdensem calumniandi
& mentij.

& mentiendi finem non facere. X Adversarios meae contentiae nullum fidei
articulum defensuros esse, si serio sit decertandum. XI Quod peto significari
mihi, quomodo sit erga me affectus princeps Elector, & ut me moneat. XII
Quod mitto exemplaria Catecheseos, quae distribuat. XIII Quod ideo edita sit
Catechesis ut aboleat Confessiones Chytraei XIIII Quod nostri Theologi potius
deserturi sint Academiam quam corpus doctrinae XV. Quod scripserim haec
verba: Quanta blasphemia est contendere Christum praebere nobis in sacra
mento suum verum corpus, & reipsa negare Christum esse verum hominem & ha
bere verum corpus. XVI. Si liber Grundfest aboleatur: optare me ut cum
meis procul absim ab his terris. His adiecit ad marginem princeps Elector,
se idem velle. Haec sunt capita accusationis quae non ex auto-
graphis meis, sed aliena manu descripsi, sicut a Crellio excerpta ac divul
gata fuerunt. His addita fuit expressa mihi necessitate carceris & imbecil
litate animi corporisque morbo gravissimo vehementer in ipso carcere afflicti
syngrapha, cuius exemplum recitatum est supra. Secundum haec pronunciatum,
ut retinear aresto Witebergae, & relinquar meo loco ut doceam Medici
nam & historias. Vix acceperam autem haec capita, cum novum illud
paulo ante expositum mei examen ab Hieronymo Rauschero Consule Lipsense
institutum. Utriusque & accusationis huius & illius examinis capita qualia
sint, oro ut boni & sapientes omnes iudicent, & quibus artibus atque insidijs

petitis

pectitus sim cognoscant ac cogitent. Summa accusationis ergo in his consis-
tit, quod Catechesin Witebergensem, & librum Grundfest, & Corpus doctrinæ,
quo pro norma usæ sunt hactenus Ecclesiæ harum terrarum, probarim. De
Catechesi igitur primum respondeo. Hanc non scripsi, ac ne iota quidem in ipsa
Catechesi meum est: præfationem præfixi, quæ consilium editionis exponit.
Alienos labores mihi non vendico, nec arrogavi unquam. Hoc fabulum credo
quemquam, qui audiverit Catechesin quod unquam mihi tribuerim. Sed quando
aut ubi dixerim, non mihi de Catechesi quicquam constitisse, plane non recor-
dor. Nam colligendæ eius edendæque autor fui una cum collegis desti-
natis inspectioni scholarum Illustrissimi, ex longa deliberatione, quæ in
schola Pforteusi habita est. Editam vero semper ac summe probavi & de-
fendi. Prima eius exempla in aulam misi, quæ cupiditissime accepta sunt
& mox iterum repetita. Cum sycophanta unus & item alter reprehende-
rent quædam calumniose, & præcipue interpretationem verborum Petri in
Actis: Oportuit Christum cœlo capi. Hæc quoque violenta fuerit calumnia,
quæ nefarie & scelerate depravavit verba in alienissimum ab interpretis
mente, imo a rei veritate & proprietate latini sermonis detorta sententiam,
iudicabit posteritas. Hoc seculum fascinatum præstigiis Sycophanta-
rum id non agnoscit, imo ne considerat quidem: nec audit nec admit-
tit ulla salutaria monita. Semper etiam, & quidem constanter,

veritatem

Veritatem libelli illius Catechetici defendi, quem etsi fastidit ac reijcit praesens
seculum, grata tamen amplectetur & usurpabit posteritas, quod certo scio, cum
non extet melior compendium pro ijs qui in hac Catechetica doctrina simplici dedu-
cendi sunt ad maiora & altiora. Miror itaque a quo ortum & profectum hoc
sit figmentum quod dixerim de Catechesi, me nihil mihi conscium esse. Sed
satis de obiectione, quae non magni momenti est. De libro fundamenti
exponente perspicue, luculenter & copiose totam purioris & orthodoxae Ec-
clesiae doctrinam de secunda parte ~~symboli apostolici~~ id est secundi articuli in
symbolo Christiano, id est de incarnatione aeterni filij Dei, domini nostri
Jesu Christi, & de unione hypostatica duarum naturarum divinae & huma-
nae in una persona Christi: haec ipsa mea sententia semper est & fuit,
propter quam modo accusor, nimirum quod illius Ecclesiae civis esse non
velim quae secus docet ac sentit. Imo nullam esse Ecclesiam, quae hoc
fundamentum non retinet. Haec verba ipsi principi Electori non semel, sed
bis ad minimum dixi in faciem: Haec ad ipsam Illustrissimam Dominam
literis perscripsi multo ante quam hae turbae motae fuerunt, quibus ego nunc
una sum oppressus. De corporis doctrina mihi vitio verti & crimini
dari, quod scripserim Theologos huius Academiae detentiores quam Corpus domini
abiecturos esse, mirari satis non possum. Si improbatum, cum decreto
publico receptum est in Ecclesias, & pro norma doctrinae habetur usurpa-
tum?

tum? Utinam praestarent necessariam constantiam Theologi, in eius doctrinae defensione: Minus enim turbarum & tumultuum, Minus dissidiorum & odiorum haberemus: & constaret explicata posteritati pro qua genere doctrinae maiores nostri tam saepe dimicarint, tot certamina sustinuerint, tot exhauserint pericula. Si repudiatum fuerit corpus doctrinae, quid certi habebit praesens aetas in his terris? quid posteritas? An non e manibus excutientur omnia & coniicientur animi in confusissimarum opinionum, & maxime abominabilium errorum teterrimum chaos? Haec de Catechesi, libro fundamenti, & corpore doctrinae, mea est & fuit sententia & confessio, in qua, Deo adiuvante atque confirmante semper perseveraturus. Si propterea opprimor tantis odiis, & tam atrociter persequar, laetor dignum me censeri a filio Dei, qui pati aliquid debeam propter confessionem eius doctrinae, quam certo scio ipsius nomine traditam nobis & commendatam, & a maioribus nostris restitutam ac repurgatam esse ad normam & praescriptum veritatis Evangelicae, summis laboribus & certaminibus. Non opes, non honores quaesivi, sed veritatem & honorem filii Dei, cuius rei mihi testis erit Deus in omni aeternitate. Caetera capita accusationis talia sunt ut digna refutatione non existimem. Penultimum repetens consentio ad tuum affirmo & affirmabo in omni aeternitate

nitate, Quod summa contumelia afficiant filium Dei, Quod summam in filium Dei blasphemiam evomant, qui Christum natura humana exuunt & spoliant, & tamen contendunt verum corpus in Sacramento carne distribui. Nam dicere Christum esse sine vero corpore, & tamen verum corpus sumentibus communicare, nonne extrema amentia est? & quomodo inter se congruunt? Sed autores excaecati suis erroribus, & in sensum traditi reprobum quid dicant nesciunt. Postremi examinis quod Karischarus de novo instituit, ex nova specie fucatis quaestionibus & argumentis, cum priora omnia elisa vi veritatis in vacuum evaporint, & evanuerint: Illius ergo postremi examinis obiectiones quales sint, res docet. Responsa mea etsi subitanea, tumultuaria, & sine praemeditatione effusa satis arguunt tamen accusatio qualis fuerit, qualibus instructa & suffulta sit praesidiis. Extrema enim in me omnia intentare experiri voluisse inimici mei. Summa rei consistit in hoc, quod adiuverim ut novum, sicut vocant, & Sacramentarium dogma in has terras inveheretur, & quidem per conspirationes & practicas, cum theologis & consiliariis in aula. Hoc .n. quasi schemati vestitur accusatio, ut species alicuius molitionis appareat, cum inficiari non potuerim sermones inter nos de his rebus fuisse, & cum Theologis me multa communicasse. Ego vero me nihil unquam vel somniasse vel cogitasse de ulla conspiratione, aut de ullis practicis, nihil insidi-

ose

ose, aut fraudulenter, nihil factiose, aut extra metas meae vocationis, ni-
hil contra Dei, nihil contra principis Electoris mandata aut interdicta fe-
cisse, Deo teste sancte constanterque affirmo: Et si quid factiosum cogitans
saltem volo quod antea peccatus sum, ut me Deus in aeternum perdat. Ve-
ritatem quam praeceptore Lutero meo primum didici, & magno studio, mul-
toque labore evolutis monumentis antiquitatis in animo meo confirmavi.
Hanc ergo sum confessus, iuxta severissimum Dei mandatum: de hac pro-
tuli sententiam meam: hanc ostendi alijs a quibus sum consultus & inter-
rogatus: in hac confirmavi eos qui requisiverunt meum testimonium.
Et hoc debui facere, Christo id praecipiente, Et tu conversus confirma fra-
tres tuos. Quid violentius aut virulentius cogitari potest quam
Collationes de articulo aliquo controverso ad aperiendam & confirmandam
veritatem, aut colloquia amica, quae fiunt in hunc finem ut pateat ve-
ritas, interpretari de conspirationibus, practicis, invitationibus factiosis?
Ante omnia igitur maestitiam & aerumnas exilij mei lenit mihi co-
gitatio de causis, quod sustineo haec omnia propter confessionem veritatis
quam tu Deus [illegible] scis me nullo alio consilio, nullo alio
affectu, nulla alia cupiditate adiuvisse & promovisse, quam vero ac simpli-
ci studio, ardentique amore gloriae & veritatis filij tui, ut liceret illa
inter homines, & ut filio tuo Domino nostro Iesu Christo constaret
suus honor

suus honor, sua gloria integra & illibata, ut refutentur, arceantur, depellantur
blasphemiae, idolatria, profanationes sacrae Coenae, mendacia, calumniae & contra
quibus idola, blasphemiae & profanationes sacrae Coenae excusantur, stabiliuntur,
& confirmantur, quibus obscuratur gloria, deletur memoria beneficiorum, ex-
tinguitur vera agnitio Christi mediatoris & salvatoris, veri Dei & hominis.
In his ergo tam capitalibus odiis adversariorum meorum & persecutionibus mei tam atro-
cibus hac cum piae voluntatis, tum vero consiliorum & actionum rectarum
atque utilium conscientia me sustento, laetorque quod propter dominum nostrum
Iesum Christum, qui pro peccatis meis acerbissimas mortes cruciatusque perpessus
restituit mihi salutem, iustitiam & vitam aeternam, & donavit me Spiritu sancto
suo: quod ergo propter illum & per illum, id est ipso in me operanti ac foti,
aliquid & ego patior, & aliquo modo ipsi similis efficior. Deinde, etsi
vehementer doleo schemate conspirationum & practicarum rectissima mea
& prudentissima consilia & facta atrociter praegravari ac traduci: tamen
rursus erigo & consolor me exemplis summorum virorum. Non sum enim
adeo rudis, stolidus, aut vel historiarum vel rerum communium ignarus, ut
non cogitem hoc saepe accidere, inprimis in Ecclesia, ut iusti & bene meriti
iniuste opprimantur, astute & speciose excogitato praetextu aliquo, per calumnias.
Sic saevitum esse in filium Dei, in prophetas & apostolos. Nec desunt exempla
in civili gubernatione, Palamedis, Socratis, Theramenis, Phocionis, & aliorum
innumerorum.

innumerabilium. Horum exempla cum intueor, fateor leniri aliquantulum dolorem meum, & accedit spes vindictae & liberationis divinae. Tandem enim emergit & vincit veritas ipsa, ut dicitur: ἄγει δὲ ἐς φῶς τὴν ἀλήθειαν ὁ χρόνος. Sed ante oia me maxime consolantur illustria testimonia p̄sentiae Dei apud me, quod video me non deseri, nec abiectum esse a Deo, nec traditum esse penitus in desideria inimicorum meorum, nec permissum eis esse in me iniusta & capitalia odia sua pro arbitrio & libidine sua ut effundant. Certo itaque fiducia promissionum divinarum statuo, Deum non a me discessurum, nec me derelicturum, sed assistiturum esse mihi in carcere & afflictionibus his meis, & me in tempore opportuno, id est, ipsi constituto ereptuturum esse & coronaturum gratia & misericordia, honore & gloria, cum in hac tum in vita aeterna, cum illustri testimonio de laborante iam, proculque oppressa veritate: Deum me saturaturum esse etiam in hac vita ut verbis psalmi utar, annis, & ostensurum mihi quod ipse sit salus mea. Provocarem ad iudicia legitima, & cognosci causam meam supplex peterem, si quid provocationes, si quid preces supplices valerent: Cum autem nullibi locum esse videam, provoco ad tribunal & iudicium filij Dei, cuius subiecti sumus omnes. Tibi, o aeterne, vive verissime Deus: o aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, commendo me, causam meam, imo tuam causam, & filij tui. Te supplex oro, iudica causam, vindica gloriam,

assere illustri documento iudicij tui veritatem tuam. Tu vides quibus artibus & insidijs quaerant animam meam, & struant mihi exitium & interitum inimici mei ex omni parte, quas non tentent & experiantur vias & rationes ut me capiant & opprimant. Te oro itaque supplex, patefac ac vindica innocentiam meam, serva me, rege me Spiritu Sancto, robora & confirma me, ut in confessione doctrinae & veritatis tuae constanter persistam ac perseverem, & facias hoc propter te, propter nomen tuum, propter gloriam tuam, in testimonium veritatis tuae, ut liberatus confitear ac celebrem te, annunciem doctrinam tuam Ecclesiae tuae & posteritati, cum horrenda impendeant tenebrae, & testificer meo loco de veritate contra blasphemias, idolatriam, profanationem Coenae sacrae, mendacia, calumnias & praestigias adversantium regno, gloriae, & veritati filij tui. Propter te ergo, propter te, propter te ô aeterne Deus, & filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum facias hoc, ne tu blasphemeris. Amen.

D. XIX febr. Anno Christi MDLXXV
ad Charadras.

INSIDIAE STRUCTAE.

Omnipotens, aeterne, vive, verissime Deus, pater aeterne Domini nostri Iesu Christi, tibi gratias ago quantas maximas capere potest ingens mea imbecillitas, cum pro innumeris tuis beneficiis, quibus me cumulasti, inde usque ab utero matris meae, tum vero de his inprimis, quod in his summis periculis, testimoniis illustribus & quotidianis ostendis mihi praesentiam apud me tuam, & omnipotentis dexterae tuae praesidium. Quocunque enim me verto, te praesentem, te mihi propitium conspicor, tuam cerno faciem, tuae misericordiae participo fructum, tuum experior auxilium. Quotiescunque meipsum aut reflexo aut considero, tuae me benignitatis beneficio superesse & hunc vitalem ducere spiritum, & hoc esse quod sum reperio. Nisi tu me custodires, servares, tegeres, eriperes Domine: iamdudum violentiae impetus & insidiarum infinitarum vorago abripuisset & absorpsisset me. A tua ergo misericordia, clamans cum Ieremia propheta, profecto agnosco & confiteor quod non consumptus sum. Quas enim non sum expertus, quas non sustinui adversationes? & insidias? Qui non sunt & conficti & excogitati adversus me praetextus, ut quoquomodo opprimerer? ut conceptum in me propter veritatis studium & confessionem odium, criminis alicuius specie aliena ostenderetur.

Venit Rochlicium septima die Martii anno septuagesimo quinto supra MD, Consul ex urbe Misena Paulus Papa, patria Rochlicensis, subornatus ab aula ut in omnes meas actiones inquirat, & inopinato adventu me oppresso, quod

faciam

faciam, qui mecum sint ac versentur, observent, & quo modo aerumnas exilij seu
deportationis meae feram? an indigner & fremam adversus principem Electorē
Exploret. Deniq; ut me captum pertentet, & eliciat aliquid aut querelarum,
aut asperiorum sermonum in principem Electorem conetur. Non mihi con-
stabat, quâ de causa advenisset: id enim aliquanto post cognovi ex alijs, qui
de ipsius vel libris vel sermonibus id exceperant. Sed [illegible] primum ingredien-
tem in constantia ex mutatione rubentis faciej in subitum pallorem, & haesita-
tione vocis trepidantis Exploratorem esse animadverti. Cum .n. & florido
rubore niteat alioquin, & animo praesenti magnoq; absq. ulla consternatione &
impavido, magnas causas in maxima hominum frequentia dicere soleat: me ta-
men tam compellabat trepide, ut quomodo & unde exordiretur vix reperiret.
& simularet se cum mandatis a Doctore Christophero Lauschnero Medico Crismans
ad me venire, consilium petitum, ipsius & coniugis nomine de hydrope, quo
ille non absq. vitae discrimine laborabat. Refert itaq. symptomata quaedam
tanq; ex illius ore, & obtestatur ut si quid possim in medium consulam. Re-
spondeo haec symptomata morbi desperati argumentum esse. Idcirco me quod
consulam non habere aliud quam ut sese Deo commendet. Adijcio quaedam de
amicitia quae mihi cum illo intercessit, confirmata vinculo arctiore per sacrum
baptismum, quod ἀνάδοχος adstiterit baptismo filij mei natu maioris, &
deploro iacturam tanti viri, quod bonorum & felicium Medicorum magna sit

raritas

raritas in his terris. Ille mox: Imo non Medicorum tantum, sed doctorum omnium magna raritas est, & animaduertimus has turbas iam plerique. Nuper enim Crytaeum tertio uocatum Witebergam id recusasse. Et Matthaeum Dresserum Pforthio uocatum ad gubernationem illustris scholae in urbe Misena assentiri uocationi noluisse. Queritur de laxata disciplina, & corruptis ciuis scholae moribus. Ego aliud nihil subijcio quam de priore scholae Rectore, uisum fuisse mihi illum idoneum ad eam scholam, cum propter doctrinam, tum maxime propter ingenium & genium accomodatum tali muneri. Sermonibus miscet mentionem Doctoris Henrici Stolleri, qui exulabat Misenae: eumque mox siti & solitudine & calculi doloribus confici ait, nec tam queri quicquam quam ita teneri ad aedes suas quod rogatum, nec corpus exercere queat, cui per calculum molestum opus. Respondeo, facile me hic credere, idque meo exemplo, qui toto tempore quo hic fui decubuerim crebrius quam aliquid operarum fecerim: & bis quidem non absque uitae discrimine. Inde reuertor ad Peuscherum, & rogo eum ut meo ei nomine ualedicat tanquam amico ueteri. In hac ei uita non conueniamus, breui nos tamen simul futuros, & mutuo complexuros esse in altera uita meliore & aeterna: Cum his eum sermonibus dimitto. Cualia autem aula reminiscerit ex me, aut de me omnino quod aulae retulerit, cognoscere mihi hactenus non licuit. Hoc scio subornatos fuisse custodes, qui quae facerem obseruarent, & darent operam literas si quas scriberem, eas

ut

ut interciperent. Id quo consilio factum sit non obscurum est: scilicet, ut cum nulla reperiatur contra me ἀλλότριον mihi a religionis controverso articulo, undecunque aliquam captent, ut quamvis potius causam quam religionis praetendant carceribus et exilio meo. Sed aliquot diebus post comperi arcano indicio amici cuiusdam ἀξιοπιστοτάτου, mandata haec missa esse literis scriptis XXIIII^ta^ Martij ad quaestorem huius loci, nomine Electoris in hanc sententiam: Cum nostra intersit plurimum scire qualem se gerat Doctor Peucerus in religione, atque inprimis in controverso articulo de Coena Domini nostri Iesu Christi: an privatim etiam confessus, et sacra coena usus sit? An errorem in hoc articulo agnoverit et renunciarit suum, et accepta absolutione Coenae Dominicae usu poenitentiam confirmarit. Ideo mandamus tibi, ut cum omni dissimulata ad illum de his omnibus diligenter inquiras apud Ecclesiae pastorem et Diaconos. Ac praeter haec, qualem se toto tempore suae deportationis gesserit, exploras: deque universis nos ad manus nostras edoceas etc. Hoc scilicet supererat ultimum, ut in confessionem privatam meam, quam privatae absolutionis causa retinentur in his Ecclesiis inquirerentur. Id etsi quo consilio sit factum ignoro, nec sinistre interpretabor quicquam: tamen laetor eo tandem devenire rem, ut aliud mihi tribui nihil possit quam confessio agnitae veritatis in hoc de Coena Domini articulo, quam cum Electoris literae controversiam vocent, cur non auditus, causa nondum cognita, controversia non definita condemnor et punior? Ministri Ecclesiae et Quaestor ita responderunt, ut se de hoc

articulo

articulo nullas audivisse disputationes ex me, quod & verum est, & quantum
ad reliqua, exacte me servasse leges obligationis meae, & multo quam habet formu-
la exactius, affirmarint. Cuius rei & mea mihi conscientia testis est & erit.
Ab eo tempore per dies aliquot, nihil comperi, nisi quod lictores qui subornati
fuerant, dimissos rursus & summotos esse intellexi. Tibi itaque ô veris-
sime Deus, ô pater aeterne Domini nostri Iesu Christi, gratias toto pectore ago,
quantas possum maximas, quod tribuis testimonium innocentiae meae. Tu
scis Domine, & non est hoc absconditum à facie tua, quod nulla re laeserim aut
offenderim inimicos meos, quod de conspirationibus & practicis quas obie-
cerunt mihi inimici mei, nulla unquam cogitatio venerit in animum meum.
Tu scis quod oderint & persequantur me non propter transgressionem, non
propter peccatum meum, sed propter te & filium tuum Dominum nostrum Iesum
Christum, & propter veritatem filii tui, quam tu Domine καρδιογνῶστα, scis me
vero & ardenti studio investigasse auxilio spiritus sancti, & agnitam semel
confessum & professum esse ubi debui & potui, iuxta tua severissima mandata
& atrocissimas comminationes, nulla cupiditate, nullo affectu aut studio alio
quam recto & simplici corde, amoreque ardenti gloriae ac veritatis tuae & filii tui: &
odio non simulato blasphemiarum horribilium quae renovantur ex veteribus
ac iam olim condemnatis erroribus in contumeliam filii tui Iesu Christi. idola-
triae inveteratae in Missa pontificia, profanationum teterrimarum sacrae

Coenae

cænæ in abusu multiplici. & inprimis in perniciuso & blasphemo more operis ope-
rati: denique praestigiarum quibus excusantur, stabiliuntur & confirmantur blasphe-
miæ, idolatriæ pontificiæ missæ, & profanationes sacræ cænæ. Tu scis Domine
καρδιογνῶστα, ad cuius iudicium provoco, me non quaesivisse nec expectasse
honores, non opes, non dignitates, non gratiam potentum, nec factiose in quoquam
aut per conspirationes fecisse: sed tantum me simplici & recto corde, meo loco
atque vocatione id quaesivisse ac expectasse, ut vindicaretur ac luceret lux veri-
tatis tuæ, ut constaret honor tuus & gloria tua filio tuo, Domino nostro Iesu Christo:
Ut tu recte agnosceteris, invocareris & colereris in agnitione & fiducia filii, ut
procul arcerentur ab his terris blasphemiæ veteres, idola pontificia, profanatio-
nes sacræ cænæ, quibus extinguitur nostra notitia, obscuratur gloria, deletur me-
moria beneficiorum Domini nostri Iesu Christi. Ego autem agnosco & confi-
teor, me hoc languidius, negligentius, timidius fecisse, & multo minus fecisse
quam decuit: & intervenisse innumeros lapsus imbecillitatis meæ, quod pericula
vitæ huius caducæ magis extimui quam iacturam vitæ æternæ: tamen tu scis Do-
mine cor fuisse rectum & simplex. Te itaque supplex oro & obtestor per viscera
tuæ misericordiæ per & propter aeternam, ardentem & indesinentem pro me inter-
cessionem filii tui Domini nostri Iesu Christi, ne propter peccata mea & lapsus
infirmitatis meæ, quibus te Deus offendi, tradas me penitus in animas, in
desideria, in manus inimicorum meorum: nec permittas eis ut propter
hanc confessionem veritatis tuæ in me grassentur, & saeviant pro arbitrio

&

& libidine sua, aut explicant desideria animorum suorum: sed eripe me obse-
cro ex manibus inimicorum meorum, & libera me de persequentibus anima
meam. Sanctifica me Domine in veritate tua, & in huius confessione ser-
va & confirma me Spiritu tuo sancto, ne deficiat fides, ne languescat invocatio &
confessio mea: ne debilitentur spes mea, ne concidam animo & succumbam, fractus
minis, periculis, mortis conspectu, diuturnitate mearum calamitatum, denique ne
confundar in veritatis confessione aut opprimar: Idque facias propter te, propter
nomen & gloriam tuam, in testimonium veritatis tuae, ut liberatus & servatus
confitear nomini tuo, annunciem veritatem tuam & testificer de ea, & exaltem
misericordiam, iustitiam & potentiam tuam, ac te celebrem etiam in hac vita cum
tota Ecclesia Electorum nova & perpetua gratiarumactione, per & propter aeter-
num filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum: propter te Domine, &
propter veritatem tuam eripe, libera, salva, & serva me, ut tibi adhuc serviam
& multis prosit opera mea in hac vita ad gloriam nominis tui, & meae ani-
mae ac plurimorum salutem aeternam   Amen.

APPENDIX.

Vere & sancte affirmo, Deo teste; quod initio nec quid molirentur principes, nec magnitudinem mei periculi intellexerim. Ne suspicari enim quidem poteram, tantam in eos unquam invasuram esse, aut cadere posse acerbitatem & immanitatem odii adversus articulos vel in doctrina Lutheri controversos adhuc & haerentes, non prius explorata ac definita veritate, imo ne quidem ullo legitimo iudicio praemisso, vel adversus me de quo certo norant quod in sententia a Luthero diversa semper fuerim: cuius perspexerant & probarant fidem, non paucorum annorum spacio in officiis & obsequiis aliis omnibus summam: cui denique paulo ante hanc mutationem voluntatum summam & ante res motas literis gratias eximie egerant pro navata fideli opera scholis & ecclesiis harum terrarum. Atrocia erant quod motis rebus prorsus ex inopinato me opprimebant, arcte obligabant. Spoliabant omnibus privatis literis ad me amicorum, Dresdam evocatum & in custodiam coniectum satellitio perpetuo muniebant, causas & praetextus accusationis adversus me instituendae quaerebant ex amicorum literis. Atrociora erant quod me satellitio stipatum producebant ad iudicium tanquam facinorosum, & cum nihil reperissent in literis meis, ex quo ullius criminis argui, multo minus convinci possem, tamen auderent me accusare hac sycophantice & false instructa calumnia praegravatum, nec auditum de doctrina, quod per conspirationes & practicas alienum ab harum terrarum doctrina Sacramentariorum dogma invehere sim

edit:

conatus

conatus: quod sparserim pagellas & libellos ad hoc perscriptum: quod invitarim Theologos externos & nostros ad turbandas has Ecclesias: & cum hos seditiosos conatus quos mihi tribuebant, nulla re, nullaque prorsus argumento probare possent, me de innocentia mea provocantem primum ad ipsorum iudicium conscientiam quam silentio suo attestabantur, tandem ad tribunal & iudicium filij Dei, non verebantur tamen condemnare, sed mitigata poena, ut se deprecationi aliorum & meae, qua nunquam eram usus (Item & accusationem & sententiam contra protestatem) condonare se simularent, quicquid hac in parte a me commissum esset, & alligatum aresto ad urbem Witebergam iuberent huic meae professioni publicae vacare, imperato sub iuramento silentio, de mea in controversis articulis sententia contra mandatum filij Dei praecipientis confessionem veritatis, vel cum vitae discrimine. Haec ergo etsi atrocia erant omnia, atque hic inaudita & incomperta terris: tamen nunquam mihi persuasissem, tantum in principibus adversus non cognitam veritatem & contrariam fuisse odium, nisi ex odio concepta doctrinae tam animo sancita & manifesta violentia conatus erupisset, & plurimis alijs argumentis se ostendisset & effudisset in plures. Eo enim magnitudine odij & conceptae saevitiae impellebantur, ut abolita hac prima sententia quod mitior videretur, postremis aperte hostilia omnia severiori sententiae in controversis articulis denunciarent, nec se acquieturos, nisi excisa ea ac deleta penitus, nec toleraturos se quemquam in sua ditione profiterentur huic addictum:

& odium

& odium illius se declaraturos publico nonnullorum supplicio manifeste iactarent, accuserentq. ministros ad hanc rem idoneos ex Theologis indoctos & crudeles hypocritas qui cuderent articulos accomodatos instituto suo, & conuocatis Torgam nonnullis ex ordinibus harum regionum quos idoneos fore rei tantae perficien da; opinio erat: ad exacerbandos animos ordinum ita proponerent, ut rursus praeliis & conspirationibus nonnullorum tentatum esse affirmarent quo nouum & sacramentarium dogma in has terras clam & occulte introduceretur, et pro ferrent obligationem extortas nobis. Hoc enim accusationum fundamentum erat praecipuum: neq. contra me habuerunt aliud quicq: et flagitarent seuerius sententias quas se executuros promittebant. Eas cum non obtinerent, ut irritati suo sese indicio & arbitrio animaduersuros in autores, palam dicti tarent. Delusi autem ad hunc modum spe sua (nam alterio errato vel obsequio se exhibituros sperabant odium suum) detruserant ad alia. Referam autem mea tantum. De me decreuerant, ut letris & perpetuis manciparer carceribus. Id unus ex consiliarijs praecipuis qui hunc gubernaculum sit Lindemannus imprudens mihi significauit. Sed causa deerat. Soli enim calumniis quam extorta mihi confessioni interuerant, & contra quam potestatis, nihil atq. insistere non audebant. Sed cum iterum Torgae interrogatus cum adiuratione de conspiratione cum Electore Palatino, consiliario eius Ehemio. O vide grauissimam calumniam hanc repulissem

iterum

iterum, & ademissem eis etiam speciem omnem atque praetextum huius calumniae excusan-
dae aut fingendae: non satisfiebat tamen immani odio principum, qui exacerbati grauiusque
quod & Socerum in hac sancte sententia mori, & me confirmatum ab eo paulo ante
mortem in hac perseuerantiarum dixissem, nihil non deinceps aduersus me excogitari inci-
piebant, ut aliquam alicunde προφάσεις elicerent ad me specioso aliquo schemate, sub
Coplo conspirationum & praedicationum noto opprimendum. Graue enim eis sustinere cul-
pam intentatae calumniae uidebatur. Communi fama percrebuerat non exsatiari
odium immane ipsorum aduersus gloriam & ueritatem filij Dei nisi aut sanguine aut
interitu nostro, qui eramus propterea capti. Idcirco in omnium ore uersabantur hi
sermones, Optimum & maxime e re nostra fore si moriamur quamprimum, ut hoc
modo liberemur ab odio principum implacabili. Id fuisse uerum, immo creuisse
indies magis magisque odium publicatum postea & illustribus documentis compertum est.
Nam & in plures alios sese effudit ex optimis ac fidelissimis consiliarijs, ac de
principibus & his terris praeclarissime meritis, & euertit uno impetu penitus illud
decus atque ornamentum harum terrarum praecipuum Scholam Witebergensem,
quam sicut pupillam oculi sui diligebant ac tuebantur Principes qui ante cesse-
runt. Et cum Dresdam uenisset Caesar Imperator Maximilianus, ostentatum est
monumento publico statua Herculea, molis & magnitudinis stupendae, in qua uario
genere igneorum tormentorum ex puluere bombardico artificiose instructa
bellum aperte denunciabatur filio Dei. hac gygantea quidem sed ad portio-

&

et grammaticam male congruente inscriptione. Ut Lernaeam hydram Hercules,
numerosum licet monstrum igne tamen vicit ac mori docuit. Sic Augustus Dux Saxo-
niae Elector Heros inclytus, sectam Calvinisticam latenter in has terras irreptam ac
fraudulenter nutritam, Deo adiuvante, et supprimet et vincet. Haec statua
inter tres praecipua flammam incensa evomuit quidem sursum in caelum, sed non
eo impetu, et ea vehementia quae fuit expectata, imo levi paucoque fragore
commota tandem in sese conflagravit. Hoc eventu existimatum et significari ir-
ritos conatus fore qui suscipiuntur contra filium Dei regnantem in caelis omni-
potente dextera. In me autem odii magnitudo et acerbitas privatim aliis su-
aperuit argumentis. Cum enim non ita multo ante Consuli Lips. Rauschero
iterato examine, quod vincus instituebatur non alio consilio (?) ut dicere-
tur praetextus aliquis sacrilicio: Rauschero igitur cum tria mihi obiicienti man-
dato principum, quid mihi constaret de conspirationibus et pactis quibus cum ex-
consiliariis et Theologis de controversis dogmatibus consilissem? deinde quomodo
dissentiens a principibus in religione potuerim eis fidus esse? Ad haec ego
tria cum respondissem magno et impavido animo: primum, nullarum me con-
spirationum conscium mihi esse, Deo teste: de controversis dogmatibus autem me omni-
bus quicunque desideravint sive sententiam meam et soceri mei, ore et scripto,
quoscunque fuerunt ordine horum, eam aperuisse libere et ingenue: Hoc me facere
debuisse et facturum esse propter Dei immutabile mandatum. At me etiam
penatum

R

paratum esse hanc sententiam meam defendere ubicunque & contra quoscunque sit opus.
Ac petere me propter Dei gloriam & veritatem ut audiar. Exploratam enim mihi
esse totam antiquitatem, & praeterea historiam certaminum omnium quae inter Lutherum
& Antagonistas, atque inter Lutherum & Melanchthonem inciderunt. Denique ridi-
culum mihi videri quod me fidum principi non esse potuisse dicat, eo quia Deo
sim fidus, cum e converso plus tribuere princeps fidei debeat ei qui non leviter
mutat religionem, sed constanter in agnita veritate perseverat. Deo enim qui fidem
fallit, eum nemo speret fidum fore hominibus. Ad haec igitur cum hoc modo
respondissem, & responsa Karlschovius mandatis accumulata, ut docuit exitus
retulisset, iterum gravius irritati principes adeo excanduerunt ut iusserint
denuo scribi mandata de me in teterrimum carcerem praecipitando, quod audirent
tam acerbe adversari ipsis, & tam confidenter profiteri me & mea defensurum
esse, & eorum omnium quae mihi intentassent adeo intentum esse, ut ausim
etiam testari recte me fecisse. Mandata & scripta & missa, sed virtute singu-
lari Dei beneficio revocata fuerunt ac rescissa. Imperatori autem Maxi-
miliano optimo & sapientissimo principi paulo post pro me intercedenti & operam
exponenti meam, gravissimo de me iudicio, ita responsum esse, ut interro-
gatus quid obtinuerit, cum indignatione & fremitu paucis subiecerit. Si
Elector Sax. profiteri audit quod ignoscere non possit, sibi etiam non fore de-
corum, si constituat quod non velit unquam ad Electorem pro quoquam intercedere.

Eius

Eluctati igitur tunc quidem ex decretis carceribus Dei consilio & auxilio sin-
gulari: Sed intercessio summi in orbe Christiano Monarchae tantum non potuit,
ut vel libertatem mihi impetraret, vel leniret saltem acerbitatem immanis o-
dij. Eius mitigandi causa paulo post supplicibus literis gratulabar utriq. prin-
cipi de nato recens filio, deq. mea innocentia expresse universis testabar, Deo invoca-
to, quod summa semper fide & studio, & Deo tribuente quas debui meo loco & voca-
tione, in agnitae Veritatis propagatione, & ipsis principibus, neq. ulla in re diligen-
tiam adversus eos. Sed nihil aliud consequebar, quam ut exacerbatis magis animis
subornarentur Corycaei ex proximis meis & domesticis, qui quae dicerem, quae facerem
observarent, & occasiones atque ἀφορμάς, praetextus & προφάσεις quaererent
ac captarent ad me quoquo modo opprimendum ac perdendum. Eo me autem
stricta insidiae redegerunt, ut liber nec hiscere, neq. pedem efferre e conclavi
fuerim ausus, in quo vixi; nec aditus ad me ulli hominum pateret. Ijs prae-
sertim quos addictiores mihi fuisse compertum fuit. Ac nisi me Deus singulari
providentia & bonitate sustentasset & servasset, dudum me vel rabies ista absorp-
sisset, vel metus insidiarum ac moestitiae diuturnitas confecissent. Sed Dei immen-
sa benignitate sum quod sum. Plane manifesto me miraculo Deus & eripuit im-
pio rabiei ac saevitiae hostium meorum, & ab intentatis mihi falso calumnijs
defendit & vindicavit, & nunc etiam protegit, ducit, regit, custodit & servat.
Credo quod accusatio Kauscherj tacite insimulavit me conspirationum & prac-
ticarum

licarim cum Deo. Non potram ei obtinere, ut nominaret aliquem, quo cum me conspiratae suspicio esset, cum in prima actione D Cracovium, et Christianum, & D Bezam: in secunda Palatinum Electorem, D Ehemium, & Bezam iterum nominassent: in hac tertia ergo si licuisset Deum accusassent. Cum hoc autem sciant, me in quotidianis & ardentibus precationibus, quas fundo pro veritate & gloria filij Dej, mire conspirare. Ab hoc vero Deo, cum me terrenis certo sciam singulari consilio, ego gratias toto pectore Domino Deo meo, per & propter filium Iesum Christum, Dominum & Mediatorem nostrum, quod hac me gloria coronat in hac vita, ut patiar aliquid pro veritate & gloria filij sui. Deinde oro eum toto pectore, ut in agnitae veritatis confessione me conservet & sustentet, confirmatum Spiritu sancto ne deficiat fides mea, ne languescat invocatio & confessio mea, ne debilitetur spes mea, ne succumbam aut concidam animo fractus tanta hostium veritatis & mea imbecillitate: ne quid faciam meae liberationis causa, quod Deum offendat, quod laedat conscientiam meam, quod sit scandalo ecclesiis, sed ut constanter in veritate agnita perseverem, & patienter vera animi subiectione & obedientia in cruce hac & afflictionibus meis Dominum tristissimam, & expectem donec veniat. Qui veniens veniet, veniens veniet, veniens veniet & non tardabit: sed in tempore opportuno. Neque interea deseret me: Dominus proteget me umbraculo alarum suarum: Sicut pupillam oculi sui custodiet me; custodiet omnia ossa mea, unum ex eis non conteretur. Dominus

nus eripiet me & glorificabit me: Longitudine dierum complebit me, & osten
det mihi salutare suum: propter gloriam filij tui Domini & Redemptoris
nostri Jesu Christi. Amen.

ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΕΙΣ. (recapitulation)

edit

Te unum solum, verum, vivum, sapientem, iustum, veracem, misericordem, aeter-
num, omnipotentem Deum, καρδιογνώστην, iudicem & vindicem, patefactum illustrib(us)
testimonijs Ecclesiae tuae, trib(us) distinctis personis in unitate essentiae divinae indivisa:
Te aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem coeli & terrae & hominum
& Ecclesiae, cum filio tuo coaeterno Domino nostro Iesu Christo & Spiritu Sancto: Te
filium Iesum Christum λόγον καὶ εἰκόνα ἀΐδιον τοῦ ἀϊδίου πατρὸς, μεσίτην
ἡμῶν καὶ ἱκέτην, verum Deum & verum hominem, Redemptorem generis humani:
Te Spiritum Sanctum paracletum: testem voco & facio innocentiae meae contra iniu-
stissimas & iniquissimas criminationes quibus sycophantice & insidiose opprimor
in confessione tuae veritatis patefacta per filium tuum, in doctrina Te & filium
tuum Iesum Christum verum Deum & verum hominem monstrante. Tu scis
Domine qui conscius es omnium meorum cogitationum, consiliorum, conatu-
um & actionum, quod conscientia mea convicta & confirmata evidentissimis
patefactionibus in verbo tuo, perpetuo consensu Ecclesiae orthodoxae & vivo atque effi-
caci testimonio Spiritus Sancti in meo corde, certo indubitatoque statuat & credat
hanc doctrinam de incarnatione filij tui Domini nostri Iesu Christi, deque unione
hypostatica duarum naturarum in una persona Christi; quae utrique tribuat suas
proprietates essentiales, naturis nec confusis inter se nec divulsis, nec unione
soluta: Et de vera praesentia filij Dei in Sacra Coena, ut in toto ministerio verbi

& sacr-
m

in usu instituto panis & vini sacrae communionis credentibus tantum, non ficta sed vera sui veri corporis & sanguinis, & insertionem corporum nostrorum in suum verum & vivum corpus, sicut palmitum in vitem, non physica tamen sed mystica & spirituali per Spirm S. qualem Deus instituit tradita promissione, & additis huic cum sigillis in ministerio verbi & sacramentorum, contra physicum ordinem omnium in natura:

Hanc ergo doctrinam, quod conscientia mea certo indubitatoque statuat & credat, firmam immotam & immutabilem veritatem esse; & gratia haec iam nunc sonuit, quod ex hac vera fide quae otiosa esse & latere non potest, sicut dicitur in psalmo Credidi propterea & locutus sum. Et Paulus inquit, Corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem:

Quod ergo sim eam professus & confessus, non consilio, studio, aut affectu, nec cogitatione aut cupiditate alia ulla quam vero & ardenti amore gloriae & veritatis tuae, & filij tui Domini nostri Iesu Christi quae petitur & oppugnatur, ac vero Zelo pro veritate tua, & odio non simulato horribilium blasphemiarum veterum iam olim condemnatarum sententia Ecclesiae tuae & iudicio tuo testimonio, quae renovantur contra filium tuum atroci furore: inveterata idolomania in antolatria missae pontificiae, profanationum tuae sacrae coenae teterrimarum apud nos & apud pontificios, in multiplici abusu, ac praecipue in opinione operis operati, denique praestigiatricis & blasphemae sophisticae, quae sycophantice, venenate, pestilenter, & cum sanctitate stabiliuntur & confirmantur blasphemiae, idola & profanationes sacrae coenae. Quod in hac confessione tuae veritatis non potentiam aut quorum opes,

non

non honores, non potentiam, non potentum gratiam aut favorem, neq. seditiose
aut factiose quicquam fecerim, sicut affingunt mihi & intentant Syrophoenice ini-
mici mei non erubuerunt, sed quod unum hoc spectarim & quaesiverim, ut
luceret lux veritatis tuae, & constaret suus honos & gloria sua filio tuo Domino
nostro Iesu Christo, ut te recte agnoscerent, invocarent & colerent in vera
agnitione & fiducia filij tui: Ut procul averterentur ab his terris blasphe-
miae quae eructantur in Dominum nostrum Iesum Christum, idola, prophana-
tiones sacrae Caenae. Tu scis quod fulmina atrocissimarum minarum tua-
rum denunciantium aeternos cruciatus omnibus abijcientibus aut occultantibus
confessionem veritatis, coegerint me interrogatum de mea confessione, & soceri mei
d. Philippi Melanthonis, cuius memoria sit in benedictione, non dissimulare
aut premere veritatem. Tu scis quod etsi plerumq. fecerim languidius, negli-
gentius, timidius quam debui, & cum innumeris lapsibus imbecillitatis humanae:
cor tamen fuisse rectum & simplex, & propositum mihi fuisse semper regulam
filij tui Domini mei Iesu Christi: Date Deo quae sunt Dei, & Caesari quae sunt
Caesaris. Item: Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Tu scis me vera
sincera & constanti fide coluisse & ornasse Principem meum Ducem Saxo-
niae Electorem Augustum, & scholis atq. Ecclesijs harum regionum, praesertim Aca-
demiae Witebergensi summa fide consuluisse, servijsse ac profuisse, impensa
etiam & interrupta vita mea. Imo me nostri principis in confessione & pro
paga-

pagatione Veritatis minus fortiter quam debuj, quod uero gemitu intimi pectoris mei deploro. Tu scis quod nulla in re unquam, sciens et volens laeserim aut offenderim principes meos, nec causam ullam praebuerim tam immanibus adversus me odijs & moliminibus aliam, quam quod te, fili Dei, & tuam sanctam amplexus & confessus Veritatem. Haec cum scias ita se habere, ô aeterne Deus, scrutator cordium, te supplex oro & obtestor per viscera misericordiae tuae, per & propter aeternum & unigenitum filium tuum, Dominum meum & mediatorem Jesum Christum, propter assiduam eius, ardentem & inextinguibilem pro me intercessionem, miserere tandem mei, & respice afflictionem meam, vindica gloriam, & nomen veritatem tuam, quae laborat, convellitur, obscuratur, oppugnatur: Eripe me ex manibus inimicorum meorum, & de persequentibus animam meam libera me: Educ pedes meos ex retibus & compedibus quos circumdederunt mihi inimici mej, Solve vinculum linguae meae, aperi os meum, & labra mea, & statue in loco spatioso pedes meos, ut confitear nomen tuum, & annunciem Veritatem tuam. Patefac obsecro, Domine, innocentiam meam, & quam ut confitear liberis meis, hoc ultimo testamento consignatam eis relinquam brevem narrationem eorum quae mihi acciderunt. Judicium & vindictam tibj Domine iuste iudex & vindex, & filio tuo Domino nostro Iesu Christo, cui tradidisti omne iudicium, commendans.

Initia horum malorum omnium extiterunt ab Apostolo Ubiquitatis, Iacobo Andrea Theologo Tubingensi, qui cum ea quae quaerebat suffragia blasphemo dogmati

dogmati Brentiano non reperiret in Academia nostra, incipiebat nos omnes
odisse, persequi, calumniari, haereticos proclamare, concitare in nos aulas & gyne-
caea Saxonica, & me in primis, quem contrariae sententiae, id est veritatis caput
ac ducem esse habebat nocere. Hic proficiebat ut assiduis literis e Saxonia incende-
rentur adversus nos principes. Multo ante praevidebam quorsum res
evasura esset, nec ignorabam monitis a Concionatore aulico Magistro Philippo
Wagnero etiam occupatos esse principum animos. Nec deerant qui hortabantur ut
cederem. Sed deserere stationem meam nolui, nec causam meo discessui dare
volui dissipationi Academiae & studijs & discentium ac docentium frequentia
celebri & florenti. Has nacti occasiones aemuli & inimici mei in aula
qui me iam dudum levibus calumnijs frustra oppugnaverant, Joannes Stesselius
& Doctor Vogelius, coeperunt totis in me viribus incumbere praesertim cum Do-
minam inflammatam Saxonicis concitationibus nihil nisi minas & exitia
huius doctrinae spirare, & nutantem principis animum et tandem expugnari, atque
in idem consilium & propositum impelli posse viderent. Neutrum sycophantarum
unquam ulla re offendi: Sed alter Stesselius, cui quem ex celebratis sycophantis au-
licorum anteferam in historijs reperio neminem, oderat me propter D. Cracovium,
a cuius me amicitia abducere cupiebat: Et verebatur cum favore illo quali-
cunque principis erga me, tum suspicione de me certa & falsa, quod si in ista
persisterem gratia, fortassis conservato Cracovio, quem extinctum cupiebat,

exclusurus

exclusurus ipsum essem à principe. Etsi enim non ignorabat, qd summo studio semper fugerim negocia à vocatione mea aliena, & quod minime omnium ambitiosis ipsorum contaminibus me admiscuerim: tantum tamen ex ambitione contra me multum nata suspicio poterat, ut in me invaderet toto impetu, quemque amicum veterem & innocentem, nec praegravare, calumniari, premere non desineret donec oppressisset. Id cum primo leviusculis calumnijs, de minuenda mea potentia & frangenda quoque modo autoritate tentasset, tandem edita Exegesi perfecit. Alter Vogelius, primi odij adversus me quas causas habuerit, ne nunc quidem scio. Graviter igr irritatis principibus editione Exegeses, hi me autorem libri faciunt, nunc offerri occasionem opportunissimam clamitant, huic dogmati penitus exstirpando, eam non admittendam esse vociferantur. Fit itaq. decretum, ministro sese praebente ad exequendum Doctore Laurentio Lindemanno, viro ambitione plane furenti; ut oppressis aliquot nobis ex improviso, & me inprimis, fiat inquisitio in privatas literas ad nos amicorum. Eas .n. suppeditaturas esse certa & indubitata argumenta accusationibus contra nos atrocissimis. Oportere .n. opprimendis nobis quaeri praetextus alios quam solam religionem, & plausibilius fore atque ad supplicia de nobis sumenda speciem iuris accommodatius, si multiplex culpa praetendatur ad vulgus: id est: si factiose, seditiose & per conspirationes moliti novationes in doctrina horum Calvinianum particulas arguamur. Consilium tale & conatum principis omnes summe approbantes & de feliciter pervestigata, pa-

tefacta

patefacta & compressa conspiratione illi gratulaturos esse pleno ore. Erat autem
tum eis inprimis tali praetextu admotus me opus, quem multo ante scribebant
in hac sententia fuisse, & huius me autorem habuisse socerum, & principem me
solitum esse appellare Archicalvinistam, neque his tamen obstantibus adhibuisse
testem baptismo filij Adolphi. Placet commentum quo speciosa hac ca
lumnia, ante instructa opprimor. Ego in aedibus meis Cal. April. anno MDLXXIV
obligor cautio, iubeor & Dresdae me sistere, & domi aperire omnia mea scrinia,
omnesque proferre literas quas haberem, latinas, graecas & germanicas. Obtempero,
tradoque quae noveram omnia, proficiscor Dresdam aeger admodum corpore, sum ex
recidiva sexta [illegible], & in itinere septimam facio. Venio Dresdam, du-
cor in custodiam, carceri ante conducto permittor excubiae ex satellitio principis
intradiu, noctuque. Peto supplex me accusari & audiri: testor Deum nihil
me unquam in principem deliquisse, nihil in has terras commisisse quo sim hoc
meritus. Et meae voluntatis optimae, honestissimorum & sanctissimorum
consiliorum, rectissime factorum testem mihi fore Deum ipsum, fore multa
millia honestissimorum hominum, non scholasticorum tantum, sed & aliorum
quibus nota sit & explorata vita mea. Nihil impetro. Nono die demum
inter quatuor satellites tanquam Latro producor ad iudicium, in quo consederant
consiliarij civiles decem. Ibi proponente Doctore Lindemanno accusor quod
per conspirationes & practicas Sacramentariorum dogma in has terras introduxerim,

quod

gravit Confirmavim Theologos, quod invitarim externos, quod pagellas de eo ipso sper-
serim. Iubeor respondere rogo ut proferant quibus haec probent. Nominatur
D. Cracovius & M. Christianus, quibuscum haec consilia agitarim. Adduci illos &
sisti in conspectum meum peto. Nihil me unquam per conspirationes & practicas fecisse,
nec invitasse quenquam affirmo, neque de his me quicquam unquam quaesiturum esse.
Pagellas meas, si quas habeant proferri peto: Meas me agniturum & defensu-
rum: aliena me non mihi vendicaturum. Iubeor secedere. Ascendit ad Prin-
cipem Electorem Lindemannus: Reverso eo revocor. Profertur epistola ad M.
Christianum scripta, cui haec verba inerant, Veritatem quam tot effluvia
sanguinis in Gallia & Belgico restinguere non potuissent, in his terris tri-
umphaturam esse. His verbis, inquit Lindemannus, offenditur Princeps.
Si inquit Veritatem, quae ab hostibus oppugnatur in Gallia & Belgio ferre
non potestis, discedat a nobis. Denique profertur formula sententiae ab-
solutoriae, quam si accipiam futurum ut dimittar. In ea iubeor maiore
quam antea atrocitate verborum agnoscere omnia, & fateri quod fecerim, & quod
maiora sim meritus, sed principem cetera condonasse deprecationi meae
& aliorum pro me intercessioni. Quod ergo ex morbo aeger essem animo
& corpore, provoco ad Iudices Consiliarios omnes, protestans de mea innocentia,
& obtestans per suam quemque conscientiam, ut quid faciant cogitent, Me in-
sontem esse affirmo. Id secundo repeto. Tacent omnes, oculos, vultumque demittunt.

Abducor

Obtestor iterum, ut cum me in tanta animi & corporis imbecillitate, & solum vi-
deant sine consilio esse, suo ipsi me consilio sublevarent. Tacent iterum. Insto ego
& urgeo. Conijciunt ergo caeteri oculos in Lindemannum, qui cum indignatione
abiecta ex manibus formula sententiae: Velim inquit vos fratres Sporles & quan-
tum obtinere potuerint cognovisse. Converti igr ad me Bernardinus & Can-
cellarius: Notum est tibi inquiunt principis ingenium: Cedas ei: Noverit
hoc tibi fraudi: Aliter non liberaberis. Repugno iterum, sed cum nihil
obtinerem, Si ergo aliter liberari non possum, inquio: provoco ad te Domine in
caelis iustum iudicem & vindicem, & te ut consideres oro quam iniuste mecum
agatur, & qualis mihi gratia pro meis referatur meritis. Cum his verbis
acceptam formulam describo & obsigno; quo me Deum graviter offendisse
agnosco, idque toto deploro pectore, & peccatum hoc meum deprecor vero gemitu
per & propter filium mediatorem Dominum meum Iesum Christum. Vicit
me imbecillitas mea, & falso ostensa mihi restitutio mei in locum profes-
sionis pristinae. Cogor & iuramento me obligare quod de hac controversia
nec loqui nec scribere velim, in quo gravius peccavi, etsi mihi notum quod
hoc iuramento libertatem confessionis eripi aut interdici certo scio, cum spon-
taneas tantum scriptiones & disputationes prohibeat, non petitas aut fla-
gitatas cum imperio & autoritate: Denique nullo me iuramento scio obli-
gari contra Deum & Dei mandata. Non intelligebam autem tunc

certe, quorsum haec tenderent, & quid agerentur: sed laetabar, cogitans in animo & solido gaudio in literis meis repertum nihil esse, quod ad me gravandum aliquo pacto detorqueri posset, & me absolutum esse. Nec illa certe prospiciebam quae occulte ad nos, praetextu calumnioso, crudeliter & contumeliose nostro chirographo iugulandos struebantur, etsi aliquid subodorarer, quod me non poterat non latere sollicitum. Cognoscit Deus conscientiam & innocentiam meam. Vix me dimisso & caeteris, adhibentur in consilium Pseudotheologi, crudeles hypocritae & sycophantae, homines indocti, Gresserus Dresdensis, Heidenrichius Torgensis, Eberhardus Misnensis, & cunctis his nequior Doctor Crellius Maioris gener, cui venalia sunt omnia, lingua, manus, calami, anima ipsa, qui pecuniae causa inflectere dogmata ad cuiusque cupiditates numquam veritus est. Domig. qui in hac causa contra conscientiam agit omnia, usitato suae praestigiatricis sophisticae praesidio. Hi dant aliud consilium, ut priora decreta retractentur & aboleantur: & conscribatur formula certorum articulorum ad quam accipiendam adigantur Theologi Witebergenses. Nos caeteri ex syngrapha nostra peragamur rei seditiosarum molitionum, & afficiamur supplicio capitis. Articulos scribit Crellius. Non itaque multo post indicitur conventus in urbem Torgensem ad diem XXIIII Maij, ut iudicium institueretur de capitibus nostris, ad quod diliguntur certi ex ordine equestri; & ex urbibus viri ad hanc rem qui putabantur maxime idonei, quos obsecu-

turos

turos esse affectib. principum pervulgatum erat. Pervulgatum fama, non obscuro nec vario, sed uno omnium sermone, qui natus in aula Marchiam vicinam inprimis pervagabatur, Electorem Saxoniae constituisse anniversaria Gottana celebrare Torgae, mutatione doctorum, & exquisitas iam esse sententias iuris consultorum de capitibus eorum qui essent rei peragendi, & delectos Theologos alios extra Academias conscripsisse capita certa de Sacra Coena, imperanda Ecclesiis harum terrarum, quae qui recusaturi essent, iis certos carceres aut supplicia similia parata fore. Non leviter augebant haec animum meum, sed spe certa auxilii praesidiique caelestis & protectionis divinae constituebam expectare eventum moderate, cum Dei invocatione & silentio. Advenit interea tempus dicti conventus: accusamur aliqui nominatim capitaliter de religione nova per practicas & conspirationes introducta: proferuntur chirographa confessionis nobis extorta, mihi quidem morbi tristitiae & carceris occasione. Adduntur literae, & inter alias meae ad M. Christianum aulae concionatorem, in quibus fuerunt haec praecipua, ut postea vidi, Quod commendaverim aulae Catechesin Witebergensem; Quod scripserim Theologos nostros prius discessuros ex Academia quam abiecturos esse corpus Domini: Quod eius me Ecclesiae curam non fastirum esse affectus sim, quod quivis doceat & sentiat illi dominus de Filio Dei, quam ex tota Antiquitate repetat liber Theologorum Witebergensium, qui inscribitur Grundfest. Quod veritatem oppressam in Gallia & Belgio speraverim iterum

salituram

phaturam esse in his terris; Quod contemptim Gittevum Theologum Dresdensem
& Selneccerum imperitos doctrinae, nec ullum articulum religionis nostrae in
telligere, multo minus defendere posse scripserim. Intercluduntur viae pub-
licae, ne quid literarum inferatur a nobis quod faciat ad excusationem nostra:
Sparguntur rumores ab iis qui actioni interfuerunt audacia scelerata, nos
grandi pecunia Palatinensi conductos propagare dogma Sacramentariorum, &
commovere has regiones ad bellum debuisse. Condemnamur atrocibus vulgi
sententijs tanquam proditores & seditiosi, qui attrahere bella principi excluso a
religiosa pace voluerimus, & turbare otium & tranquillitatem harum regio
num. Sunt multa ad exaggerandam atrocitatem praeter haec, quae tamen ad alios
pertineant omitto. Iubentur designati judices pronunciare de capitibus nostris:
pollicetur princeps prolixe, se fore executorem. Fertur sententia, ut qui a-
resto obligati sumus, hoc vinculo retineamur in statione nostra, & idem in
alteros statuitur. Graviter accipitur haec lenitas: nam capitalis sententia
expectabatur: sibi tamen se reservare princeps respondet, ut de nobis suo sta-
tuat arbitrio. Post hunc conventum pervulgatur & literis & fama passim
quanta sapientia & vigilantia principis pervestigata & detecta, quanta feli
itate repressa sit conspiratio quorundam qui Sacramentarium dogma invehere
clam & occulte sint conati, canuntur Epinicia, aguntur triumphi: nobis
miseris ne disserere quidem contra licebat, sed ad omnia mutire cogebamur,

tandemque vi omnium istorum quae iactabantur. Rumores autem praeterea caetera
in eo Conventu, pertinentia ad alios quam maximas turbas pepererunt. iis sopitis,
fit reditus ad initium. Vocor denuo mandato principis Torgam, contra priorem
sententiam utramque, Dresdensem et Torgensem, ad audiendam aliam a Consilia-
riis, qui significant mihi constitutum esse principi me ex Academia amovere,
et transferre alio: jubent ut locum exilio deligam. Snibergam ipsi indicant,
et ut deliberem permittunt. Sed post dies non ita multos mutantur
omnia. Revocor ad examen novum. Adiurat me Lindemannus per fidem
meam, per iusiurandum, conscientiam, et si quid amplius sit conscientia, ut li-
bere et ingenue confitear quid mihi constet de conspirationibus et practicis factis cum
Palatinensibus, cum D. Ebanio et Dn. Beza? Respondeo verum testem vocans
et tandemque consistens ante tribunal filii Dei, nullarum plane conspirationum,
aut practicarum conscium me esse mihi, neque de meipso, neque de aliis. Nec
me ad ipsum Illustriss. Electorem Palatinum nisi unam epistolam, vel ad
alios nisi familiares, ad Ebanium vero nullam, quod sciam, scripsisse.
Doctrinam vero quam sim professus et confessus, didicisse me a praeceptore socero
meo Philippo Melanthone, qui in ea moriens me confirmavit. De ea est
me testatum esse libris et voce, quoties fuerit opus: praesertim cum socero
mortuo de Palatinensi epistola interrogarer. Sed quid fit? Iam
primum examinatis serio de conspirationibus, de quibus tandemque exploratis

Convictum

conuictum me ijdem iudices ante Dresdae sine ulla mea culpa, & post alij Torgae
nunctis auditum condemnarant, & denuo insons plane repertus atque innocens, vel ipso-
rum iudicum testimonio, condemnor tamen ad poenam deportationis, cum vix multa
aliorum intercessione auersum esset, ne in teterrimum carcerem detruderer, quod initio
erat propositum. Suaserant autem sycophantae Theologi in locum ut relegarer
solitarium, remotum a frequenti aditu hominum, ne sit occasio mihi communicandi
aliquid cum exteris. Quo certior fit innocentia mea, tanto & in me in-
candescit furor indignationis vehementius, odiumque contra veritatem filij Dei, &
euomuntur principum in me irae magna consiliorum atrocitate acerbius. For-
mula obligationis habebat ut Rochlitij eadem libertate essem qua eram solitus Wi-
tebergae, sed insidijs illa libertas ita arctatur, ut viuendum mihi esset in perpe-
tuo velut carcere, ac nemini, imo ne quidem liberis meis, ut ad me liberi aditus
pateret: ac ut ne quidem tuto & libere mihi gemere liceret, ad usque tantas & tam
atroces iniurias. Tenduntur itaque mihi retia ab omni parte, & absconduntur laquei
supplantandis gressibus meis: Subornantur qui me & vniuersos ad me adeun-
tes obseruent, qui literas intercipiant, qui quid faciam quid contra leges promissi
mei delinquam explorent: quaeruntur & finguntur praetextus omni genere insi-
diarum & molitionum: pertentantur in Academiae ora, & peruestigantur vsij-
testimonia contra me: fit inquisitio in rationes Academiae, si quid inde arripi ac
depromi possit. Percrebuerat fama passim Garonum per Consiliarios & tormenta
de me

de me etiam interrogatum esse: denique nihil intermittitur quod facere ad me opprimendum & insultandum videretur. Deficientibus autem & evanescentibus veteribus commentis & praetextibus omnibus, nec suppetentibus novis, & mea indies magis magisque inclarescente innocentia & calumnias fortiter elidente, instruitur consul lepentis Hieronimus Rauscherus, decoctor infamis qui collegas & socios meorum aerumnarum & exilij communis Theologos quanta potuit severitate percunctetur: Quomodo vel incitarim, vel confirmarim eos, & quas eis de auxiliis praesidiis spes fecerim? quae arcana eis de meis consilijs aperuerim? Venit et ad me Rauscherus gloriatus se alias, se patrum grata mihi mandata allaturum, & patrum amice compellaturum esse: Ac tria proponit. Primum repetit antiquum de conspirationibus communium nostro artificio. Edicit mihi minaciter, ut enunciem aperte & libere quarum mihi practicarum conscius sim. Ego de quibus me suspectum habeant sciscitor. Nihil unquam me fecisse quod non optarim & cupiam omnibus notum esse: Nihil itaque me dissimulaturum, sed oportere me scire, quarumque me practicarum insimulent. Ille cum non sibi mandatum esse diceret, ut de ullis me specialiter interrogaret, subjicio: Quomodo ergo perurgere me potuit? Ac ista insidiosa & captiosa interrogationes quid sibi volunt? Sed ut me semel liberem ab istis violentis falsisque suspicionibus & criminationibus iniustis, cum videam vobis satisfieri nulla alia asseveratione posse, Te aeterne Deus, iuste iudex & vindex compello, te voco, te oro, si quam unquam in animum meum

admisi

admiti cogitationem de prælijs in hoc negocio, aut contra principem faciendis, ut hoc ipso momento me fulmine percussum ad ima tartara, neque unquam ante tuam me sinas faciem venire. Consternatus hac execratione, cui etiam mox alia subiecturus contra autores ipsos, Kruscherus interrumpit verba mea, & se acquiescere affirmat. Postea placide ac pene trepide mecum agit, scire cupit quid in mandatis & in aio meum habuisse consensum. Interrogat quibuscum ex consiliarijs, quibus cum theologis communicauerim de hoc dogmate? Respondeo nihil opus esse hac interrogatione: Non me solitum esse sponte mea de eo mouere aut disserere quicquam, sed interrogatum omnibus diserte explicasse sententiam meam quam non ex aliorum libris hauserim, sed didicerim in schola nostra, præceptore socero meo. Nec me temere assensum esse, sed euoluisse & inspexisse antiquitatem accurate: paratum me esse ad reddendam rationem fidei meæ, & ad docendum quæ in hac causa Luthero & Melanthoni inter se constent, si me, quod humile rogem, audiat princeps. At rogare me Deum, in hac agnita veritate ut me confirmet & conseruet: Neque ullum esse inter omnes vere & solide doctos in Germania, qui non sit eiusdem sententiæ. Cui cum subijceret, Principem non liberare me hac suspicione quod Theologos irritauerim & animauerim, Respondeo, debuisse me testimonium veritati ex immutabili mandato cœlesti; Qui me confessus fuerit, hunc confitebor: Qui me negauerit hunc negabo. Item: Et tu conuersus confirma fratres tuos: præ-

sertim

certum in hoc dubio & controverso articulo, qui nondum sit autoritate publica descriptus, & in quo Lutheri sententia sit altera pars contradictionis. Cumque iterum subijcerent, Illustrissimam Dominam quaeri, à nomine se ita deceptam esse sicut à me: respondeo, Oportere me Deo commendare quod dicat: sed scire Dominam quod saepe principi Electori ipsa confitente dixerim, quod etiam ad ipsius manus distincte de mea sententia perscripserim: Non posse me accusari hac in parte. Tandem cum X. mandata quod habebat obijceret, Quomodo dissidens à principe in hac religionis parte potuerim fidelis esse in ijs quae sunt vocationis meae? Respondeo subridens, Quasi si Deo probem fidem meam in ijs quae sunt Dei, & salutis aeternae, propterea perfidiae possim accusari erga principem. Ac si infidus sit principi, qui Deo fidus est? Quam existimet futuram de me opinionem principis, si quasi ludens cum Deo sententiam in religionibus mutem in horas ad occasiones quascunque, & ad affectus alterius. Multos esse & fuisse principum ministros qui toto coelo quod aiunt à Dominis in religione dissentientes suae vocationis officia & opera praestiterint fidelissime. Et dixi esse Doctorem Cratonem Medicum duorum Impp. Ferdinandi beatissimae memoriae & Maximiliani secundi. Tum ille: principes inquit sunt dissimiles. At ego: Dissimilitudo in similibus causis cur noceat ministris? Ille rursus: Haec non tam ad te inquit quam ad Consiliarios spectant quorum causa hoc institutum Examen, cum nec Consiliarij nec Theologi

nunq

munus habueris. Cuius subijciens: Cur me non multo ante Principes cum bona
gratia dimiserunt, quem certo sciverunt in hac sententia esse? Cur nunc in
me saeviunt praeter meum meritum tantopere? Sed oro Deum ita ut gubernet
animum principis Electoris, ne nimium faciat in causa ad gloriam & veritatem
filij Dei pertinente. Atque hoc modo eum dimitto. Discedebat autem a me ille
& longe aliter affectus quam accesserat, & ut videbatur placatior, quod alia acceperat
responsa quam expectarat. Contulit evidenter hoc cum Rauschero collegium
inimicos meos, & satis docuit quibus artibus oppugnarint me innocentem.
At mihi adeo non profuit, ut adempto eis illo praeclaro commentitiarum
conspirationum velo penitus, quo me tanquam seditiosum conficere & iugulare cru-
deliter & ignominiose certo statuerant, tantum irritarentur acrius, & ad
alia decurrerent. Post Rauscheri abitum .n. paucis diebus exactis sub-
ornatur explorator alius, Conrad. Crismontius Pastor lupa Rochlitij natus,
ut in omnia mea inquirat, & receptum etiam pertentet, verum quod dicere
in principem Electorem iurgiorum aut conviciorum posset. Ille miser ingres-
sus ad me ita expavescebat, ut prae consternatione vix hiscere auderet facundissimus
alioquin, & ut titubaret in ipso congressionis primo limine, nec propemodum
unde ordiretur reperiret. Cumque privatam quandam ad D. Christoph. Leischnerum
Medicum Crismontium tum lethaliter decumbentem pertinentia ad Chymistae in
medicinam, mox solita missione rursus abiret. Frustratis & hoc conatu

inimicis

inimicis meis, nihil sciverat praeter arcana Confessionis. Vix duarum igitur septimanarum spacio ab hoc Exploratore, elapso, mandata huc mittuntur ut inquiratur in meam privatam confessionem apud Sacerdotem: An vero enim eorum errorem meum in articulo contineo? an ad Coenam Domini accesserim? quid tum confessus? qua fuerit vita mea tempore toto deportationis meae? In his omnibus indicijs, cum nihil omnino requireretur, in quo accusari possem, verumtamen aliud secutum nihil est quam ut cresceret rabies, frementib. illis atq. indignantibus cuipiam sibi praetexis conspirationum vanam videri ac fundamentum, cum suo Consilione, neq. in sententia nova procumbere. Neq. alia inveniuntur rationes, et alia via ut quoquo modo opprimar, ne liberatus possim testificari de veritate Christi, contra ea quae agunt ipsi, et de mea innocentia. Interea venit ad principem Electorem Maximilianus Imperator Caesar. Post eius discessum fama pervulgatur pro me quod intercesserit, sed de responso non idem scribunt hominum sermones. Alij nihil obtentum esse: alij certiores et fide digniores id impetratum esse affirmabant quod promiserit, aliquem ad me studium et hac intercessione rediturum esse. Fidem Imperatoriam questo suo Iudicij Cratonis datum esse, cui quod opponeret Elector non habuisse, qui nollet se in suis terris Contentionum habere aiebant. Ad hoc vero quod facit quod me captivum aresto retinet? Si consentium quaerit, cur me non dimittet? Cur in me pertur meritum saevit? Praedicabat tum fama

alios

alijs etiam intercessores, qui ferebantur diserte haec inculcasse principi, cum me perse-
queretur, quam praescripsissent in hac forte sententia, & in ea confirmatum esse à
Sacro. Sed aliud nihil sequebatur ad haec omnia, quam novis rumoribus quod mone-
rer insidias ut caverem. Strui enim mihi maiores nunc multo insidias quam
antea, & quidem inevitabiles humanae diligentiae, quibus auditis, ardentioribus
me votis & precibus Deo commendare coepi. Paulo post emanabant ex aula
sermones alij, Brambachij iudicij & Figuli Dali enuntiationibus, vix fore
ut dimittar: itaque tantum optare me mortem debere. Nec aliud in votis esse
aulae, quam ut me sublatum è medio esse audiant. Accedebant sermones aliorum,
me propterea in hanc solitudinem detrusum esse, ut cum afflictissima sim
valetudine, destitutus necessarijs medicamentis ad subitos usus, cito deperiam.
Non moveor his sermonibus, sed cum Illustriss. Dominam felici partu Primi-
pem filium enixam esse comperissem, ne quid inexpertum relinquerem,
quod ordine & recte fieri in usum meae liberationis, salva & integra conscientia
possit, scribo ad principem utrumque supplices literas gratulatione intexta de
filio nuper nato; ostendo, Deo rursus in testem vocato, in utroque summa me
fide, cura & studio elaborasse, tum ut Deo tribuerem quae Dei sunt, tum ut satis
facerem omni observantissimae subiectionis genere Principibus ipsis: eam ob
causam curae mihi fuisse ut in articulo controverso de Coena Domini cognosce-
rem veritatem, quam cum multa ardentique invocatione Dei, ac studio acer-

rimo

rimo, dulce spiritu sancto, & magistro ac monitore Solero meo sim gestatus. Hu-
ius etiam illustrandae & propagandae causa scripsi me, quod per vocationem
meam gestum fuerit: metas egressus non sim. Nec quicquam aut spectatur
me aliud quam ut luceret in his terris lux veritatis. Proptera cum causa perti-
neat ad Dei gloriam, & salutem conscientiarum, sitque in articulo controverso: pe-
tam me nostra subiectione animi, ne me diutius retineant alligatum ad hunc
locum, sed dimittant me ut Deo serviam in honesta vocatione aliqua, ut opera
mea sit usui bonis ingenijs & honestis hominibus, Et ut coniugi ac liberis
meis paterna cura prospiciam. Si mea uti opera non velint, nec me tolerare
in his terris, ut faciant mihi potestatem alibi honestum genus vocationis quae-
rendi. His literis in aulam perlatis per coniugem meam, & unum ex gene-
ris doctorem Hieronymum Schallerum Domina suas acceperat & legerat, ac
mox Domino etiam legendas miserat: quibus perlectis offensus ille protinus
testimonio innocentiae meae contra calumnias, ac perseverantiae in confessione
veritatis, alteras ad se missas respuit, & remitti iussit eo, unde venerant.
Hunc habuit eventum gratulatio mea, & Delatoris acrius principum animis
a quibus me nunquam impetraturum esse liberationem, sermones domesticorum
perhibebant, duabus de causis, quia verebantur ne dimissus impediam testi-
monio de veritate meo quod agunt & moliuntur, & ne possem in lucem quoque
me artibus & insidijs oppugnarunt. Hanc tibi mercedem pro sanima
fide mea

fide mea, pro impensa principibus ipsis & his terris, proq. Academia Witebergensi vita mea, quae assiduitate maximorum laborum & ingentium curarum consumpta est in negocijs publicis. Sed nihil inter omnia gravius mihi accidit dictis his, quibus atrociter petitum est iugulum meum, nullo merito meo, calumnijs & mendacijs plane parricidialibus: Quod per conspirationes & practicas invehere ac disseminare nova dogmata conatus sim; quae fuit accusationis meae praecipua pars. Deinde: quod pecunia corruptus id fecerim, quod vulgi sermonibus iactatum est ex pseudo Theologorum commentis. Libere professus sum sententiam meam, nec clam egi quicquam, nec occultavi quicquam insidiose ad oes quotquot cognoscere ex me quod sentirem cupiverunt. Opes si spectassem, quas me numquam quaesivisse norunt omnes quibus vita mea explorata est, potuissem in tanta gratia, quanta valuj apud principem Electorem tam mihi meisq. cumulare & [illegible] institutionisq. rationibus domi sine ulla suspitione vel avariciae vel alterius criminis pro immensis laboribus meis, quos contuli Academiae, privatim amicis plurimis; nec fuisset mihi princeps denegaturus potenti quicquam. Sed nihil umquam mihi quaesivi, nec dignitatum maiorum, aut potentiae spe studioq. quicquam feci. Dignitates n. in his terris consequi maiores numquam potuissem, quam quantas iam obtinueram. Eas etsi augere non potuissem, conservare tamen potuissem si in abnegatione aut occultatione saltem meae sententiae gratiam principum veritati coelesti & gloriae

filij

filij Dei astrefere voluissem. Multo ante enim prospiciebam quae im-
penderet tempestas, & haec ipsa quod me praecipue adoritura esset atque obrutu-
ra, quia palam erat hoc genus doctrinae me amplexum firmiter, ac libere profiteri
& tueri, & noram quibus iam me aemuli calumnijs ac criminationibus prae-
terea praegravarant: quanta in me concitarant odia principum & aulae: Sed
pluris feci gloriam & veritatem filij Dei. Verum effugere tempestatem hanc
licuisset, nisi constituissem extrema omnia potius subeunda ac perferenda quam
desertione loci ac stationis meae prodendam sinceritatem, abijciendum patroci-
nium veritatis, Academiam dissipandam esse. Persisti igitur in ijsdem vestigijs,
& quanta potui animi praesentia atque constantia, tempestatem appulsam excepi
& sustinui, quae nisi divinitus servarer hactenus, totum me demersura &
absorptura fuisset. Ostendit enim haec narratio, quam mirandis modis inter
tantas insidias, & in tanta rabie, ac tam immanibus & implacabilibus odijs
inimicorum meorum adversus veritatem filij Dei, & me constantem hanc ve-
ritatem servatus sim, in quo nihil tam miror, quam tanti furores & tanta rabi-
es quibus sit cantis accensa contra veritatem filij Dei, & cur tantopere desae-
vierit in nos, ac calumnijs & criminationibus iam iniustis ac falsis suum ef-
fundere sese conata sit. Sed haec commendo filio Dei iusto iudici & vindici.
Quod vero tot modis petitus, tot insidijs circumventus, tot oppugnationibus
artibus ab omni parte non succubuerim, sed adhuc consistam, id uni & soli

triae

tuæ infinitæ & inexhaustæ misericordiæ me debere agnosco & fateor, ô clementissime
& benignissime pater, æterne pater Domini nostri Iesu Christi. Tu e media me
morte revocasti in vitam: Tu me eripuisti faucibus hostium meorum ne primo im-
petu oppressum me calumnijs crudeliter & ignominiose iugularent, ne deinceps in
me effunderent immania odia sua, ne lavarent manus suas in sanguine meo: Tu
me afflictum & pene confectum mœroris & mæstitiæ refecisti ac recreasti, viribus inge-
nij & corporis: & vivificasti me spiritu sancto tuo. Tu confudisti hostium meorum con-
silia, artificia, insidias & molitiones: & mirandis modis confutatis & revictis, osten-
disti innocentiam meam, & protexisti, servasti, eripuisti me hucusque non minori
miraculo quam Danielem in lacu leonum, viros Israëlitas in camino Babylonico, un-
diq. circumdatum tantis hostibus, & tantis insidijs. Tu quidem permisisti eis ut
me detrusum ex mea vocatione, & spoliatum omnibus ornamentis ac præsidijs
civilibus huius vitæ, exulemq. omni spe auxilij humani & literarum collocarent
in has tenebras tanquam vivum cadaver & mutum carnem, tamen non discedis à
me, non deseris me, non avertis à me misericordiam tuam, non aufers à me
spiritum sanctum tuum, non abscondis à me faciem tuam, non destituis me præ-
sidio ac patrocinio omnipotentis dextræ tuæ. Hæc tuæ inexhaustæ misericor-
diæ immensa beneficia toto pectore agnosco, & grato ore cordeq. prædico & prædi-
cabo in hac vita quoad vixero, multoq. magis & ardentius coram in illa æter-
nitate. Fateor me tua misericordia, tua dextra servatum esse & servari: tua
me misericordia esse quod sum: & minorem me esse cunctis miserationibus tuis.

Cum

Cum autem nulla omnino mihi supersit spes liberationis, nisi a te uno & solo Deo Deo meo, ad te unum confugio, fiducia tuae misericordiae, in uno & solo mediatore & Domino nostro Iesu Christo, teque supplex oro, miserere tandem mei & conversus ad me in misericordia tua exaudi tandem gemitus, eiulatus & planctus meos, suscipe vocem fletus & clamoris mei, illumina super me vultum tuum, unde mihi faciem tuam, confirma & conserva me in hac nova agnitione, invocatione & confessione tui & filii tui, Domini mei Iesu Christi, & veritatis tuae. Exurge in occursum meum, festina in auxilium meum, accelera ut eruas me, eripe me ex insidiis istis, & e compeditus atque carceribus his educ me, libera animam meam de persequentibus me & salva me, sed secundum beneplacitum tuum, propter te, propter nomen tuum, propter gloriam tuam, in testimonium veritatis tuae, ut liberatio mea sit testimonium veritatis, misericordiae, iustitiae & potentiae tuae, sit exemplo & solatio piis & vere sentientibus, Et ut liberatus & servatus ego testificer de veritate tua, & Ecclesiae tuae narrem admiranda opera tua in gubernatione protectione, conservatione, & liberatione mei quae plena est miraculorum, & tibi gratias agam, & ut opera tua ac testimonio meo illustretur veritas, multorum piorum pectora convertantur ad te & confirmentur in veritate tua, ac meum tibi gratias agant, te glorificent, tuam extollant ac celebrent misericordiam, iustitiam & potentiam. Ad extremum desertus ab omnibus hominibus & oppressus penitus pavore ad tribunal tuum Iesu Christi fili Dei, & te oro iudica me secundum iustitiam meam, patefac

fac & Vindica innocentiam meam, largire hoc adhuc mihi beneficium, ut exultem in misericordia tua, laeter gloria, id est gloriosa liberatione mei per omnipotentem dexteram tuam, & triumphem victor de confusis & convictis inimicis meis, per robur & fortitudinem tuam, in confessione Veritatis tuae, in innocentia mea: per & propter aeternum filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum & verum hominem, μεσίτην ἡμῶν καὶ ἱκέτην. Amen.

Mando etiam paterna autoritate liberis meis, ut huius admirandi operis divini quod omnes conspexerunt suis, in gubernatione & protectione mei gratis animis meminerint, ac tum abdonum celebrent in aeternum. Constitutum certo fuit hostibus filij Dei primitias in his terris Deo Maozim offerre, & litare victimis nostris, & fundere innocentem sanguinem, hoc commentitio schemate politico, calumnia scilicet internarum conspirationum, & qua essi mihi iniuria carceris & extremae meae imbecillitatis occasione quae tanta erat ut nescirem quid cogitarem aut dicerem, falsam contra meipsum confessionem extorserunt, tamen sciebant ij ipsi qui iudicum loco sedebant, me de oppressione mei violenta & calumniosa gravissime questum & protestatum esse, & provocasse ad iudicium dej. Hos decuisset veritatem fateri, & in iudicio publico cum assidebant denicque tergiversationem extorta hac sit ingenue proferre ac monere ipsos alios. Etsi itaq. nihil nisi violentum & carentium ... gestum erat: tamen cum nec iuris consulti nec ordines provinciae sustinere ad violentum genus procerum ... solam consiperant, &

et argumenta probationum deficerent, expleri tum cupiditas non potuit. Ita Deus mirandis modis hunc primum furoris impetum elisit. Postea magnis sumptibus inquisitum est in literas meas apud externos, in Academiam, in cunctas Academiae, in omnes meas privatas actiones. Cumque me multo ante insontem condemnassent, de nulla tamen culpa, ne quidem ullo argumento accusatum, nullo minus convictum, rursus quasi obliti sui & suorum consiliorum, ceperunt priora omnia, sua tamque iniusta arguentes facto ipso, a magistro tum adiurationibus flagitare confessionem de conspirationibus: primum specialiter inquirendo in Palatinenses; deinde ne ullum mihi effugium pateret, generaliter in omnes meas actiones: denuum pertentando Doctorem Cravovium, & Theologos ipsos, & insidias ab omni parte struendo, ac tandem de confessione mea privata apud Sacerdotem sciscitando. Haec omnia ad eum modum gubernavit, & ad eum finem direxit & provexit misericors Dominus, me plerumque multo ante de insidiis praemonito, ut cederent ad gloriam sui nominis, & ad testificationem de ipsius veritate, & ut mea indies magis magisque pateficeret ac demonstraretur innocentia: praeter spem & opinionem, contraque voluntatem meorum inimicorum, in iis quibus per calumniam eram oppressus, & ut occasio mihi subinde nova offerretur repetendi maiore constantia confessionem meam: Denique ut vanitas calumniae & commenti de conspirationibus & coniuratis politicis evidentissime patescerent, & in sycophanticis, sinoniis & Herodianis suis consiliis, artibus, insidiis & molitionibus ut confunderentur inimici mei.

T

Hoc tam admirandum opus Dei, plenum miraculorum, commendo liberis & poste-
ris meis, & mando eis paterna autoritate, ut memoriam eius & grata mente
recolant, & perpetua gratiarum actione erga Deum celebrent, & Deum discant timere
& soli ei confidere meo exemplo. Meminerint etiam quoties has a me au-
dierint voces, multo ante meam calamitatem: Non me in hac causa ullius
hominis confidere aut nisi societate, praesidio vel consilio, sed Dei solius miseri-
cordia: prospicere me tempestatem quae me sit feritura, sed non oppressura. De-
um enim me servaturum & liberaturum esse. Consolentur etiam se in his
meis miserijs, exemplis Christi, prophetarum & Apostolorum, qui similibus calum-
nijs, ut seditiosi oppressi sunt. Sciant & hoc liberi mei, me religiose, sancteque
servasse toto aresti mei tempore, quae iuramento [illegible] in ipso aresto promisi.
Quantum vero de ijs vicissim inimici mei praestiterint ad quod se mutuo obligarunt,
ipsi viderint, & iudicet Deus, ut qui me cum restituissent in locum & voca-
tionem meam, mox sine ulla causa rursus ex custodiam deportarunt, & cum quae-
dam libertate deportatum adeo insidijs circumdarunt, ut gestu mihi vix his-
care tuto liceret, subornatis qui omnes gressus meos, omnia verba, paene omnes halitus
oris mei observarent. Te ergo rursus oro, fili Dei, da testimonium doc-
trinae, vindica gloriam, & assere veritatem tuam, & in multitudine misericor-
diae ac potentiae tuae eripe nos propter te, & propter nomen tuum, propter
gloriam tuam, & propter testimonium veritatis tuae. Amen.

traduite en latin p. 165.

Dem durchleuchtigsten hochgebornen Fürsten und Herrn, Herrn Augusto: Churfürsten zu Sachsen &c.

Gottes genade durch seynen eingebornen Sohn Jesum Christum, vnsern warhafftigen Heylandt und seligmacher, sambt meynem andechtigen Gebet gegen Gott, und underthenigsten gehorsam gegen Ewer Churf. G. zuvorn. Durchlauchtigster, hochgeborner, gnedigster Churfürst und Herr, E. Churf. G. bitt Ich in aller unterthenigkeytt und zum demütigsten, Sie wollen dieses mein unterthenigste schreyben in genaden an und auffnehmen, und mir eyne trostliche, fröliche genedigste antwort widerfaren lassen. Von ersten danck Ich von gantzen hertzen dem Allmechtigen, Barmhertzigen, ewigen Gott, das er E. Churf. G. hochlobliche gemahl mit genaden und freuden entbunden, und mit eynem Jungen herren Ewre Churf. G. beyde gesegnet und erfrewet, diese lande aber begenadet hatt, und bitte hertzlich Gott wolle Ihnen mit seynem heiligen geist erleuchten, regiren und erhalten, dz er in Gottes erkentnuß und forcht, und in furstlichen hochloblichen tugenden E. Churf. G. zu freuden, disen landen zu trost und schutz, und zu gottlicher, seliger, fridlicher regirung erwachse und zunehme.

Zum andern, bitt Ich E Churf. G abermalls zum vnderthenigsten
vnd demuttigsten, E Churf. G wollen mich auß genaden, diser all-
gemeinen landfreuden auch teilhafftig werden lassen, vnd damit
Ich mit desto freudigerm hertzen Gott dancken könne, diser mey-
ner betrübten, beschwerlichen hafftt, darin Ich nu vil vber ain
Jhar angehalten wurde, genedigst entbinden vnd loß zehlen. Wie
Ich mich zuuorn offtmalls gegen E Churf. G habe erkleren las-
sen, also sag Ich noch, vnd wird mir sollichs aller Gott zeugnuß
geben, des Ich gewiß bin, das wie Ich mich zum hochsten be-
flissen vnnd bemuhet habe, in allem was mir zuthun gebuhrett,
so vill jmmer muglich, E Churf. G Ihren zulaisten vnd zu
beweysen, wie sollichs in meynen schrifften augenscheinlich vnd am
tage. Also hab Ich Gotte in allem was Gotte gehört seyne ehr
auch geben wöllen, vnd habe in disem streittigen vngeörterten arti-
kell, wie in andern vnsers christlichen glaubens der warheit durch
emsiger fleyssiger gebett vnd nachsuchen mit hulff des heyligen geists,
vnd meynes schwachen seligen anleittung nachgeforschet, vnd nach-
malls bey diser erkanten warheytt dz gethan, was meyner bewusts

gewissen

gewesen ist, auß dem Ich nicht geschritten bin, auch auff nichts
anders gesehen dann allein auff dieße lehre, die Ich fürtrag gehal
ten und noch halte. Darumb weyll es eyner gewissen sache, die
Gottes ehr und warheyt in eynem strittigen artikel belangt: bitt
Ich E. Churf. G. abermalls zum underthenigsten und umb Gottes
willen, sie wolle mich uber dann (?) das Ich in meynem gewissen nicht
anders berichtet, ferner nicht mit meyner eusersten beschwer
in dießer sachen (?) auffhalten, sondern mich mit gnaden erledigen,
in dem ubrigen meynes alten mühseligen lebens Gotte zu dienen,
zu seyner ehre und meyner selen seligkeit, frommen leuthen nutz
zu seyn mit dem das mir Gott verlihen, und meynen armen
verlassenen, betrübten weyb und kindern väterlich fürzustehen und
sie zu versorgen. So mich aber E. Churf. G. fur sich in
ihren landen, meyner meinung selbes (?) nicht brauchen noch dul
den wollen, so bitt Ich zum underthenigsten, und umb Gottes
willen, umb eynen gnedigsten abschied, damit Ich doch anderstwo
sollichs mit Gott und ehren thun konne, noch meynem kunst (?)
auß dem Ich zu streytten, durch Gottes hilff nicht gedenke, nicht

im

im wenigsten. Sollchs will Ich umb E Churf. G. da Ich
ander wege nicht vormag, für meynen armen und schwach
heit, doch mit meynem gebett gegen dem barmhertzigen Gott ver
dienen, und beffhell E Churf. G. hiemit Gott dem All
mechtigen. Gegeben Rochlitz den 23 Junij 1575.

E. Churf. G.

unterthenigster armer
gefangener

Caspar Peucerus D.

item idi

Copey des Schreybens an die Chur-fürstin zue Sachsen.

Gottes genade durch seynen eyngebornen Sohn, Jesum Christum, unsern warhafftigen heyland und seligmacher, sampt meynem andechtigen gebett kegen Gott, und unterthänigsten gehorsam gegen E. Churf. G. zuvoren. Durchlauchtigste, hochgeborne, genedigste Churfurstin: E. Churf. G. bitt Ich in aller unterthänigkeyt und zum demütigsten, die wollen dises mein unterthänigst schreyben in genaden an und auffnehmen, und mir eyne trostliche frolich, genedigste antwort wiederfahren lassen.

Von ersten danck Ich von hertzen dem Allmechtigen, barmhertzigen ewigen Gott, das Er Euer Churf. G. mit genaden und freüden entbunden, und mit eynem Jungen herren gesegnet hatt, disen landen zue trost und wolfarth, unnd bitte Gott hertzlich, Er wolle E. Churf. G. starken und erhalten, den Jungen herrn mit seynem heyligen geist erleüchten, regiren und füren, das Er in Gottes erkantnus und forcht, und in fürstlich[en] hochloblichen tugenden, E. Churf. G. zu freuden, disen landen zue schutz und schirm und zue gottlicher, selig friedlicher regirung erwachse und zuenehme.

Zum andern bitt Ich E Churf. G abermalls zum vnderthenigsten
vnd demütigsten, E Churf G wolle mich aus genaden diser all
gemeynen landstenden auch teilhafftig werden lassen, vnd damit Ich
mit desto freudigerm hertzen Gott dem hern dienen, meynem genedigsten
hern auch E Churf G furbatt dahin bewegen, mich mey-
ner bekumerten, beschwärlichen hafft, darin Ich nun wol über
ein Jhar angehalten werde, genedigst zuentbinden vnd los zu
zellen; dan wie es ihe Gott zeugnuss geben wirt, der Ich gewiss
bin, das so woll Ich aller was mir gegen meynem genedigsten
hern dem Churfursten gebüret, mit hochsten fleys vnd threuen
mich bemühet zuuorrichten: also auch hinwider hab Ich Gotte
in allem was Gotte gehoret, seyne ehre geben wollen, vnd in dem
strittigen artikel nichts dan die warheyt gesucht, auch bey der erkan-
ten warheyt nichts anders gethan noch gehandelt, dan was meyner
gewissen gewesen, vnd auch nichts anders geschehen dan was mir
gebüret. Darumb weyll es ein gewissen sache, die Gottes
ehre vnd warheyt in eynem strittigen artikel belangt, bitt Ich
E Churf. G zum vnderthenigsten, vnd vmb Gottes willen, die
wolle durch Ihre fur mich genedigste furbitt, meyner erle-

di

digung befördern, damit Ich d3 vbrige meyner standen mühsseli-
gen lebens Gott dienen möge zu seyner ehren, und meyner seli-
gen selikeyt, fromen leuthen nütze seyn mit dem d3 mir Gott
verlihen hat, vnd meynen armen betrübten verlassenen weyb und
kindern vaterlich fürstehen, und die versorgen. Da mich aber seyn
Churf. G. dieser meyner glaubens halben ihr für sich in Ihren
landen zu gebrauchen oder zu dulden nicht bedacht, die sachen
dahin zu richten gnedigst richten, d3 mir deyner Churf. G. durch
eynen gnedigsten abschied erlauben wolte anderswo mit Gott
vnd ehren meyner kräffte abzuwarten, dess Ich mich allezeyt
zu erhalten gedenk vnd soll. Solches will Ich vmb E.
Churf. G., da Ich ander weg nit vermag, doch mit meynem
gegen gott embsygen gebett verdienen, und befehl hiemit E.
Churf. G. dem barmhertzigen ewigen gott. Datum
Rochlitz 23 Junij

E. Churf. G.

vnterthenigster armer
gefangener.

Casp. Peucer D.

praesent. 29 Junij
Anneberg.

v

Migratio ex arce Rochlicensi in Cizensem: & Reditus ad eandem.

Edit.

In his tam diuturnis et varijs meis carceribus, nulla res alia tam mihi leniuerunt mestitiam solitudinis & metum perpetuarum insidiarum, quae mihi ipsis carceribus fuerunt graviores, quam euidentia & illustria testimonia praesentiae Dei apud me, cuius habui argumenta duo insignia. Primo, ex viuifica consolatione Spiritus sancti in corde meo, sensum nouae & viuae laetitiae, qua & inter perturbati animi varios atque aestuantes fluctus, tandem in Dei Veritate, misericordia ac Voluntate, fiducia filij mediatoris, Domini mei Iesu Christi: cum placida tranquillitate acquiescebam & efferebar atque exultabam alacrius inter precandum, tanto quidem viuacius motu, quanto ardentius orabam. Secundo, exempla admirandae protectionis, gubernationis, & liberationis diuinae: quod videbam me manifesto miraculo diuino initio ereptum esse saeuitiae hostium, ne impetu iniustae violentiae opprimerer, quod paulo post patefacta innocentia mea indicijs magis magisque detegeretur virulentia & vanitas calumniarum & mendaciorum, quibus actionem mihi ad crudele supplicium intentarant, vt puderet illos eorum quae fecerant, & ad mentionem & conspectum & praedicatorum ut erubescerent, suae conscientiae testimonijs reuicti & confusi. Denique quod diuinitus intelligebam depelli a me insidias sycophanticas, dissipari crudelia consilia, infringi conatus in me conatus hostium multis exemplis, quibus aliquoties cum nouas calumnias elisas, tum decreta de me in teriores carceres includendo impedita & reuocatas esse literas regnorum.

Haec cum ad cogitationem de causis mearum persecutionum, & de permissione di-
uina accederent, uehementer erigebant & confirmabant languidam & labantem
nonnunquam fidem meam. Cui quod his etiam efficacibus auxilijs succurrerit
propitius & misericors pater imbecillitati meae, gratias ago ei quantas maximas
possum ardentissimas toto pectore, agamque easdem ardentiores in tota aeternitate.
Etsi autem principibus ad Comitia Ratisponensia profectis spem conceperam op-
timam, futurum ut uel intercessione aliorum mitigati, uel alijs occupati cogita-
tionibus mitescerent, fefellit me tamen spes mea penitus. Reuersi enim paulo
post infestiora odia cum minis uehementioribus tum nouis & atrocioribus man-
datis declararunt. Cum enim in arcem Rochlicianam collocare filiam Il-
lustrissimi principis Ducis Saxoniae Mauritij Electoris constituissent, me inde
media hyeme, summo meo meaeque familiae cum incommodo transtulerunt in
arcem Licensem: praefecto eius loci & quaestori mandatis perscriptis seuerissimis,
ne ex aula in oppidum pedem mouerem, neue quidquam ad me peregrinum ad-
mitterent: quod vocabulum germanico idiomate ambiguum ita accipi poterat,
ut praeciderentur aditus ad me omnibus alijs praeter meos domesticos: atque hoc
modo ut penitus in carcerem includerer, exclususque ab omni consuetudine hominum.
Addita erat mandatis particula, ut Praefectus & Quaestor, non principis Electoris
nomine, sed tanquam ex sese significarent mihi, posse fieri principem Electorem
ut Chronicon meum perlexam. Vehementer perturbarunt me inexpec-
tata

tata ista ac minacia & prioribus contraria mandata. Sed quid facerem? Rogabam ut mitigationem intercessione sua aliquam mihi impetrarent, vel duabus saltem his in rebus: ne mihi eriperetur facultas adeundi templa publica sacrarum concionum & sacramentorum causa, & benefaciendi aliis opera medicationum, neve arceretur aditus a me, si qui de valetudine mea consultum me irent. Cruciabar me praeter meritum iterum alioquin inclementius tractari & carceri arctius claudi, nunc vero etiam exasperari omnia, cum antehac & mihi liberum fuerit non templa tantum sed & oppidum ingredi, etsi abstinuerim ab hominum consuetudine, & nemini ad me accessuro aditus fuerit interdictus, & diserte permissum mihi fuerit artem medicam exercere. De Chronico respondi, hoc rerum mearum statu & conditione mea, nihil posse me aggredi aut praestare. Quid scriberem enim fractus ingenii viribus & corporis, animo maesto & perturbato, in solitudine, inter perpetuas & circumstantes ab omni parte insidias per subornatos Coryphaeos? praesertim si negata mihi sit facultas & coram & per literas consulendi explorandique praestantium virorum iudicia de maximis rebus. Multa enim deessent mihi ad tantum opus necessaria, atque haec quidem maxime: ingenii vigorem qui periit, animi alacritatem quam extinxerunt cruciatus perpetui metus & carceris solitudo, vires corporis quae penitus sunt exhaustae morbis & maestitia, supellectilem librorum historicorum, quam transferre huc negarant. Nec scripsi futuram aliquam fidem vel autoritatem, si palam fiat in carcere a me esse confectum. Denique interdicto singulari ademptam mihi esse facultatem de

libro

Theologicis materijs tractandi, quas si attingere non debeam, cum sint prae-
cipua pars historiae nostrorum temporum, opus futurum esse mutilum, man-
cum & contemptum. Idcirco si me velint Commentari aliquid de nostri seculi rebus
gestis, ut me arresto & carcere solutum dimittant. Id si faciant, ea me com-
municatis, collatisq. sententijs cum pluribus alijs scripturum, quibus probem &
ipsis & alijs fidem & diligentiam meam. Retulerunt scripto hoc respon-
sum ad principes Praefectus & Quaestor. Sed id consecutum est, ut cum princeps
mulier Electoris Mauritij filia pertinacissime in arcem Rochlicensem migrare
recusaret, mutata priore sententia ego revocatus ex arce Licensi traderer rursus
in manus & potestatem Custodis prioris, iuberer q. Rochlicium mea cum familia
& supellectile regredi in priorem carcerem, sed novo mandato, in quo potestas
quidem mihi fiebat conciones sacras audiendi, caetera tamen sine ulla mitiga-
tione ita repetebantur, ut extra conciones sacras ab oppido prorsus, & ab omni
congressu cum peregrinis abstinere iuberer. Ita cum pridie Natalis Domini Anno
MDLXXV Rochlicio profectus essem Lizicum, summo cum discrimine, custodi-
bus haud dubie in eo itinere, & tertio servatus a Sanctis Angelis, inter extrema
tumefactorum ex liquefactis nivibus aquarum pericula, Calendis Martijs
anni sequentis non minore cum discrimine, nec obscurioribus providentiae divinae
& custodiae sanctorum Angelorum testimonijs citò Rochlicium ad pristinos, sed
inclementiores & duriores carceres sim revectus, animo perturbato admodum & tristi;

quod

quod quas Christus eorum insidias, quas pertulissem & falsis delationibus iniurias eo in loco meminissem. Miseram tamen ante migrationem Lipsensem literas ad principes supplices, quibus deprecabar hanc mutationem, neque in meas aedes collocari volebam, cum propter difficultates alias infinitas, tum etiam propter sumptuum magnitudinem, quos sustinere diutius non possem. Et paulo ante cum fato functus esset nuper natus principum filius, suadentibus, imo urgentibus amicis ad utrumque principem consolatoriam scripseram, quam lenituram esse illorum animos plurimi sperabant. Sed nihil profeceram. Causam tam implacabili odio adversus me, non amplius praetendi conspirationes & practicas cum Sacramentarijs initas, sed etiam doctrinae verae de filio Dei, vero Deo & homine, & de vera eius praesentia in sacra Coena postea indubitato cognovi. Nimirum quod in sententia principibus odiosa ac displicente pertinaciter ac proterve perseverem, idque non tam veritatis studio faciam quam ambitione, ne cessisse eis videar. Deinde quod professus ad Rauscherum Consulem Lipsensem fratrem nostrum, me principibus, si me audiant, evidentissime demonstraturum esse haec tria: Veritatem doctrinae ipsius Christi scriptis apostolicis & testimonijs purioris Ecclesiae, cum historia certaminum & mutationum quae inciderint in his articulis duobus per annos mille quingentos. Deinde veram historiam, causas, occasiones, circumstantias & motorum & renovatorum certaminum quae Luthero intercesserunt cum antagonistis: & quibus de causis Lutherus reprehendere potuerit citra iniu-

riam

rem existimationis & autoritatis suæ, me voluerunt: Tum ex grauibus de
caussis, & quando à Luthero Melanchthon dissentiit, & inter vtrumq. quæ in-
tercesserint. Nouæ exacerbationi vero & arctiori custodiæ prætexi has
caussas comperi, quod suspicio sit, me & literis & sermonibus queri ad exter-
nos de iniurijs quibus sim affectus, & patronos quærere atq intercessores sum-
mos ordines. Ne quid igitur tale fiat amplius, & ne quid mearum scri-
ptorum, aut de me emanet & spargatur prouidendum esse. Sed vnam ex
veterioribus coarctatæ custodiæ caussis coniecturam minime aberrante credidit fra-
tri meo aulæ Concionator Doctor Mirus: nimirum insidias mihi strui, &
cum non habeant quod vel specie aliqua prætexant seuitiæ in me ulterior-
patæ, ad homines, arripiant aliquam insidiose, si mandati seuerissimi limi-
tes vel leuissime excedam, aut violem. Idem principem accusantem me de
scriptis literis monuit ne propterea mihi irascatur. Neminem .n. reperiri
Castimum, qui non optet liber esse, & veniâ me maiore dignum esse si ho-
nesto modo per intercessiones summorum ordinum liberationem quæram. Fal-
so me tamen insimulari de querelis per literas intercessionibus sancte affirmo,
cum id non fecerim. Sed præcipui amici mei patrocinium mei sponte sus-
ceperunt in aula Cæsaris: atq. inter hos Vir Amplissimus Doctor Iohannes
Crato Caesareus Medicus, Sacratissimæ Cæs. Maiestati autor fuit exhibita sua,
ser, ut expeteret operam meam, & intercessione sua me liberatum iret

transferret

transferret in aulam, adductus cum memoria beatorum manium Soceri mei, quem
ut praeceptorem sancte ac reverenter coluit ac dilexit, tum amore mei, quem quamquam
inferiorem ipso aetate, ingenio, dignitate & alijs ornamentis, eximia tamen benevo-
lentia semper est complexus suo quodam iudicio. Etsi autem hac summi Mo-
narchae intercessione impetratum nihil est: utrique tamen, & Sacrae Cae. M[aiesta]ti de cle-
mentissimae erga me voluntatis illustrissima testificatione, & D Cratoni de honorifico
iudicij sui de me testimonio gratias me debere sempiternas profiteor. Accedebant
vero & aliae duae causae, non minoris momenti quam priores. Una ut me minis,
terroribus, diuturnis carceribus, moestitia, & solitudine carceris longa excrucia-
tum & fractum penitus, adigant eo, ut veritatis in dicta confessionem abijciam
tandem & abiurem, ac multorum aliorum exemplo deprecer culpam apud
principes nunquam admissam, promisso silentio, nimirum ut haberent, quod, me ta-
cere coacto, ostentent contra me & triumphent ad alios quasi victores de ca-
lumnijs & mendacijs quibus actionem capitalem mihi intenderunt, ne accusari
possint, quod sycophantice & violenter me oppresserint. Altera, quod me
extinctum cuperent: sed violentiam exercere aut adhibere, praetextu specioso
destituti verebantur, ne saevitiae iniustae iam ante conceptam in animis homi-
num suspicionem confirmarent. Itaque ad me iam ante confectum curis, moestitia,
& aerumnis exilij, cumque perpetua invaletudine conflictantem sine ipsorum
aliqua nota tollendum, unam hanc fore rationem accommodatissimam censebant,

Si

si arctato carcere & maestitiam mihi augerent, & auxilia externa oia prae-
ciderent, atq. hoc modo quemadmodum in meis sordibus me computrescentem
paulatim cum longa tabe consumerent. Si evaderem, metuebant me pate-
facturum esse cum consilia & artes eorum, tum iniurias, quibus me afflixe-
rant ingentibus. Id satis ostenderunt sermones quos habuerunt cum fra-
tre meo M. Gregorio Peucero Joannes Jenitius Secretarius, istorum consi-
liorum Architectus, & plures alij ex consiliarijs & ministris aulae.
Dederam fratri meo consolatorias lras, quas scripseram ad principem, per-
ferendas in aulam. Is profectus Annabergam, cum impetrasset a Secreta-
rio, ut se exhibiturum eas promitteret, post aliquot dies revocatus hoc
responsum accepit. Dedit ille primum ei legendam narrationem
scriptam de D. Stosselij tentationibus, qui quartana febri correptus, con-
flictatus cum diuturna maestitia, tandem incidit in desperationem, quod
admiserit pctm in Spm Sanctum, nimirum pctm blasphemiae, propt
quod sit reiectus a Deo, & condemnatus in aeternum. Sed quo genere
facti deliquerit, aliter non explicavit quam quod toto tempore sui maesti-
nec sacras conciones audiverit, nec usus sit Sacramento Caenae, ne crearet
periculum, vel sibi maius, vel pastori eius loci novum. Hoc exemplum
iussit Secretarius fratrem mihi inculcare: similes n. exitus omnium
qui hac sint opinione contaminati. Se mihi cupere optime: nec sese opera

sua

sua, neq. etiam defuturos alios liberationi meae, si abiecto errore redeam ad sanam
mentem, & cum principibus me coniungam in ea sententia, quam ipsi profitentur.
Id nisi faciam, frustra me petere aut sperare liberationem. Lutherum & Philippum
non caruisse iudicio, qui si erraverint, ut multos seduxerint & in exitium aeter-
num praecipitarint necesse esse. Constitutum itaq. esse principibus, dum in vivis &
in hoc fastigio sunt, nullum ex his qui aresto & carceribus detinentur, dimitte-
re si in hoc errore permaneant, nec quenquam alium infestum eodem, frenum ha-
bere aut tolerare. Pro D. Mollero plurimos intercessisse principes, Holsatios
praesertim, & Doctorem ipsum simulare morbum, sed nihil effectum esse hactenus.
Cur pergam tam pertinaciter adversando principibus anteferre. saltem opi-
nionem iacturae omnium rerum mearum, famae, dignitatis, fortunarum, liber-
tatis, valetudinis, quam fecerim sentimus, & sim facturus maiorem, nisi a propo-
sito desistam. Se optimo animo & consilio haec cum eo communicare, quae ta-
men publicari non velit. Sed nisi ut significet se nec perditurum, nec intere-
facturum. n. fratre dignum, si de meis periculis & quomodo ex his liberari
possim me moneat. A Secretario digressus frater meus incidit in
Medicum D. Brombachium, qui de me percunctatus, simulata mirifica
commiseratione mei, suadere se inquit ut mature meis rebus consulam, e-
mendatione concepti erroris. Id nisi faciam subiturum me graviora & atro-
ciora paulo post: peracto eo conventu qui celebretur in vicina arce Lich-
ten

tenberga, cuius decreta velit Elector Saxonicus acerrime exequi. Hec etiam restare viam ad ea pericula effugienda, nisi ut agnitum errorem revocem. Neq. id mihi fore dedecori aut detrimento, cum idem plurimi alij fecerint, atq. inter caeteros etiam Cancellarius. Nuper vero & Maiorem publicam scripsisse palinodiam, idq. testatum esse hoc in Catechesi carmine edito: quod cum dixisset, exemplum carminis ei porrexit, atq. ita eum dimisit. Reuersus Torgam frater, & de his rebus cum pluribus alijs amplissimi nominis collocutus, rogauit omnes consentire in idem, meq. rogari & hortari, ut citra moram omnem non tantum abjiciam errorem pristinum, sed quod in eodem casu alij etiam multi magni nominis in aula viri fecerint, supplex me abjiciam ad pedes principum, fatear me meo merito punitum esse, culpam etiamsi nullius delicti mihi conscius essem confitear, deprecer, meq. obligem iuramento quod oblivione perpetua obruere universa, & toto tempore vitae meae contra eos mali nihil moliri, ac ne cogitare quidem velim. Non aliter .n. me liberationem consecuturum esse, nisi omnia hoc modo faciam: Nec velle principes subtilitates ullas in suis scholis & Ecclesijs tolerare. Haec ita ad me frater optima fide, singulorum verbis annotatis perscripsit, ut vehementer me hortaretur & obtestaretur, simplici animo & studio, & mei innandi cupido, meam ut sententiam scripto comprehensam exhibere ad iudicia & aspectus principum componerem, citra tamen conscientiae meae offensionem.

offensam, & ad se ut mitterem, se mea causa facturum omnia: Sed maturato opus esse, ne seueritas principum me anteuertat. Narrationes has fratris mei cum legissem, etsi vehementer dolebam propter gloriam & veritatem filij Dei, principum animos indies magis magisq. efferari: mea tamen innocentiae testimonio laetabar, quod altissimo silentio praeteritis ijs calumnijs & mendacijs quibus eorumq insidiati erant vitae meae, machinationibus mirabilibus per annos duos integros, nihil reperirent aliud in me quod desiderarent, nisi hoc unum quod sentirem de Christi persona in duabus naturis, & de praesentia eius in sacra caena id, quod certo scio doctrinae sacrae testimonijs expresse traditum, fidei analogum, totius prioris antiquitatis, imo & scholasticorum confessione comprobatum, & innumerabilium martyrum sanguine obsignatum esse. Sed quales istae sunt actiones? An sunt unquam in eo caetu exauditae qui nomen Ecclesiae iactitat? Erroris me accusant, & ut eum reuocem flagitant, cum me audiuerint ne quidem unquam, multo minus conuicerint: Imo cum ne obtinere quidem potuerim ut audirer. Sed voluerunt ut exemplo Graecorum in Demetrij historia id pernicium sanctum & iustum esse, principibus quod placet. Ab his autem actionibus cum summum mihi videam impendere periculum: te iterum omnipotens, aeterne, verissime Deus, pater aeterne Domini nostri Iesu Christi, per & propter filium, Mediatorem & Dominum nostrum toto pectore oro, me ut illumines, doceas, gubernes, confirmes Spiritu Sancto tuo ne succumbam, confundar aut deficiam in confessione veritatis tuae, neue quid faciam

libera

liberationis meæ causa quod te offendat, aut sit scandalo Ecclesiæ tuæ, ne hostes ve-
ritatis tuæ exemplo mei lapsus aut defectionis à Veritate tua stabiliant & con-
firment suas blasphemias contra filium tuum, neve clament ac vociferentur, me
si incidam in tragicos casus aut pœnas tragicas propterea abiectum esse à fa-
cie tua, quia sono & veram esse affirmo ex ore & patefactione filij tui hanc
de eo veram doctrinam, quæ te docet recte agnoscere in vera filij tui, Domini
nostri Iesu Christi agnitione, & illustrat gloriam eius. Sed ut constanter per-
severem in veritate tua, & quidvis potius perpetiar ac perferam quam ab ea dis-
cedam. Tu nosti infirmitatem meam: Tu scis quod hoc non sit virium mearum:
Tu ergo suffice robur & vires: Tu rege, guberna, confirma me spiritu sancto,
ne deficiat fides mea, ne languescat invocatio aut confessio mea, ne debili-
tentur spes mea; ne succumbam animo fractus conspectu periculorum & contre
carceris, persecutionum, aut suppliciorum: ne mendacium veritati tuæ ma-
nifestæ, ne tuæ gratiæ & misericordiæ gratiam hominum, ne tuis mandatis
hominum mandata, ne æternæ saluti caduca & cito peritura huius vitæ bona
pene in ipso limine sepulchri iam constitutus anteferam. Testare obsecro de
Veritate tua, & vindica gloriam filij tui, propter te, noli blasphemiis.

De Cancellario multo ante audiveramus benigne eum dimissum esse ab
officio, & quinq. millibus aureorum insuper donatum, sed ita ne postea se
abdicat. Mirabar clementiam principis: esti dignum venia iudicabam propter

ætatem

ætatem in principum ministerio summa fide consumptam. Sed non prius clementiæ causam fuisse Paliuodiam cognomi[ne] qq ex D Brambachio eam resciuit frater, cui tamen silentium ea de re illi et aliis summa cum contentione iniunxit, ne vir bonus infamaretur. In reliquo consiliariorum numero, qui tum palinodiam fuisse famulum supplices, ut conservarent principum gratiam fuisse Abrahamum Bockium fama peruulgarat. Jonas autem a Zschesha constanter et grauiter se gessit. Maiorem poëtam transfugijs in castra hostium Ereboli exemplo et vanitate ac mendacijs insignem ac celebrem aureo nonalem habere fidem et animam nihil mirum est. De his igitur actionibus omnibus, ut de prioribus iudicium iterum commendo Deo iusto iudici et vindici, et alijs etiam in hac vita viris bonis, veritatis et iustitiæ amantibus omnium ordinum. Quomodo congruunt hæc enim ad priora? Actum breuiter est hoc totis viribus ut opprimeretur hac virulenta et violenta calumnia quod facta conspiratione cum externis et domesticis conatus sim dogma alienum a consensu harum Ecclesiarum occulte et clam inuehere. Quassati sunt prætextus modis omnibus, accusationi torquenti, et usurpata in me sæuitia sine aliquo specioso exsenda. In illis actionibus omnibus ostendi palam et constanter me eam sententiam socero meo præceptore primum amplexum, et in eadem ab eo confirmatum, et rationem eius me reddere quibuscunque sit opus paratum: Denique in ea me permansurum esse. Idque me non fecisse aut errore iudicij; aut impetu caeco, aut proteruitate, aut

aut curiositate, nec me perseverare in sententia, ego ullius commodi, aut
in ullius hominis gratiam. Nec mihi quicquam unquam de ulla factione facien-
da in mentem venisse, nec factionibus propagari divinam veritatem: Sed
me Deum timere, & ardenter invocare, & auxiliante spiritu sancto serio stu-
dio inquisivisse veritatem, & interrogatum de ea confessum esse eandem meo
loco & vocatione. Id non tantum in his actionibus ostendi, sed nullo unquam
tempore dissimulavi ad illos qui de loco mei aut mea me sententia per-
contati sunt. Et iniuriam mihi facit Illustrissima Domina, si, quod Kan-
schovius mihi obijciebat, me accusat, a me decepta quod sit, nisi decepti-
onem, ut deinceps intellexi hoc velit esse, quod ad aulam non pertulerim
fabellas. Talia enim expectasse a me, ut ab alijs existimatum. Nam
quod nihil unquam datis occasionibus de controversijs motis occultarim, ig-
norare non potest, sicut etiam Kanschovii obiectioni respondebam, si recor-
datur sermonum meorum ad ipsum principem Electorem quos repetivi
aliquoties ipsa attendente, Non me velle socium esse eius cultus qui sen-
tiat & doceat diversum ab ea doctrina quam nostri Theologi eo scripto
exposuerunt, cuius titulus est Grundfest: qua asseveratione id etiam
obtinebam ut princeps Elector totum librum uno quasi spiritu tridui
spacio perlegeret. Horum vero sermonum quod oblivisci non poti-
erit certus sum, quia eosdem aut similes repetivi in quadam ad ipsam
epistola.

epistola, in qua diserte & expresse de utroq. articulo in ipsius manus scripsi.
Primum de Christo vero Deo & home, quod nulla possit esse Ecclesia, ubi hoc
fundamentum non retinetur, cuius veritas ex sacra scriptura, & toto ortho
doxo consensu piae antiquitatis est demonstrata a Theologis nostris. Deinde
de praesentia Christi in sacra Coena, scripsi quod in Academia sonet ea
doctrina, quae sonuerit ibidem inde usq. ab eo tempore quo Lutherus cum
Helvetijs, inter actoribus Bucero & Capitone transegit. Huius epistolae
oblivisci non potuit. Ego vero me id vere affirmasse scio. Scimus enim
omnes ab eo tempore Philippum etsi Lutheri sententiam nec perstringebat
nec damnabat, ad alteram tamen quod inclinaret aperte ostendisse, &
explicationes ad illam suas omnes accommodasse. Praeterea cum haud
dubie meminerit, & quibus atrocibus literis Iacobus Andreas in me inflam-
marit & concitarit aulas Saxonicas, atq. inprimis Serenissimam Regi-
nam Daniae matrem laudatissimae memoriae, ut principes ad me aula &
schola ejiciendum impellerent, & de hac re quomodo cum ipsa Doctrina
amicorum instinctu questus sim, ac hoc responsum quod tulerim, ut haec
serio animo contemnam. Haec ergo cum haud dubie meminerit, cur
mihi tribuit a me quod decepta sit, nisi id fortasse desiderat quod Confes-
sionem meam non dederim descriptam principi Electori, ut in alijs plerumque
Controversis articulis antea. Sed fecerim interrogatus & iussus. Idem vero si in
hoc

hoc articulo feritem iniustus, tum demum accepta inde occasio fuisset Sperio..
sittima ad me iugulandum hoc praetexti, quod occultis subiectionibus hoc
molior, ut Electorem mea opinione infectum occupem. Neque erat meae voca..
tionis confessionis tempus antevertere, qui non ad docendum sed ad audiendum
in illa conductus eram: cum ut in alijs fremant, in hoc etiam articulo confessio..
nem meam non flagitarunt? Imo ut & hoc addam. Meminerunt principes
quibus me dicterijs ex sermonibus Marchionis Electoris & aliorum sugge..
larint, cum Marchionem iniquiorem mihi esse, aliós me alijs praegravare
suspicionibus ob doctrinam de Caena sacra obijcerent. Meminerunt etiam quae
responderim, Nimirum de Marchione, Non magnopere me curare quid ille
mihi libuat modo hoc non sentiam de Sacra Caena quod ille sentit. De Cete..
ris vero rogare me ut eos qui me praegravant sistant ad Colloquium, & iu..
beant eos venire instructos, me quoque paratum assore. Denique quomodo ignora..
re potuit, in qua fuerim sententia, cum toties audiuerit me ab ipso prin..
cipe & alijs proclamari Archicalvinistam, & cum me propter bonae causam op..
presserint. Similia plura cum inciderint, mirari satis non possum insi..
diosae occultationis quod me accusarit, multoque magis quod inter accusatio..
nis Torgensis capita haec tria tandem praecipua fuerint posituta, quod Scripserim
me eius Cultrae non circumsituarum quam a doctrina & Superio & Wittenbergae
Quod Catechesin Witebergensem laudauerim: quod affirmarim Theologos nos..

citius Academiam quam corpus doctrinae deserturos esse. Sed quamvendus fuit praetextus iniustae saevitiae. Ego vero multo iustius queri possem me deceptum esse qui confisus clementiae principum ob hoc ipsum, quod quamquam consciij meae sententiae, nihil aliena tamen a clementia, aut hostili adversus me prae se ferrent, mansi in Italia, me mea, etiam dehortantibus amicis, ac ne quid detrimenti meo discessu Academia caperet, cedere nolui; sed in quam operas omnes meas, fortunasque omnes impenderam, in eam & vitam impendere volui. Ac here certius citius venturum quam futurum credidissem, ut me talibus artificijs principes opprimerent. Accidit igitur mihi, quod vox divina statuit: Maledictus qui confidit in homine. Cum igitur actiones & conatus omnes huc usque direxerim eo, ut me turbulentae & seditiosae factionis praetextu sycophantice & violenter oppressum, vel palam, vel occulte, mactatum & solitudine carceris, vel alio modo iugulent: cur nunc exarmati omnibus telis alijs arripiunt velum ipsius doctrinae, de qua non tantum actionem mihi hactenus nullam intentarunt, sed nec cognoverunt, neque audire & cognoscere voluerunt confessionem meam? Id ergo quale sit, & quomodo cum antegressis congruat, & quam prae se ferat speciem, iudicandum commendo Deo & bonis viris omnibus. Sed & hoc quale sit mirari satis nequeo quod celebrari scriptis & testimonio suo cupiunt, quem ut seditiosum contra proclamarunt capitali accusatione attentum, non auditum, non admissum ad suri defensionem. Imo post accusationem & capitalem sententiam a tanto consessu regni sitam.

primum

primum interrogatum, Nam verum me fatear esse eorum, de quibus in suspiti-
onem veneram? Sed Deo sit laus, honor & gratia, qui patefecit & vindicavit
innocentiam meam consiliis inimicis meis. Experior autem in dies magis
magisque, deque ijsdem argumentis certioribus atque illustrioribus in dies magis
magisque confirmor odij tanti erga me & tam callide occultati usque ad opportunitates
opportunitates, causam aliam prorsus nullam, quam magnitudinem odij adversus veriorem
de filio Dei, vero Deo & homine, & de Cœna sacra sententiam. Id tam alte in-
sedit radicibus pertinaciter actis, ut mihi interitu uno non expiari, sed praeterea
nisi abnegatione veritatis non restingui possit, si reconciliari velim. Ad utrumque itaque
tentandum inita sunt hae rationes. Arctata est custodia, Arcta sunt insidiae,
tensa retia uni mihi non alijs, ut vel in sordibus meis computrescam si custodiae
leges servem, vel si violem errore aut ex necessitate aliqua, praebeam eis an-
sam in me saeviendi specioso praetextu: Vel si nihil horum faciam, ut diuturni-
tas carceris, maestitiae, solitudinis, metus insidiarum, & conspectus miseriarum
in liberis meis, fractum me adigant ad defectionem a veritate Christo Doctoris
Stosselij, quod proponi mihi voluerunt, nimirum ut hoc modo eripiant mihi
aut vitam & animam simul per abnegationem veritatis, praecipitato in despera-
tionem & exitium aeternum, aut facultatem edendi illustrem confessionem de ve-
ritate ipsa quam sustinuo persecutiones istas & testificandi de mea innocentia,
si in solitudine moriar ut Craconius & Stosselius. Sed vincet potentia tua

fili Dej

Fili Dei Iesu Christe in mea infirmitate, nec permittes hostibus meis, ut exultent lætitia, & glorientur de interitu meo, sicut de illorum lætati sunt: multo minus, ut suo exemplo defectionis meæ stabiliant ac confirment mendacia ac blasphemias suas contra te; Vel si opprimar tragicis casibus, aut si in carceribus & solitudine desinam sicut multi carnis, sine testificatione de veritate doctrinæ tuæ & de mea innocentia, ut tunc ergo clament ac vociferentur me propterea abiectum esse a Deo, quod verum esse affirmo hanc doctrinam, quæ asserit veritatem de te vero Deo & homine, deque vera tua præsentia in toto ministerio, sic in sacra cœna & vindicat atque illustrat gloriam tuam. Tuæ me ergo voluntati ac misericordiæ permitto, dedo, ac trado: Tuæ me potentiæ commendo totum. Tu adsis mihi præsidio spiritus tui sancti ne succumbam, deficiam, aut confundar in confessione huius: Tu eripe & libera me, propter te, propter nomen tuum, propter gloriam tuam, in testimonium evidens & illustre iudicij tui de veritate tua. Aliquanto post eadem generi ex fratre cognomentum confirmabantur, non minus certis aliorum sermonibus, & incidebant plura alia quæ ostendebant immanitatem odij in principibus adversus veriorem hanc sententiam de filio Dei & de cœna sacra, eique addictos indici magis magisque crescere atque exasperari. Nam iuvatte ferebant tum palam odium hostile atque sempiternum tum doctrinæ ipsi, tum toto literato ordini, quod testatum faciebant, doctis omnibus in Academia hac terrarum urbe Lipsica senatu motis, omnique dignitate spoliatis: Nobis vero captivis con-

cres

eres perpetuos, Et miserijs nostris ac gemitibus, & lacrymis nostrorum adeo non afficiebantur, ut supplicibus libellis tantum magis irritarentur. Neq. obscurum erat exacerbari eos subiectionibus & incitationibus assiduis crudelium Sycophantarum & hypocritarum, Cressij, Selnecerij & similium. Sed nusquam id euidentius conspectum est, quam in congressu decem Theologorum, mandato principum habito hoc anno: sexto supra LXX^{mum}: XIIII die februarij in arce Lichtenbergensi, quatuor supra Witebergam miliaribus, cui occasionem & causam praebuit Doctor Crellius, singulari haud dubie iudicio Dei, ut ingenij peruersi scelerata leuitas toti mundo patefieret & vindicaretur. Is Witebergae antiquâ consuetudine, Natalitijs Domini nostri Iesu Christi scripto publice proposito exposuerat orthodoxam Ecclesiae sententiam de Unione hypostatica duarum naturarum in Christo: quâ offensus Selneccerus, re delata ad principes, perficit ut vocaretur ad dicendam sententiam. Vocatur ergo ad Consiliarios, et obiurgatur duriter. Sed non satis hoc visum est ex principibus & Selneccero: Cumq. eius doctrinae fontes monstrentur in scriptis Philippicis, placet ut Lichtenbergam conuocentur Theologi certi, quos alienos esse à veriore sententia constabat. His datur mandatum ut Crellium refutatum cogerent ad palinodiam, & autoritate omni scriptis Philippicis detracta aliud & nouum doctrinae corpus constituant, quod sit norma deinceps Veritatis. Exponitur ijsdem quid consilij habeat Elector de conuocandis Magdeburgum praecipuis Confessionis Augustanae

tanae principibus, quibus cum iniatur certa concordiae ratio, in eam doctrinae normam, & in certa capita controversorum articulorum, de consensu tamen plurium theologorum. Crellius ergo sistitur his iudicibus, tractatur inclementissime, obmutescit penitus, amplectitur praescriptam palinodiae formulam, abnegat veritatem. Dominum universus publico scripto revocat, amittit omnem gratiam principum, quam insectatione veritatis & oppressione nostri ante consecutus fuerat, imo in tantum adducitur odium, ut mentio nominis eius tolerari amplius nequiret. Caeteri decretum faciunt, uno tantum resistente, autoritatem scriptis Philippi eam quam hactenus habuerint adimendam esse. Pro norma verae doctrinae habenda haec scripta, Confessionem Augustanam, Apologiam, Smalcaldicos articulos, utramq. Confessionem Lutheri, & eiusdem Commentarium in epistolam ad Galathas, Torgenses articulos. Liber theologorum Witebergensium cui titulus Grundfest repudiatur: fit decretum ut remittatur ad autores: Elector ut rogetur ne ad quaslibet intercessiones Theologos captivos dimittat: Quod tamen ut in decreti formula ~~obtinere~~ indileretur vix aegre obtinuit is qui restitit caeteris. Probatur consilium Electoris de cogendis ad synodum principibus: qui si attenderentur, salutarem tandem illam optatam dudum quaesitamque concordiam. Hoc Theologorum decretum cum principibus renunciatum esset, varia agitantur consilia de Academia Witebergensi penitus abolenda, & reliquiis Lipsiam transferendis, quia non desinat consensum quem Elector quaerat, coniunctionemque cum vicinis Ecclesiis impedire ac perturbare.

Ad

Ad eum constituendum quasi viam iam straverat Selneccerus, editis duobus atrocibus scriptis, in quibus praeterita omni mentione Melanthonis, solos praecones ubiquitatis & eorum scripta complectitur & extollit; Orthodoxa contumeliose & acerbe reijcit. Ex his ergo iam luce meridiana clarius elucescebat quousq. odij in principibus rabies progressa erat, Saulis spiritui & historiae simillima. Nec ita multo post. XIX^{na} Martij decesserat Doctor Stosselius, repertus in lecto mortuus mane, cum morienti nemo assisteret. Conflictatus is horribilibus cum tentationibus propterea quod contra conscientiam Torgenses articulos manu comprobasset sua, redijsse tamen ad sese & in vera poenitentia expirasse constanter ferebatur.

Haec ergo cum interea evenissent, etsi minime dubitabam vera esse omnia quae ex fratre & alijs didiceram: tamen ut certius explorarem quae ad me pertinebant, mittebam cum mandatis filium meum ad Silentiarium Levitinum quamquam mihi inimicum, meo enim nomine, ut de ijsdem quae fratri indicarat percontaretur. Ex quo cum audivissem eadem, nimirum nullam spem fore liberationis, nisi discedam à sententia mea: quamquam non gravatim si quid etiam ad principes restaret consilium penitus sibi decrevi, meq. & hos meos carceres Deo uni & soli commendare, qui si volet poterit me liberare citra humana auxilia. Sin autem mori me in ijsdem volet, non potero maiore precio vendere hanc vitam meam quam si impendam eam pro veritate & gloria Domini & Salvatoris mei Iesu Christi, cuius praesentiam apud me conspicatus sum oculis propemodum

toto hoc

toto hoc tempore exilij & carceris mej, in horas & in momenta ab omni parte, nec de-
futuram mihi esse deinceps certo scio & confido. Si per humana me media servare
Deus voluisset, optimi & clementissimi Imperatoris intercessione me liberasset. Sed
agnosco & praedico gratissima mente, me praeter omnem spem & opinionem meam & alio-
rum, & citra omnia praesidia & auxilia humana in hac corporis & virium mearum
imbecillitate hactenus ab uno & solo Domino Deo meo servatum, gubernatum & liberatum
esse, cui sit laus & gratia sempiterna. Amen. Vix reverso filio sequebantur
tum responsa alia, atrociora per fratrem a Consiliarijs, nisi maturè aut discedam à
sententia, aut scripta confessione affectibus principum satisfaciam, & simul fiam
supplex, paulo post redundatura in me esse graviora opinione mea. Addebant
minae, difficile mihi fore demonstrare Socerum in hac sententia fuisse, & graviter
offensos esse principes, quod testem me vocasset digantus. Proponebatur exem-
plum scripti Zanchianj, & ostendebatur spes occultationis si depraecatum cum
extenuatione facti, cum non velim cedere & gratificari tantillum principibus.
ut hoc modo pellicerent me in nassam. Quod ergo intelligerem manifestis quasi
insidiare ex mea confessione & depraecatione, cum praetextus innocentiae meae
obruenda, tum occasiones opprimendae veritatis Christi atque opera mea, imo ad
mortuum socerum meum falso testimonio meo in sepulchro confodiendum, &
id agi, ut inurat labes sempiterna infamia nomini meo cum insanabili
vulnere conscientiae & atroci scandalo Ecclesiae, memor priorum actionum,
insidiarum, & violentiae, decrevi penitus silere, & in spe ac silentio Christi,
pertinere

pectare & sustinere Deum. Fratri autem meo praecipiens, ne quid amplius mea
causa laboret aut tentet ostendi quod illa nullius momenti sint, quoquo modo sub-
iectione aliquorum persuadere mihi conabatur sententiae mutationem, & apud
principes deprecationem. Inculcabat is mihi iterum errorem dogmatis, quem ig-
natum antea & his scholis & Ecclesijs invexerint pauci, subtilitatem magis quam
veritatem sequuti: Principum decreta, quibus constitutum sit neminem hoc in-
festum dogmate tolerare; Exempla aliorum qui redierint in viam: spem recu-
perationis amissorum omnium, & restitutionis in locum ac statum pristinum,
promissum occultationis si nuolem, saltem ad exemplum conciliationis Zanchianae,
ac deprecer, simulque ostendam displicere mihi quae de Philippo Wigandus
in vulgus edidit, ne dissidia augeantur: quod alterum mihi ac probare
Philippum eius sententiae fuisse, meque paulo ante obitum de ea confirmasse
sit futurum difficile. Reprehendebat obstinatiam intempestivam, quae
nocitura mihi, meisque, ac coniugi inprimis ac liberis: fore magis e re mea
ac meorum, si in re non magna obsequar principum cupiditatibus. Ad
haec ergo in hanc sententiam respondebam paucis, ut me affirmarem nec
conscium esse ullius erroris, nec de ullo unquam convictum esse, sed demonstra-
turum me esse, si impetrem ut audiar, sententiam in qua sim de utroque
controverso articulo, & orthodoxae Ecclesiae sententiam fuisse omni tempore &
analogam esse fidei ac doctrinae Sacramentorum, & immotam atque aeternam dei

veritatem

Veritatem esse, & sensisse in Academia, socero Magistro ac præceptore inde usque à tempore initæ à Luthero cum Helvetijs concordiæ, etsi paulatim magis magisque sit illustrata. Neque à paucis esse vel excogitatam vel sparsam, sed probari eam consensu maximæ partis Ecclesiarum recte sentientium, quæ à Romana discesserunt. Hanc itaque me non esse abiecturum. Nec videre me quis sit inde fructus rediturus ad principes, si, abnegata veritate contra conscientiam, iugulem me, damnem Socerum in sepulchro, excitem horribile scandalum in Ecclesia, sauciem conscientiam meam, insanabili vulnere: ex quo tandem desertus à Deo ruam in desperationem, & exitium æternum. denique si præcidam mihi ipsi accessum ad thronum gratiæ Dei in quotidiana precatione, ne obstante vulnere conscientiæ possim attollere cor ad Deum, oculos, & linguam, & deprecari culpam tanti peccati. Ex mea enim defectione nihil autoritatis, nihil præsidij principum religioni accessurum, sed sanos ac sapientes detestaturos fore potius & principes & me: illos quod me coëgerint discedere à veritate, Me quod metu periculorum aut spe gratiæ, impia levitate sim obsecutus. Si ferre nolint neminem, obsecrare me propter Deum, ut solutum me aresti nexu & carceris septis eijciant ex his terris, cum hac nota quod propter hoc dogma me expulerint. Exemplis aliorum me non moveri: Et quamquam recordatio pristini status mei, honorum, dignitatum, commodorum; ac contra præsentium miseriarum, ærumnarum, periculorum, paupertatis, maiorumque ac deteriorum metus non

leviter

leniter me exerceant & crucient, multoq. magis conspectus coniugis ac libe-
rorum: praevisa haec mihi tamen ac praemeditata esse omnia: Nec me velle
aeternae salutis iacturam anteferre fragilibus ac caducis bonis huius vitae, nec libe-
ris meis relinquere patrimonium defectionis a Deo, dirasq. execrationum in
nomen meum, & impiae famae ex defectione ab agnita veritate. Non du-
bitare me coniugem & liberos Deo curae fore, qui semetipsum sua voce ac pro-
missione constituerit ac professus sit patrem orphanorum. Cupere me tu scire,
quod ita moniti simus de principibus & dictis tuis Lotari & tuo, ut velint
nos ad egestatem & angustias redigere extremas. In reliquis, ut in men-
tione Zanchianae conciliationis, deprecatione, promisso occultationis & Wi-
gandiani scripti mentione, agnoscere me insidias, quae mihi struantur. Si iudi-
cent certamen totum tantum esse λογομαχίαν, cur me igitur qui privatus sim,
& minus doctorum haec, tam acerbe & crudeliter persequantur? Cur tanta
atrocitate condemnent alios? Occultationis blando nomine me non ca-
pi: Viri Christiani & Deum timentis esse, & statuere Deum καρδιογνώστην
conscium esse omnium, iudicemq. & vindicem fore: & ideo occultationis non
procurare, sed ita vitam & actiones instituere suas, ut qui in conspectu Dei
conspectum consistat, & αὐτόπτας habeat sanctos Angelos, omniumq. piorum
ac honestorum hominum oculos, existimet in se conversos esse. Nec
debere me mihi deprecando attrahere, vel suspicionem culpae, quam potius vaco,

aut

aut confirmare qua accusatione iniusta, et sparsis in vulgus rumoribus falso et sycophantice fuerunt mihi intentata. Alte infixam esse animo meo memoriam priorum actionum et iniuriarum, quando me ex inopinato oppressum carceri incluserunt, libris spoliatum amicorum, ut accusationem inde delegerent. Cumque praetextus nullus reperiretur, et per satellitii illustris praefectum significaretur mihi in carcere ex ore electoris, ne sim sollicitus, causam meam meliorem esse opinione mea, et pariter principem cepi: tamen contra ius et aequum extorserunt mihi quamquam plurimum repugnanti et de iniuria protestanti, et provocanti ad iudicium Dei syngrapham qua si nullam liberari fateor practicis atque conspirationibus, quibus in promovendo novo et peregrino dogmate usus sim, maiora me meritum esse, sed deprecationi meae condonata esse omnia, qua tamen nulla unquam eram usus, nec culpam unquam agnoveram, sed a me constanter depuleram, nimirum ut haberent quod ostentarent, si de iniuriis tantis vel ego quererer vel fama percrebesceret. Denique quando his iniuriis non contenti, ex syngrapha quam perscripserant mihi, et ad quam describendam me adegerant, actionem capitalem mihi intenderunt absenti, solo falso crimine inde accuisito sed condenatione falsa, qua mihi innocenti nulla opus erat, abolita, et nulla mea culpa me condemnarunt ad poenam deportationis, bienniique amplius aliis adhuc longe atrocioribus iniuriis priores cumularunt. Harum actionum memoriam obversari perpetuo animo meo: His me trahi ne iterum experiar, quod summo vitae, famae, et conscientiae meae cum discrimine, semel sum

per

perstrinctus. Quid dixissent me falsuros esse, si nunc deprecer, innocentia
mea patefacta & demonstrata tot testimonijs illustribus, & falsis ac sycophan-
ticis commentis ipsorum elisis, cum antea non deprecantem rerum fama & cru-
deliter atque ignominiose insontem iugulare conati sint. Wigandi in-
ani scripti mentionem hoc agi insidiose, ut si me implicent, cogant deinceps
vel invitum pro mendaci & sycophantico Crellij scripto contra Wigandum di-
micare: Me vero Wigando gratias agere de utroque, et quod vere scrip-
serit dissensisse Philippum à Luthero in causa sacrae Coenae, et quod sycophan-
ticum atque improbum Crellij mendacium redarguerit: praestigijs paucorum hoc dog-
ma in Academiam Witebergensem introductum esse. Certe esse enim utrumque,
& dissensisse à Luthero Philippum, maximis & gravissimis de causis, paucis
annis post conventum Marpurgensem, cum Dialogus Oecolampadij respexisset
totam antiquitatem evoluisset, & pervestigasset accuratissime, & Luthero tamen
maximis nervis de causis se non opposuisse, verum horridiores eius sententi-
as, ut in alijs paulatim moderari cepisse. Atque deploratum mihi esse Luthero
& Philippo vivo utrique, quae hac in parte intercesserint. Nec me aliud, Deo ad-
iuvante esse dicturum quoad vixero, loqui quae sint mihi probe comperta & perspec-
ta. Non autem hoc controverti, utrum idem vel diversum senserint
Lutherus & Philippus: Id enim diversum esse, luce meridiana clarius esse,
recte asserere Wigandum: Sed uter recte senserit? De veritate sententiae
utriusque

utrinq. quaestionem esse & controversiam. Pancorum autem practicis quod sit dogma recens inventum, calumniam esse sycophanticis excogitatam, ut sit velum usurpata crudelitatis non minus ipsa meridiana luce manifestum esse. Insidias ergo cum haec graves & periculosas non obscure prae se ferant, ne me huc invehitum denicips impellant, & adigant ad alia atrociora, Velle me patienter ferendo vel praesentes aerumnas, vel graviores alias, si ita Deo placeat, expectare & sustinere Dominum certa cum fiducia praesentia ipsius apud me, & spe auxilij ac liberationis, si ita ipsi videatur, cui me meosq. commendem precibus & gemitibus assiduis. Haec iubebam fratrem, si sit occasio, renunciare ijs, a quibus sua mandata sua responsa sua acceperat. Si tamen impetret, ut cum integra & libera mihi conscientia, concedatur reditus ad meos, & fiat mihi potestas serviendi Deo, & ijs qui expetunt operam meam anxie & sollicite, gratissimum hoc mihi futurum esse. Non me improditurum esse, nec posse me quidem impedire quae ipsi faciant. Nec esse causam cur a me principes quicquam metuant. Nihil me contra ipsos moliturum esse, sed contentum fore sorte & vocatione mea. Comperisse me multo ante molestiae principes famam qualemcunq. nominis mei: & amicitias quas mihi Dei beneficio cum multis praestantibus viris intercedebant, ideoq. metui a me progrinos, de quibus omnibus ante res motas cogitare debuissent. Sed non me prohibere posse sui minarum sui moriar, quo

quo minus illi liberè iudicent de omnibus quae in me & alios suscepta & statuta fuerunt: Et haud dubie me mortuo liberiora fore iudicia & huius aetatis & posteritatis. Ac mihi quidem minimae curae esse, ut quemque in principes concitem, sed Deo me permittere ac commendare iudicium ac vindictam; ipsasque deficientes attritas, senecta, aerumnis, persecutionibus, insidijs vires ingenij & corporis mei decere me in momento, ut non vivere sed bene beateque & cum Christo ut mori mediter, quo in conatu me ut adiuvet filius Dei, per spiritus sancti, toto precor pectore. Amen.

Res. Q 12° 806

traduite en latin p. 168.

Doctor Peucerus

rumore quodam edoctus Carcerem sibi parari tunc pro sui defensione de falsò sibi impositis responsionem formauit

¶ Alß ein geschrey außkommen, wie Doctor Caspar Peucer von Rochlitz in hefftiger gefängnuß solt genommen werden: sed falsò: hatt er sich gleich wohl auff diese antwort vnnd supplication geschickt.

Mitt was meyner verbrechung Ich meyne genedigste herrschaft dermassen wider mich bewegt, vnd erbittert: vnd so zu geschwinder hefftigkeyt vnd verfolgung verursacht: oder durch was anstifften vnd verhetzen solchs geschicht: kan noch zu zeytt Ich nicht wissen. Wie man aber mit mir umbgangen ist, vnd mit was griffen man mir zugesetzt hatt, das ist den Räthen so darbey gewest, bewust. Zu diesem hatt man mich beschüldigt Ich hette über meyne zusage mich vnterstanden durch Conspirationes vnd practicas, newe Sacramentirische lehre in diese land einzufüren, hette schrifften darvon außgesprenget, die einheimischen vnd frembden Theologen verhetzet: Deren aber nicht das wenigste uberweisen, viel weniger mir irgent etwas furgeleget, das Ich von diesem articull solte außgesprenget haben, das Ich den zum höchsten beschweret habe. Den meyne notturfft gewesen vnd noch, meyn gewissen gegen Gott so woll zu verwahren, alß meyne thrawe gegen vnserm genedigsten herren, wie Ich dan in meyner grossen schwachheytt damalß so viel Ich vermochtt berichtett habe, aber mir ist der keyner widerfharen, vnd bin dennoch gedrungen worden eynen abscheid wider mich unterdient vnd vnter

schaldett

schuldet anzunehmen, da Ich habe wollen ledig werden, darinnen mir
unrecht und zu vill geschehen, wie Ichs dan den Räthen anheim und
in Ihr gewissen geschoben: und da entlich nichts helffen wollen, Gott ge
klagt, heimgestellet und befholen habe. Darnach da man mich
zu Dresen restituirt hatt ad locum & professionem meam zu Wittenberg,
hatt man nichts destoweniger zu Torgau mich auffs new den mir
abgedrungenen abscheydt unerfordert, beschuldigtt, unverhort, und un-
beschuldigt in gegenwart der Landschafft widerumb auff den dreß-
dischen abscheydt verurteilet gegen Wittenberg in meynen Stand und
beruff. Zum letzten hatt man mich zu Torgau nach
dieser verurtheilung der Landtschaft erst auffs new bey meynem
eydt und pflichten, und bey meynem hochsten gewissen erinnert
und ermahnet, Ich solte frey aussagen und bekennen, was Ich umb
die conspirationes mit Pfaltz, Doctor Ehem und Beza wissenschafft
hette. Da Ich nun meyne unschuld abermall fur Gottes angesicht
genungsam dargethan: hatt man mich erst auffs new gestraffet,
meynes Ehrenstandts und berufs entsetzett, ins elendt verstossen,
und verbannet alß eynen ubelthater, und keyne ursach angezeyget,
sondern alleyn es geschehe auff erheblichen nottwendigen ursachen. Ob
Ich nun solche geschwinde proceß wider mich, und verfolgung, mit

meynen

meynen, threuen, vielfaltigen geleisten diensten vnd vnsere genedigste Herr-
schafft vnd diese Landt verdienet habe, vnd sonderlich auch dz man an die
sein [allen] nicht gesettigt, sonder mir die gefengnuss zu scherffen vnnd zu
erlengern im fürhaben: das bevehl Ich Gott. Da hat man Mir
vnterhalt zugesagett, vnd ist mir kein heller gefolget, sonder man
gedencket auch mich vnd mein arm weyb vnnd kindt in die eusserst
armuet zubringen. Ich will aber erstlich noch[mals] zum vnterthenig-
sten vnd vmb Gottes willen meyne genedigste Herrschafft: die ande-
ren aber so darzu helffen vnd rathen zum dienstlichsten vnd freund-
lichsten gebeten haben, die wollen gemach thun, vnd meyner mit fer-
nerer verfolgung, sie heissen wie die wollen verschonen, vnd rucke ge-
dencken das Ich nicht verschuldet, das die mich nicht vberweisen,
dessen so sie mich beschuldiget haben, vnnd wollen Ihnen an diesem
lassen genugen, das Ich bisshero mit aller gedult vnd still schweigen
vber mich gehen lassen vnnd ertragen habe: vnd wollen betrachten
fürnemblich Gott vnd das gericht Gottes, darnach die Hauptsache
an Ihr selbst, welche betrifft die Ehr vnd die warheit des Sohns
Gottes; Zum dritten meyne vnschuldt, der Ich niemals keyne Con-
spirationes oder practicas: viel weniger vber verbott gemacht habe.
Darvon mir auch kein fürhalten mehr gethan: In summa, das
Ich

vnschuldig. Sonndern zur warheit hab Ich mich bekant in disen beyden
artickeln so strittig seynd, so offt Ich bin gefraget worden, von des her-
ren Philippi und meyner meynung. Da hab Ich nicht sollen ver-
schweigen, vermüge der ernsten drawung des Sohnes Gottes: Wer
mich verlangnet für den Menschen, denen will Ich verlangnen für
Gott meynem vater. Ich bit nachmalls zum vnderthenigsten,
und umb Gottes willen, man wolle betrachten was man thu, und
nicht so gar geschwinde fharen: und sich an Gott, an seynem Sohn
Jesu Christ, an seyner warheyt, an meyner unschuldigen person
nicht vergreiffen. Den so man mich der meynung halben, deren
Ich bin, nicht dulden hat wollen, warumb hatt man mir vor-
langst meynen abscheid nicht gegeben, da man es woll von mir
gewust hatt, welcher meynung Ich sey, ? und noch weyss von vie-
len andern, gegen denen man also nicht verfharet. Und warumb
helt man mich auff, den allein das man mich ängstige, kranke
marttere, und plage? Ich hab es ja nicht verdienet: Von
meynem glauben aber und meyner selen seligkeytt muss Ich Gott
und meynem herrn Jesu Christo rechenschafft geben, bey verlust
meyner Seelen seligkeit. Darumb bit Ich zum dritten umb
Gottes willen, man wolle mich ferner, für meyne unschuld

nicht

175

nicht verfolgen mit gefangnüß oder andern wege, sondern loß und ledig
geben, und meyner wege ziehen lassen. Da Ich aber uber all meyne
hoffnung und Zuversicht nichts erhalten solte, kan Ich armer, ge-
fangener, verstossener, und nuemehr von Jederman verlassener Man
dißmall mehr nicht thun, den Ich mich in gedult gebe, und mich un-
terwerffe mit gedult und mit gehorsam, deynem genedigen, barm-
hertzigen, vaterlichen willen, o Allmechtiger, Ewiger, Barmhertziger,
wahrer Gott, der du mir solch Creütz auffgeleget hast: dar-
nach, das Ich dir, Ernsten, gerechten Richter, betrüblich meyn Elende
klage, das Ich also mit gewalt soll untergedrucket werden. dich
treuen Gott, bitt Ich, du wollest ernstlich auffwachen, mein
vielfaltiges rüffen, schreyen und seufftzen zu dir erhören: dich
meyner annehmen, und meyne unschuldt an tag bringen, und
rechnen an denen die mir es angestifftet und zugerichtet haben:
// und sie in die gruben stürtzen, die sie mir gemacht haben //
Daran Ich dan nicht zweiffel es stehe kurtz oder lange an, so
wirst du warhafftig dich der Ehre und warheyt deynes Sohns
Jesu Christi, und meyner unschuld annehmen, und dich erzeigen
zu deyner Zeyt alß ein Allmechtiger, ernster, gerechter Gott
und Richter. etc.

Ad Ill:mum Electorem Saxoniae etc.

Ill:me

Rés. Q 12° 806

S D. Illustrissime princeps, Dux Saxoniæ Elector: Domine clementissime:
Quod tetterim hactenus Celsitudinj tuæ, & patientissima subiectione tulerim, q
in me diversis sententijs statuta fuerunt, una hac spe, quod conceptum ex ca-
lumnijs indignationem adversus me, patientia mea multiplex tandem sit su-
peratura: norunt constituti à Celsitudine Tuâ Iudices, quos sua conscientia
docebit, de quibus me convicerint ex ijs quæ obiecta fuerunt, & quid agno-
verint, & malum omnino quid sit actum. Ita autem tuli hæc omnia, ut
nunc mihi carceribus, exilijs, infamia, mestitia, & omnibus huius vitæ
ornamentis ac præsidijs spoliato nihil supersit quam habitus vitalis, quem
ægre duco, pedem alterum jam in sepulcro habens, morti quam vitæ propior.
Suscipiuntur tamen in me atrociora: Ad quæ ne sileam amplius, cum
desertus sim ab omnibus hominibus, provoco ad Deum, summum & iustissi-
mum judicem omnium nostrum: & coram hoc qui est inspector cordium,
testor sancte, quod & feci antea apud constitutos judices, me nunquam quicquam
illorum aut fecisse aut cogitasse quæ insimulor fecisse ad promovendum
negocium Sacramentarium, ut nunc vocant, in his terris per conspirationes
& practicas: neque in omnem æternitatem de hoc convinci posse. Hæc
ad tribunal filij Dej coram in extremo iudicio in faciem Celsitudinis
Tuæ ita sum repetiturus. Interrogatus de mea & Soceri mej senten-
tia confessus sum veritatem, quam convictus testimonio Spiritus sancti
in meo

in meo corde, Veritatem esse credo, idq. meo loco feci, non insidiose, non per
conspirationes aut practicas, ut mihi falso tributum est. Præcipit mihi con-
fessionem suj filius Dej cum summa comminatione: Qui me confessus fuerit
coram hominibus: hunc confitebor coram patre meo, qui in cælis est: Qui
me negauerint; hunc negabo. Tribuj itaq. filio Dei, redemptori meo
quod ei debeo: iuxta seuerissimum mandatum: Sicut omni tempore Celsitu-
dini Tuæ tribuj & præstiti summa fide quæ illi debui; quam me coluisse &
ornasse multo magis quam subditorum Celsitudinis Tuæ quemquam, testes sunt
Deus, Conscientia mea, Scripta mea, tot summj viri & mediocres, quibus per-
specta mea vita fuit. Quapropter Celsitudinem tuam per æternam sa-
lutem animæ tuæ, per tranquillitatem conscientiæ tuæ, propter gloriam fi-
lij Dei Domini nostri Iesu Christi supplex oro & obtestor, ne in me inson-
tem propter confessionem agnitæ Veritatis tam atrociter sævire pergas, neue
Te contamines innocentia mea: Sed dimittas me ut reliquum vitæ meæ
quod breue erit, cum tranquilla Dei inuocatione exigam, arte mea inser-
uiendo Deo & hominibus. Nihil concionabor Cels. Tuæ, quia id mei
offi'ij non est, sed tuam Celsitudinem supplex oro & obtestor, ut conscien-
tiæ & animæ suæ parcat. Quod si nihil obtinuero, consolabor me
exemplis Prophetarum, ipsius filij Dej, Apostolorum, & innumeris alijs,
& in quos simili modo sævitum est. Et Deo confirmante & conser-
uante

uante perferam has aerumnas. Sed certo sciat Celsitudo Tua, Deum fore judicem ac vindicem. Itaq. iterum supplex oro, ut Cels. ingenium T. mentis oculos aperiat, cor ad se convertat, & flectat animum ad moderata consilia. Bene & feliciter valeat Celsitudo Tua. Datae Rochlizij

Cels. Tuae subiectissimus

Casparus Peucerus.

Rei. Q 12: 806

= p. 176.

Amplissimis Viris, nobilitate, prudentia, doctrina & dignitate Excellentibus Dno Johanni Bernsteinio, Dn. Doctori Lindemanno, & Caeteris Consiliarijs Illustrissimi principis Dnis Saxoniae Electoris &c. dominis & patronis suis reverenter colendis.

S. D. Amplissimi Viri, patroni cum reverentia colendi: Meministis me. cum quomodo sit actum; de quibus accusatus sim, quae non agnoverim objecta mihi, & multo minus sim convictus; quomodo ad conscientias & judicia vestra, & ad tribunal Dei, ad judicium tandem extremum provocaverim: ne repetam ordine singula. Meministis quae diversas mihi tuleritis sententias: quae placide tulerim vobis; quae patienter tulerim omnia, sperans fore, ut patientia victrix superaret conceptae indignationis impetum. Sed cum non modo non mitescere, verum alijs & exasperari in me odia & indignationem, & atrocia decerni intelligam: iterum provoco ad judicem

dicem ac Vindicem Deum, Vos pro salute animarum Vestrarum aeterna, & conscientijs Vestris obtestans, ne me opprimi insontem sinatis. Satis pertuli utriusque carcerum, exilij, infamiae, egestatis, moestitiae, aegritudinis perpetuae corporis afflictissimi. Sufficiant haec. Quod si me auxilio, opera, intercessione, patrocinio & testimonio vestro destitueritis: non dubitetis filium Dej Vindicem Veritatis, gloriae, & regni sui haec non tantum in vobis, coniugibus, liberis, nepotibus, fortunis vestris, & quaecunque chara in hac Vita habetis, sed in animabus vestris ulturum esse. Agitur de Veritate & gloria filij Dei, propter quam cum sustinuerim haec omnia, non sinatis me jam plane confectum & ad extrema redactum macerarj & excruciarj amplius, sed operam date ut liberatus dimittar. Nec dubitetis filium Dei gemitus & preces meas, & multorum qui pro me funduntur tandem exauditurum esse. Bene & feliciter valete.

Casparus Peucerus D.

Qua ratione Doctor Peucerus aulam Electoris Saxonici frequentare ceperit et quae ipsi ibidem acciderint

Res. Q 12° 806

editi. 418 – 437

Bericht wie Ich zeu Hofe kommen sey und wie es daselbst ergangen.

Zum Hoffdienstenn und zum Hoffleben hab ich die tage meines lebens kein lust noch willen gehabt, hab mich auch von natur nicht tüchtig dazu befunden, darumb ich mich auch niemals darzu gehalten, vil weniger genöttiget od gedrungen habe. Sondern bin ich eine schulperson bliebenn, und hab mir an meinen schulberuffe genügen lassen, und hette wol leyden können, man hette mich ganz und gar mit der hoffbestallung zufrieden gelassen. In der schulen meines beruffs ampts lesens und schreibens warten lassen, wie ich aber an hofe kommen bin und wie mirs daselbst ergangen will ich kürzlich erzelen.

Nach meines Schwehern seligen gedechtniß absterben des herren Philippi, da ich mich der Universitet auf befel der Seniorn mit grosser mühe und arbeit angenommen, und mir Gott gnade segen und gedeyen dazu verliehen, bin ich erstlich durch den herren Doctorem Ulricum Mordisium und den Secretarium Johann Jenisch-

en,

vnsern Gnedigsten herren dem Churfursten zu
Sachsen angeben, vnd von namen allein bekant ge-
macht worden. Nachmals da vnser Gnedigster herr
der Churfurst zu Sachsen die Löbliche furstenn
stifftung der Stipendiaten zu Wittenberg gemacht
vnd fundiret hat, bin ich zu berathschlagung der-
selbigen fundation neben dem herren Pfarrherr
Doctore Ebero erfordert worden, vnd hat mir da-
zumal S. Ch. G. den ersten zugesprochen. Es
seindt auch dazumal etliche Medicae tractationes
vnd Collectiones furgehalten die ich bleiben lasse.
Vber lange zeit hernach da die enderung mit Doct-
or Mordeysen furgenommen, bin ich in sachen die
Vniuersitet belangent gegen hoffe von meinen
herren Collegis neben Doctore Sebastian Theo-
dorico abgefertiget worden, da mich vnser gne-
digster herr d Churfurst zu Sachsen auß son-
derlichen Gnaden selbst fur sich gefordert vnd
mir auff vnterthenigst ansuchen genedigste reso-
lution vnd abschiede gegeben, auch mir befohlen
wann kunfftig der Vniuersitet halben etwas
zu suchen were, ich solte es bey S. Ch. G. selbst
suchen

suchen, daß ich mich zum vnterthenigsten gegen seiner
Churf: G. bedancket habe, vnd habe dem selbigen be-
folhe hernach gevolget, doch alle sorge, vnd alle zeit
dermassen, dz ich für E. Ch. G. vnd an der selbigen
taffel ungefordert nie kommen bin.

Sint dem mal hat mich vnser G. herr vnd
Churfurst wol vmb sein Ch. G. dulden komen, vnd
mich offtmals zu E. Ch. G. erfordern lassen.
Es hat auch d. herr Doctor Georg Cracau wie
er an Doctor Mordeysen stat zum Cammerrath
verordnet worden sonder zweyffel auß gutter
wolmeynung viel dazu geraten vnd gedienet.
Ich muß aber wann ich die warheit sagen vnd be-
kennen will dz sagen, dz mir Gott der ein hertz-
kündiger ist zeugnuß geben wirdt in alle ewigkeit.
Erstlich dz sich meine gnedigste herrschafft mein
Gnedigster herr der Churfurst, desgleichen meine
gnedigste fraw die Churfurstin, sich die zeit so offt
ich gegen hoffe kommen, gegen mir zum aller
Gnedigsten erzeiget, vnd verhalten, vnd mir allen
gnedigsten willen beweisen haben ia mehr dann

ich

ich hette wünschen, begeren und verdienen konnen,
will auch solche grosse gnade die ich empfangen
den tage meines lebens nicht vergessen, sonder
dieselben rhümen und preisen, mit warhafftig=
er danckbarkeit, mit hertz und munde und wil=
mir Gott in alle ewigkeit dessen zeugniß gebe
auch alle frome leute, dz ich gegen meinem ge=
nedigsten herren und meiner genedigsten frauen
ein unterthenigstes treues hertz gehabt habe,
und ob Gott will haben und behalten will, habe
auch dz denen gewiss am tage ist, in meinen schrif=
ten die ich für mich und andere in druck gegeb=
en und hie E. W. hoher und mehr geeh=
ret, gerümet, und gepreiset, dann von kei=
nem auf erden geschehen, und ob ich wol iezundt
als eine untergedruckte Person, die sich nicht regen
darff noch kan leyden muß, dz mich meine wider=
sacher und feinde one einigen grundt und ursachen
zum höchsten und giftigsten verleumden, schme=
hen lestern und schenden, so gebe ich mich doch in
meinem gewissen, von wegen meiner warhaff=
tigen

tigen vnschulde allerding wol zufriden, vnd beuelche
es dem Gerechten, strengen warhafftigen Richter
dem allmechtigen Gott, der meine vnschult an tage
greiflich bringen, der gantzen welt kundt vnd
offenbar machen, dieselben retten vnd rechen wirdt
an meinen feinden daran hab ich gar keinen
zweifel. Zum andern muss ich frey vnd of-
fentlich bekennen vnd aussagen dz ob mir wol
grosse gnade von meiner gnedigsten herrschafft
vilfeltig widfaren ist vnd von ir so offt ich
kommen mit allen gnaden bin angenommen
vnd empfangen worden, dz sich mancher nicht
allein wurde erfrewet sonder lober nomen
haben, Jedoch so offt ich zu hoffe erfordert wor-
den bin ich darob erschrocken vnd mitt forcht
vnd kleinmutigkeit dahin gezogen, villeicht dz
mir dz hertz gesagt hat, wz mir darob end-
lich begegnen wurde oder villeicht dz ich sunst
aus betrachtung viler exempel in historien be-
dacht, wz grosse gefare denen zu gewarten die
zu hoffe leben, vnd sonderlich der bey den her-

ren angesehen und wolgelitten ist. Was aber mir
warheit sagen, dz ich niemals dahin mit freüden ge-
zogen bin, und ie mehr ich genade zu hoffe gefund-
en habe ie forchtsamer verzagter und kleinmütig-
er ich worden bin, ie mehr ich den hofe geflohen
hab, dz Gott weist. Solcher kleinmütigkeit ist
disses die fürnemste ursach gewesen, dz mir aus
beiden alten und neuen historien nicht unbekanst,
wie es zu hoffe zugehet, dann dz ich mir kurz-
en worten anzeige, wann einen schon die herren
wol leyden konnen so konnen ine doch die di-
ner nicht leyden, und findet einer die, der and
ein andere ursach, es sey eine ware od schein
ursach, solt sie auch vom zaun gebrochen werden,
ine zubeschweren, zuverkleinern, zuvernichten,
anzugeben, dz geschicht so lang, biß man ine fel-
let, ist er gefellet und leidt darnider, so gehet
hernach iederman mit füssen uber ine here, und
must es gethan haben dz er sein lebtage nicht
gedacht hatt und ie besser und hoher einer bey dem
herren daran gewesen, ie hefftiger er angefeind-
et, verleumbdet, außgereüttet, nachmals gantz

und

vnd gar gedilget würdt.

Dieser ding betrachtung hat mir Vr-
sach geben den hoffe zu meyden vnd zu fliehen,
contra Erasmum de servo arbitrio. Cum enim Erasmus ad alterum ex-
tremum provectus extra metas & ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα, quod aiunt,
evectus, & philosophorum sententias ac rationes potius quam veritatis evange-
licae vestigia secutus ad pelagiana declinasset, & plus nimio viribus huma-
nis tribuisset: Lutherus autem propter aviditate disputationis irritatus se vehemen-
ter opposuisset, & ut fit in certaminum fervore, horridius quaedam in
sententiam statuisset contrariam: Melanthonem horridius cula quaedam
moderantem tam placide & comiter tulit, ut sponte deinceps depositis
suis, in Melanthonis sententiam concesserit & de libero arbitrio non aliter
dixerit, docuerit, dixerit, scripserit, quam quasi ex praescripto Melan-
thonis, secundum eam doctrinae formam, quae in locis theologicis extat.
Habet eius rei testimonia innumera commentarius Lutheri in Genesin, ut
eruditis constat. Erat in Lutero, ut in generosis &
heroicis naturis omnibus is animus, ut praefractum ac pertinatem, fas-
tig. tumentem adversarium sive antagonistam oppugnare ac persequi
non desineret: Leniter adversantem, & duriora quaedam ipsius absque
acer.

acerbitate & odio mollientem, asperiora lenientem, obscuriora declarantem, diffusiora & vaga contrahentem, amicissime complecterentur, & libenter sequerentur: quo animo Melanthoniana pleraque cum accepisse, & Locorum theologicorum opus exosculatum esse, ad manus semper habuisse, saepe legisse & relegisse, praeconijs ornasse eximijs, commendasse versaturis in doctrina sacra singulari studio, usurpasse in doctrinis & scriptionibus suis certus sum: & norunt idem qui Lutheri viventis studia, consuetudinem & sermones domesticos aut meminerunt, aut exceptos & annotatos ab alijs conservatosque legerunt. Non dubito autem fuisse eundem & in hac controversia de Coena Domini ex subiectionibus & commonefactionibus Melanthonianis aliqua correcturum, & de vehementia & fervore in hoc conflictu suo remissurum plurimum, nec pontificijs ad sui idoli defensionem tantum concessurum, nisi extitissent qui inflammatum antea & sponte currentem καὶ σπεύδοντα velut calcaribus subditis vehementius incitarent, & saepe mitescentem, moderatasque concordiae vias ac rationes quae proponebantur amplectentem irritarent stimulis acerbis & quasi novae flammae fomiti & pabulo ingestis de novo incenderent. Sed in fatis erat ut moriens relinqueret ἐπιτάφιον ἀγῶνα socijs, de quo memini tristissimas voces Soceri mei, quas non semel atque iterum sed ad omnem huius certaminis mentionem apud amicos cum profusissimis lacrymis repetere solebat: Causam hanc futuram esse causam sanguinis, propter persecutiones, clades, supplicia, quae paritura esset: quia oporteat mundum poenas dare

tam

tam horrenda & tetra idololatria quæ est in missa pontificia, & prophanationem idololatrica Cœnæ Dominicæ. Solebat & dicere cum gemitu, Initia atque incrementa tyrannidis Turcicæ tam subita atque præpropera pœnas esse idololatriæ eiusdem; quia eo ipso tempore quo decretum de Transsubstantiatione factum, & cultus idoli publica autoritate sancitus est: Ottomannica potentia primum commouit & incredibilibus successibus sese extulit in Oriente uersus occidentem, ubi huius idoli cultus præcipue viguit. Et sicut Sarracenicus furor oppressit uno impetu blasphemias et contentiones de persona filij Dej: sic Ottomannicam potentiam & ciuilia bella tandem punitura esse hanc idolatriam in abusu Cœnæ Dominj. O quoties ingens animi dolor cum eiulatu expressit ei has voces: Non si tantum lacrymarum funderem, quantum undarum hic præterfluens Albis uehit, exhaurire meum dolorem possem quem circumfero propter hærentem in Ecclesijs nostris hanc controuersiam, quam prospicio futuram esse causam exilij & ruinæ Ecclesijs nostris, cum ingentibus cladibus & calamitatibus quæ sunt secuturæ, futuræ pœnæ defensæ & stabilitæ idololatriæ pontificiæ? Quoties cum has querelas per literas effunderet in sinum amicorum, lacrymis chartas conspersit ac madefecit? Quoties in hæc uerba prorupit: Diese Sache wird dem fasse den bodem ausstossen? Etsi autem optime norat Lutherus dissentire à se Melanthonem in hoc certamine: non

direxit

diremit tamen, imo ne labefactavit quidem dissensio benevolentiam inter eos, nec coalitum animorum firmissimum disiunxit: sed perduravit coniunctio illa usque ad vitae finem, Luthero in sua sententia pertinaciter perseverante, non tam sua culpa quam incitationibus aliorum, Melanthone idem quod antea sentiret, moderante commodis locutionibus quae horridiora videbantur, & extruente interea ac muniente fundamenta verae sententiae de hac controversia, ex qua oppugnaret idola pontificia & innumeras profanationes Cenae Domini, & demonstraret fontes doctrinae de vera praesentia filij Dej in legitimo & mandato divinitus usu huius sacramentj. Nec Lutherum unquam haec moderatio Melanthonis offendit, imo patienter tulit eum a se plane dissentientem: Sed Melanthon ita se reprimebat vicissim & sua ita temperabat, ne vel suggillare Lutherum vel convellere eius authoritatem videretur: etsi fuerunt ex Lutheri assentatoribus qui hoc ipsum ei persuadere sunt conatj, ut concitato in Melanthonem Luthero, bellum inter eos apertum accenderent. Hoc scilicet moliebatur diabolus per nonnullos, ut duobus his quasi capitibus repurgatae religionis bello commissis inter se divellerentur Ecclesiae coniunctae, & sequerentur distractiones atque confusiones infandae. Oderant Melanchthonem aliqui, propter moderationem, natura iracundi, fervidi, praecipites & callidorum consiliorum amantes: propterea quaerebant occasionem qua odio Melanthonis Lutherum inflammarent. Erat et suspicio quosdam conductos esse pecunia a Pontificijs, ut discordias inter eos sererent in hac ipsa causa, in qua non obscurum erat

Melan

Melanthonem non idem sentire quod Lutherum, sed ad partem propendere ad-
versam. Non passus est tamen se permoueri aut impelli unquam, ut hostilem
adversus eum animum indueret, vel ut opprimi eum pateretur. Non defu-
erunt qui in aula Melanthonem calumniarentur, et hortarentur principem ut
in eum inquirerent severius, sed restitit Lutherus, & nihil horum tentari aut
suscipi voluit. Texit authoritate & patrocinio suo Melanthonem, quia neque
auelli a se hunc fidum παραστάτην (quoque sua non probantem neque id
dissimulantem), neque convelli eius autoritatem volebat, quod quantas Spiritus
Sanctus in eum dotes contulisset, quantumque nauaret ille atque efficeret ag-
noscebat, de qua re inter narrandum ex occasionibus plura commemorabo.
Denique ut semel dicam, non assensit Luthero in hac controversia Melanthon,
quod omnia Melanthonis scripta euidenter docent & conuincunt: Sed non
dissoluit sententiarum discrepantia amicitiam inter eos & coniunctionem.
Et ante editionem postremi scripti Lutherus Melanthonem sese aperte de-
clarantem & hortantem eum ad moderationem his dimisit verbis, Causa
haec mea est, quam tuebor sine te: Tu maneas in sententia contraria, si
veriorem esse iudicas, Nec mihi tuo vel patrocinio vel auxilio est opus.
Haec postrema fuerunt verba, quibus inter eos mentio huius certaminis
facta est: propter hoc quasi foedus nec Lutherus, ad finem extremum
vitae habitum usque, quicquam hostile in Melanthonem prae se tulit:
nec Melanthon dixit aut scripsit quicquam quod derogare nomini & detra-
here

here autoritati Lutherj uideretur in hac controuersia: Sed et mortuo illo, cum libe-
rius Veritatem profiteretur, ita tamen stylum est moderatus, ut appareat manifeste, non
uoluisse eum uiderj notare aut petere Lutherum, quia eius sententiam nec propugnat
nec oppugnat usquam, sed pontificiam tamen, quae cum Lutheri proxime contendit, ita
conuellit & euertit, ut fundamenta constituat, quae & Lutherus cum summa gra-
tulatione amplexus est, & immota atque irrefutabilia esse confessus est. Ea talia
sunt ut iis positis atque concessis, Lutherj sententiam sponte sua concidere necesse
sit, destitutam fulcris quibus nititur. Moderationis huius Melanthon causas
habuit grauissimas: Fuissent enim hoc eius factum plurimi sinisterrime in-
terpretatj, praesertim si quid post mortem in eum mouisset. Alij quod odio
Lutheri faciat hoc, ut obtrectet famae atque gloriae mortuj, & fidem ac autho-
ritatem omnibus eius scriptis adimat: Alij quod Luthero viuo conari non
fuerit ausus, id sublato illo tanquam acerrimo antagonista, nunc eum audacius
moliri, quia aduersarium habeat neminem. Si iudicauerint hanc esse Veri-
tatem, cur se Luthero non opposuerit viuo, falsa defendentj? Cur meliora
eum non docuerit, uel ostenderit alijs sententiam rectiorem, & iudicium prae-
miserit Ecclesiae? Nec dubium est talia uel alia etiam atrociora in Me-
lanthonem multos fuisse sparsuros, si a Lutherj morte contrariae sententiae defen-
sionem aperte suscepisset. Non ignorabat etiam Melanthon, quantum au-
thoritas Lutherj? quantum inueterata & reliqua ex pontificio errore in pluri-
morum animis superstitio? quantum opinio operis operatj confirmata errantium
multitudine? quantum praeconcepta opinio de parte aduersa ualeret? in
quanto

quanto illa odio esset propter Lutheri praeiudicium: quam difficile sit futurum di-
uersum persuadere ijs Ecclesijs, quae autoritatem Lutheri sequebantur, quantum-
uis veris, perspicuis, & firmis testimonijs & rationibus conuincerentur. Denique
quantis se viribus principes oppositurj essent, praetextu pacis religiosae, a qua
Pontificij conati sunt excludere eos, qui de sacra coena Lutheri dogma non am-
plecterent. Haec cum Melanthon consideraret, ita explicationem veritatis
in hoc articulo temperauit, ut nusquam defuerit veritati testimonio suo (mon-
stratis veris fontibus idolatriae pontificiae & profanationis Coenae Dominicae,
atque illius inueteratj erroris, inprimis de opere operato qui est fons & fun-
damentum perniciosissimae securitatis humanarum mentium, & neruus prae-
cipuus intollerandi abusus, quod Coena Domini ipsa sumptione symbolorum cre-
ditur abolere omnia peccata, & conferre gratiam & vitam aeternam sine fi-
de & sine conuersione vera ad Deum, sine ullo bono motu, ijs etiam qui vitam
omnem cum sceleribus exactam fine claudunt impio aut prophano:) Lu-
thero tamen ubique ut parceret. Memini Melanthonem exemplo Ieha-
propheta excusare Lutherum, cuius vocationi nihil decessit fidej uel autho-
ritati eo quod cultum aureorum vitulorum non sustulerit ex regno Israel
qui erat neruus istius regni praecipuus, cum ab idolis alijs omnibus gentem
eam alioqui repurgasset. Ita, aiebat, non posterum periclitaturam fuisse
autoritatem Lutherj, etsi cessisset meliora proponentibus. Haec inter pri-
uata colloquia ad amicos narrare solebat. Publice aliud faciebat nihil

quam ut

q̃ ut fontes & fundamenta doctrinæ in hoc articulo tradere & inculcare dis-
centibus, quæ cum opposita esse euidenter constet fundamentis pontificiæ profa-
nationis & idolatriæ, quibus cum Lutheri fundamenta, ipsius confessione, con-
gruunt: Quomodo ergo, & qua impietate in Melanthonis manes, & qua impu-
dentia audet Impostor ille, sua etiam (quod certo scio, & ostendam deinceps)
conscientia reclamante, Melanthonem suæ corporalis præsentiæ & oralis mandu-
cationis non adstipulatorem, sed & magistrum & patronum & testem facere? Quan-
to rectius fecisset, si dum quod falsum est persuadere conatus est alijs, id
dedisset operam, quod verum est ut ijdem cognoscerent? Sed Nemesis diuina
vltrix peccati in spiritum sanctum quod est blasphemia contradicens agnitæ ve-
ritati, porro sequetur eum, donec pœnas proiectæ, abnegatæ, condemnatæ ve-
ritatis expetierit atrocissimas. Non iurgabor autem cum quoque: nec
de doctrina ipsa Melanthonis disseram quicquam, quæ ante oculos & in con-
spectu est, quam non eandem esse cum Lutheri sententia vel cæcus agno-
uerit & iudicauerit. Sed quando, quibus occasionibus, quibus conuictus
argumentis et testimonijs Melanthon discesserit à Luthero? quoties & quot mo-
dis cum eo de hac controuersia contulerit? Et quid fecerint alij in Academia
Witebergensi exponam ordine; citra contumeliam cuiusque in testimonium ve-
ritatis; posteritati Melanthonis ut Viri innocentiam & famam & tueantur
aduersus mendacia, & vindicent à calumnijs.

Luthero primus litem mouit de Cœna Domini Carolostadius ambitione
impulsus

impulsus. Urebatur enim crescente Lutheri gloria, quam cum neque in con-
flictu disputationis Lipsicae derisus & contemptus ab Eccio prae Luthero, neque
Iconomachia Luthero absente suscepta debilitare aut obscurare potuisset, alia
via oppugnare aggressus est. Reprehendit Lutherum quod de Sacramento
non doceret consentanea vero, & turbavit Ecclesias Thuringicas docens in oppido
ad ostium Orlae, cum aliquanto ante Luthero absente Witebergae statuas templis
eiecisset. Missus in Thuringiam Lutherus ab Electore iussus est tumultum
tes compescere. Respondit Carlstadius se sua scripta defensurum esse. Luthe-
rus qui tam manifestas Carolostadij absurditates & tam violentas interpre-
tationes nec locum nec asseclas facile reperturas esse, & nasci haec omnia ex
aemulatione suae gloriae facile intelligebat: dato in arrationem aureo num-
mo iussit id ut faceret. Ita Carolostadius ut officeret crescenti gloriae Lu-
theri, infelices, impios foetus suos in eum primus emisit, & certamen accendit,
ex sese ne? an sumptis occasionibus primis ex Helvetiorum opinione nescio.
Hoc certum est quod Carolostadius cum se videret & rationibus propter su-
arum interpretationum absurditatem, & authoritate Luthero longe inferiorem
esse, hunc cum Helvetijs commiserit. Lutherus enim quod suspicaretur
contra se dirigi quae à Zwinglio & Oecolampadio diversis adhuc in locis
neque adhuc coniunctis vel sententijs vel operis de eodem argumento in publicum
edebantur: omisso Carolostadio ut rudi, hebetique & sagina corporis fastuque

q doctrina turgidiore hoste, in Zwinglium et Oecolampadium arma scriptio-
num convertit, tanq acriores hostes & instructiores. Certamen inter utrosq
cum ad hunc modum exarsisset, discessum est in partes. Ex Ecclesijs Sueviae
pleraeq se ad Oecolampadium & Helveticos conferebant: Saxoniae et quae sunt
citra Herciniam omnes adhaerebant Luthero, qui, ut scripta eius ostendunt, se-
cutus vestigia & autoritatem sui Magistri Augustini, et eius verbis usus ante
contentionem enatam longe commodius & sensit & scripsit. postea certaminis
fervore ad extremorum alterum adductus non amplius Augustini, sed adul-
terinis pontificiorum se tixit ac defendit pennis, ut pene in praecipuis eius
scriptis nihil reperiatur, nisi descriptum ad verbum ex scholasticis, ac praecipue
ex Gabriele Bielo. Efferbuit autem certamen indies magis magisq
accedentibus ad partes Theologorum distractorum non ijs solum qui in Eccle-
sijs docebant, sed et alijs viris doctis. Urgebatur et Erasmus ut Oeco-
lampadium oppugnaret, sed occupationibus ille sese excusavit ne attingeret
ulcus, quod videbat si attrectaretur vehementius futurum ac saeviturum
esse atrocius. Bilibaldus Pyrckaimerus reip. Noricae vir praecipuus
qui doctrinae opinione prae multis alijs ea aetate antecelluit pertrahi se in
certamen passus est, & Oecolampadio acerbo & vehementi se opposuit
scripto. Fuit circa illud tempus Norinbergae Philippus Melanthon, accer-
situs a Senatu ad deliberationem cum de Ecclesiarum suarum tum de novae
scholae constitutione. Agebatur tunc annus a nato Christo vigesimus sextus
supra

supra millesimum quingentesimum, quo in eadem adhuc erat sententia Melanthon cum Luthero, cuius rei credo documenta proferri posse per lrãs non paucas vehementer scriptas pro Luthero ad Lazarum Spenglerum Scrib. Norice a secretioribus consilijs, & literis ualde commendatum Virum: Nec pro ea minus fortiter dimicabat quam ipse Birckamerus, cui propter ingenij acumen & excellentem vim, eruditionem excultam multiplici aliquin carum admodum, pene que admirabilem, reddebat commendatiorem & gratiorem eadem de una re controuersa opinio. Cum hoc Birckamero enim saepe & multum erat Melanthon, eo tempore quo Norimbergensibus de Ecclesijs & scholis consuluit, et ad eadem conuiuia adhiberetur Albertus Durerus pictor, vir sapiens, in quo Melanthon narrabat pictoriam artem quae fuit excellentissima, minimam fuisse: saepe inciderunt inter Birckamerum & Durerum de illo recenti certamine disputationes, in quibus cum Durerus, et ualuit ingenio plurimum, acriter aduersaretur Birckamero, & qua proferebat ille, refutaret tanquam ad certamen paratus accessisset; incanduit Birckamerus: fuit n. iracundus admodum, ac propterea saeuissimae arthriditi obnoxius, saepeque erupit in has voces, Non, inquiens, pingi ista possunt mi Durere: At ista inquit Durerus, quae tu adfers nec dici quidem, nec animo concipi possunt. Haec saepe ex illo Birckaimeri & Dureri certamine Melanthonem narrare meminimus, Cui ita resedebat ut se quoque ad pictoris tam acriter tanto viro resistentis tam argutam quam animum complentem

obstipuisse

obstupuisse & recordatum esse fateretur fatuitatis cuiusdam Tubingensis Theologi Doctoris Lempi, qui solitus sit suis auditoribus, inter quos et ipse fuerit, Transsubstantiationem pingere certa in tabella. Cum ergo efferuescerent indies magis magisq. certamen inter Lutherum & duos partis aduersae duces praecipuos qui inter se coniunxerant, Zuinglium & Oecolampadium; multisq. scriptionum velitationibus agitaretur maiore conatu, & ex alijs alij hunc alij illos sectarentur: erant & qui medium tenerent inter utrosq. et concordiae studerent, cum propter Dei gloriam & Ecclesiarum coniunctionem contra communes hostes, tum propter Germaniae tranquillitatem quae studio partium scindebatur, & in factiones distrahebatur perniciosas, ex quibus certa ruina patefactae & restitutae doctrinae cum periculis & certaminibus veritati immineret, praesertim cum ad Heluetios Sueuicae Ciuitates pene omnes inclinarent. Horum caput et dux erat laudatissimus princeps Philippus Cattorum Dux, Comes Catimeliboci &c. Hic ut loco & sito suo studio pacificandi medius inter utrosq. vehementer in hoc incumbebat ut congregaret ad collationem placidam sententiarum duces partis utriusq. Impellebatur ad hoc consilium concordiae quaerendae ac pacificationis tentandae cum alijs causis grauissimis, tum recenti Comitiorum Spirensium decreto, quod suasu hortatuq. Iohannis Fabri Theologi factum erat, qui postea creatus est Episcopus Viennensis: authoritate vero Ferdinandi Hung. & Bohem. Regis obeuntis vices absentis Imperatoris Caroli Quinti. In eo decreto enim sancitum hoc fuit, ut

ut Sacramentarij, sicut nominantur, proscriberentur: ne doctrina eorum qui de Cena Domini secus docent quam Ecclesia, qua Romanam intelligunt, reciperetur: nunc stilla abolatur etc. Etsi autem huic decreto Elector Saxoniae, Landgravius, et principes alij ex Protestantibus, sicut nominari coeperunt, acriter restiterunt, quod intelligerent gravi distractione factionum accommodatam ad opprimendos singulos sensim; et ostenderunt nec inter suos esse qui aliter docerent: nec qui secus docerent vocatos et auditos esse: non obtinere tamen potuerunt ut decretum abrogaretur. Ex eo conuentu Melanthon epistolam scripsit ad Oecolampadium amicum veterem: Eum enim in Academia Heidelbergensi adolescens non tam socium quam ducem studiorum habuerat ac magistrum. Illa epistola mox typis expressa, utraque lingua latina et vernacula in multorum manus venit, et saepe recensa est. Landgravius ergo quod sapienter prospiceret quorsum haec certamina si invaluissent evasura, et quas ansas paci atque occasiones praebitura essent hostibus ad opprimendas Ecclesias recte sentientes quae tenerae adhuc erant, et nulla inter se certa et consentiente forma doctrinae consociatae, valde dabat operam ut coacta Marburgensi synodo, concordiam inter dissentientes efficeret, ut in alijs doctrinae capitibus, sic in hoc de Cena: Sed non obtinuit hoc quod cupide et obnixe egit: seu obstante utrobique in irritatis et exacerbatis mutua velitatione scriptionum animis recenti vulnere, seu quia loquendi modis longius differebant quam ut conciliari possent, etsi reipsa initio minus dissidebant, seu quod neutri

de

de suo iure cedere quaeqz volebant ne de fide & authoritate apud suos periclitaren-
tur, et in dubium adducerent doctrinam quam eo usq. professi cum auditorum suo-
rum discrimine summo fuerant, et defenderant. Certe apud Lutherum hanc cau-
sam ponderis habuisse non dubito, cui eo tempore quo adversarij immanibus odijs
flagrantes nihil nisi minas carcerum, laminae, suppliciorum, incendiorum, bellorum
civilium spirabant, providendum maxime atq. praestandum erat ne temere discessis-
se ab ordinaria sede, neve novandi aliquid seditionisve excitanda studio, sed
magnis, gravibus ac necessarijs de causis contra Romanam Ecclesiam, & nihil nisi
necessarium movisse iudicaretur. Nam si quid concessisset, in eam fuisset ven-
turus suspitionem, ne de suis opinionibus magis, aut de sua contendere & dimi-
care gloria, cum iactura salutis, pacis et tranquillitatis publicae, qz de veritate
caelesti & salute cuiusqz quod prae se tulerat initio. Nec dubito hanc fuisse
Luthero praecipuam causam, deinceps etiam retinendi mordicus & pertinaciter
propugnandi semel a se defensam sententiam quoad vixerit, ne fidem & au-
toritatem amitteret, aut faceret saltem inclinationem aliquam ad ruinam
doctrina a se repurgata & vocatio sua. Non reperiebat enim quomodo se
explicaret, quin se citra gravissimum suae causae detrimentum propter ad-
versariorum iniustas & iniquas calumnias, & suorum domi perversa iu-
dicia & odia reciperet, si vel minimum largiendo in hac parte nutaret,
vacillaretve, quia diffidere suae causae videretur. Idcirco ne hoc quidem
obtineri ab eo potuit, ut citra utriusq. partis notam aut infamiam dis-
ce-

cedentur Marpurgo, inita Concordiae ratione in has leges, ac si errore hac„
tenus decertatum esset, & alteri alteros non intellexissent. Imo ne hoc qui„
dem, ut alteri alteros fratres appellarent, etsi de reliquis partibus essent consensu
initis; Sed formula Concordiae in hanc sententiam perscripta est: Quamquam
inter nos hactenus non plane potuit conuenire, Num verum Corpus & verus
sanguis Christi pani et vino corporaliter insint: nihilominus tamen debet
Utraq. pars alteri Christianam declarare charitatem, & Utraq. a Deo omnipotente
peteret serijs & ardentibus precibus, ut spiritu suo sancto, vero intellectu Contro„
uersiae conciliare inter se dissidentes velit. In hoc Marpurgensi Conuen„
tu Oecolampadius Melanthoni apologeticam epistolam, quae ipsius ad Spi„
renti Conuentui scriptae respondet, coram reddidit, addens, Malle se ista pri„
uatis literis agi, idq. videri fore magis ex usu Ecclesiae. Melanthon
permittit judicio ipsius, utrum malit, & edere ne suam quoq, uelit, an pre„
mere liberum facit. Sed postea cum Melanthon emisisset collectas a se
Sententias patrum, Oecolampadius suam quoq. publicam fecit, oppositis Sen„
tentijs alijs longe vetustioribus: quas Melanthon affirmabat primam sibi cau„
sam attulisse antiquitatis purioris de hac Controuersia Sententiam accura„
tius investigandi. Sententijs a se collectis quantum tribuerit ipse
Melanthon testatur Epistola quam praefixit primae suorum scriptorum e„
ditioni Hervagianae, in qua sunt haec verba. Sunt & sententiae recen„
tes collectae περὶ δείπνου κυριακοῦ, quarum aliquae in illis autoribus

qui

qui citantur sunt suppositicia. Memini olim Tubingae Longum nobis pingere
in tabula Transsubstantiationem, ut vocant. Mirabar insulsitatem hominis.
Neque iam velim citatis sententijs Cypriani aut Ambrosij aut Theophylacti multum
confirmari abusus sacramenti. Comperi miram fuisse audaciam & impuden
tiam describentium veteres libros, qui ut imponerent indoctis, multa de suo ad
scripserunt, pugnantia cum autoribus &c. Ab hoc tempore
Marpurgici congressus inter doctores, cepit Melanthon maiore studio & mo-
menta & fundamenta controversiae ad doctrinam Pauli Apostoli examinare,
et veterum in prima ac puriore Ecclesia testimonia de ea scrutari ac ponde-
rare. Cumque reperisset quam procul ab ea, Romana Ecclesia, vel suorum etiam
defensorum, nimirum Scholasticorum, confessione discessisset, recipere sese pau
latim, & relinquere cepit ea pro quibus antea acriter ac vehementer propug-
narat. Ac saepe de hac mutatione prioris sententiae usurpabat haec verba: Se
spiritui sancto monstranti viam veritatis adversari, & agnitae veritati contra
dicere non voluisse, nec debuisse. Id vero, cum Lutherus perstaret in sua
sententia, ea fecit moderatione, ut viam veritatis ingressus, pleraque a se hor-
ridius ante disputata & dicta leniret, & totam controversiam complexus non
tantum hoc ostenderet, quomodo usu vero & legittimo sacrae caenae obsigna-
retur promissio in singulis, & exhibeantur atque applicentur singulis fide bene
ficia promissionis: id est passionis & mortis Christi universa. Sed & quomodo
filius Dei ipse vere praesens pasceret nos sua carne, & suo sanguine,

atq. ita seipsum communicaret credentibus, & hos fide insertos tanq surculos stipiti non ingereret & consociaret societate, profiteor à Spiritu Sancto ijs donis lucis iustitiæ et vitæ æternæ quæ sunt in ipsius corpore, sed in gradu excellenti, οὐ κατὰ μέτρον: denique ut ingereret & inculcaret semper, non physicam & corporalem in symbolis quæ nulla est, sed veram, vivam & efficacem præsentiam Christi in homine, in legittimo sacræ Cœnæ usu. Marpurgicum congressum secuta mox sunt Augustana Comitia, Anno tricesimo supra M D: in quibus Spirense decretum renouatum, & petitum est, consilium à Protestantibus, quomodo coërcendi sint ij, qui secus de Cœna Domini doceant. Prævaluerat autem hæc sententia eo tempore in Ecclesijs Sueuicis: Spectabatur hoc igitur ut ab illis Saxonicæ divellerentur, & ut distractæ singulæ, solæ seorsim opprimerentur: quod cum non obscure principes quo tenderet animaduerterent, contradixerunt, & suas Ecclesias excusarunt. Ob hæc comitiorum decreta quod in periculo non exiguo Sueuicæ Ecclesiæ versarentur, & principes fœdere Smalcaldico se contra adversariorum potentiam muniuissent, nec ad fœdus hoc se admissuros quemquam ostenderent qui in hac controversia à Luthero discessissent: evenit ut multæ Ciuitatum Sueuicarum, & inter has ipsa Argentina Helvetiorum sententia abiecta in contrariam Lutheri inclinarent. Id cum difficile multis videretur, qui veritatem intelligebant, ut aliqua efficeretur conciliatio, cum Senatus permissu Bucerus & Capito Argentinenses Theologi multum laborabant. Hi ad conuentum Isenaci indictum profecti, cum

domine

neminem ibi reperissent, ulterius profecti, Vitaberga Lutherum convenerunt. Ubi post aliquot dierum tractationes cum Luthero, Melanthon adiuvans negocium Concordiae pro viribus formulam concepit, quam et Lutheri & Suevicarum Ecclesiarum nomine Bucerus & Capito amplexi sunt. Hac formula Suevicas Ecclesias, quae turbulentae erant, utcunque pacatas reduxit ad coniunctionem cum Saxonicis; in quo plus metus hostilis potentiae pontificiorum, quam Veritatis studium valuisse existimatum est. Nam quaesitum & spectatum hoc esse certo constat, ut civitates ex contentu in Smalcaldicum foedus receptae defensionem haberent adversus Pontificios, qui urgere non desinebant, ut fierent decreta cruenta adversus eos qui de Coena Domini secus sentirent: metuentes scilicet, ne inviso hoc regni & status sui novo Pontificatus ruinam facerent immedicabilem; & ex distractione hostium securitatem sibi pollicentes. Sed Helveticae aliquanto post ad Lutherum scripserunt; Smalcaldiae novorum articulorum scriptione occupatum Anni trigesimiseptimi initio, qui Mantuanae Synodi offerrentur: & simul Confessionem de hoc articulo suam miserunt, ad quam Lutherus, tunc morbo impeditus, sub anni finem, demum mense Decembri ita respondit, ut de durabili concordia spes non mediocris bonis Viris & piis Veritatisque amantibus affulserit. Extat responsio illa inter Lutheri scripta, quae evidenter & physicam seu localem seu corporalem praesentiam Christi in Coena repudiat, & Christum nequaquam coelo detrahit. Vidi manuscripta quaedam quae ab Ecclesiis Helveticis ad Lutherum Bucerus attulit, in quibus annotata ad marginem Lutheri manu haec verba:

verba: Cur antea non sic docuerunt? ostendunt evidenter praecipuum cer-
tamen Luthero cum Zwinglio & Oecolampadio fuisse de hac quaestione, Utrum
sit praesentia corporis & sanguinis Christi physica seu localis ad symbola? Lutherus
enim illis hoc tribuit quod exinaniant symbola prorsus, si non corporalem prae-
sentiam seu localem inclusionem vel annexionem ad symbola statuant: quam
tamen & ipse tandem reiecit, & cum corpus caelo descendere neget, reipsa ean-
dem quam illi; verbis vero tantum diversam sententiam fovit. Sed a sua
loquendi consuetudine desistere noluit, ne quid concessisse ipsis, aut de sua sen-
tentia re in gratiam illorum discessisse videretur: & ubi denique bellum instau-
ravit, a principio certamen retexuit eo modo, ac si nihil gestum antea in eos es-
set, nulla collatio intercessisset, nulla facta esset emendatio, & quasi illa omnia
agnoscerent Helvetij, de quibus accusabantur. Cum autem Lutherus
spem aliquam concordiae responso moderato de se Helvetijs praebuisset, & de
vehementia aliquid remisisset: Melanthon tranquilliore animo, cum de contro-
versia totam antiquitatem consuluit diligentissime, tum occasiones captavit quas
potuit conferendi cum Luthero de antiquitatis testimonijs. Observare autem
hunc morem solitus est, ut de praecipuis capitibus quae viderentur in partem
utramque obijci maxime et disputari posse, ea conjugata Luthero proponeret,
interpositis spatijs, quibus suam Lutherus ascriberet sententiam: In qua si quid
desiderabat, sciscitari coram amplius est solitus, donec integre in qua ille
acquiesceret sententia perdidicisset. Extant adhuc pagellae, quibus senten-
tiam

tiam eius de Justificatione hoc modo exploravit: Idem fecit in hac controversia. Multa enim illustria tam Graecorum quam Latinorum scriptorum testimonia conscripserat in hunc usum, ut ea Luthero offerret. Affirmabat autem saepissime se in nullo articulo, in controversiis omnibus, plus curae, operae & studij posuisse quam in hoc: Nec de ullo quid vere senserit sincerior Antiquitas certius pervestigasse, nec fundamenta ullius firmiora ac validiora iecisse, quae certo sciat nullas contrarias rationes quacunque specie vestiantur, nullam quantumvis Lutheri cum sophisticen labefactaturam aut eversuram esse. Intererat, aiebat, mea plurimum, ut certi aliquid de veritate huius articuli mecum constituerem; quod authoritate Lutheri destituebar, imo adversantem eum habebam: Cum pontificijs autem de eodem tanquam de capite totius causae certamina mihi acerrima & summa parata esse sciebam. Itaque de talibus mihi fundamentis cogitare oportebat quae Eccius Antagonista callidissimus more suo non astute vel eluderet vel deriveret. Antiquitatis ergo testimonia magno studio sibi conquisiverat. Ip-psi Lutherum cum animo esset hilariore, captatis occasionibus induxit in colloquium de hoc articulo. Norat enim viri ingenium, & qua arte tractandus esset, multo usu didicerat. In talibus colloquijs alias alia tulit responsa. Cum hilariuscule aliquando recitaret longo ordine, & quid senserit prima & purior Ecclesia de hac controversia, & quo tempore in eam ex abusibus oblationis & vulgi erroribus harum tenebrarum initia irrepsissent, aliud nihil respondit quam se mirari Ecclesiam tam diu potuisse in tanto errore haerere. Ibi subiicit Melanthon,

Si te

Si te mouet vetustas in hac parte; cur te non pariter in alijs afficit multo antiquioribus erroribus! Cum ante Wormaciense & Ratisponensia Comitia, in quibus de religione inter doctos est disputatum, attulisset ad eum Philippus consignatas in pagella plurimas patrum sententias, tam graecas quam latinas, praesertim Tertulliani et Augustinj: glossemata Lutherus adscripserat ad alias alia. Ut, ad dicta quae panem nominant figuram corporis Christi, adiecerat: Geometricam corporis figuram intelligi: & similia alia. De quibus cum respondisset Melanthon, Talia & se comminisci glossemata & fortassis his concinniora posse, sed cogitare ipsum debere, quantum haec valitura aut quantum obtentura sint, si opponantur aduersarijs in acerrimis certaminibus, ijs praesertim quae discutiendae & proferendae veritatis causa instituuntur, quae candorem requirunt, ac veritatis amorem & studium. Tum ieiunam & friuolam sophisticen. ut de conscientia taceat sua: se ne quidem sine pudore & rubore vsurpaturum esse. Alijs fore opus fundamentis, si aduersae partis sententia sit infringenda, & pontificijs si idolum missae sit adimendum. Cumque perrexisset instare & vrgere, Quid quaeso illustribus testimonijs Graecorum opponam, qui panem & vinum minus ambigue σύμβολα καὶ ἀντίτυπα τοῦ αἵματος καὶ σώματος nominant! animo commotiore respondit, Malo Graecos rejicere vniversos, quotquot mihi aduersantur, quam sententiam deponere quam latina Ecclesia testata est & tutata (Romanam intelligens:) praesertim cum Graecos constet acumine & sophistica ingeniorum in dogmatibus varie lusisse.

sisse. At nunquam, inquit Melanthon, obtinebis ut repudietur autoritas Graecorum quibus cum evidenter consentit Augustinus: Nec veritati hoc modo consuletur. Tacuit ad haec: eoque silentio diremptum colloquium casu fuit. Affirmabat Melanthon, valde anxio & sollicito animo se ad disputationes illas, publica authoritate Wormaciae & Ratisponae institutas profectum esse, quod difficultatem certaminis, ubi ad mucronem ventum esset, & pericula prospiceret animo & commeditaretur: Sed quod praemeditata jam haberet fundamenta talia, quae infirmari aut dudi nulla facile sophistica possent, exitum se providentiae & gubernationi divinae commendasse. Accidit tamen Ratisponae quod animo praesagierat, ut magnae commoverentur turbae, cum de missa disputari coeptum est, & iratus Carolus Imperator vehementer ut incandesceret ac spiraret minas. Missam enim cum oppugnare coepisset hoc solido & immoto fundamento; Quod cum sacramenta in Ecclesia sint actiones a Deo institutae, & nulla creatura possit talem actionem instituere cui sit addita promissio gratiae, seu rem ad quam fiat adoratio, manifesto liquere: Nihil habere rationem sacramenti extra usum divinitus institutum. Eccius vero, cum quo vel averteret vel excuteret tantum ictum, tam improviso & tanto impetu illatum, subito non reperiret, furere, fremere, extrema minitari omnia, & se vel ad ignem usque pro missa propugnaturum exclamare coepit. Granvellanus vero ingenti ira incensus nihilo mitius in Melanthonem invectus, & atrocissima comminatus, Imperatorem, subeat, citius omnia regna sua in discrimen positurum vel et amissurum esse quam passurus sit, ut vel labefactaretur autoritas missae

quae

quae sit cor Imperatoris, quam qui attingat illum tangere pupillam oculi eius:
vel pro idolatris ipsi ut accensentur aut traducantur. Errasse nos inquit &
abusus habuisse multiplices libenter confitebimur, idolatrae esse nolumus. His
motibus dirempto certamine eo die discessum est: nec redijt ad disputatio-
nem deinceps Eccius, qui ira & indignatione aestuans cum apud Episcopum
Moguntinum multo se vino Italico ingurgitasset, ardente febre correptus gra-
viter usque ad exitum comitiorum decubuit. Inopinato prorsus Eccium
haec obiectio oppressit, quam non legerat antea in scriptis Philippicis, nec
providere vel praecognoscere potuerat. Quod igitur penitus exarmatus nihil
arripere subito posset quo se utcunque tueretur, vel quo saltem ictum decli-
naret, actus in furorem deformi tumultu colloquium diremit. Lutherus
cum ad eum haec fundamenta Melanthon e comitijs perscripsisset, tanto
exilijt gaudio, ut qui spectarunt praesentem asseveraverint nullo unquam tem-
pore se laetiorem eum vidisse, saepe exultantem & iterantem atque ingemi-
nantem has voces, Macte virtute & pietate Philippe mi: Tibi debetur
gratia, qui potuisti pontificijs sacramentum adimere, quod ego minus
tentare vel aggredi sum ausus. Imperator Carolus & perculsus & offen-
sus graviter quod in caput religionis pontificiae Melanthon tantum vul-
nus tanto impetu inflixisset, graviter succensere ei cepit. Accesserunt &
malevolorum delationes quibus calumniati sunt Melanthonem quod a
legato Gallico invitaretur, & fiducia Gallici patrocinij aut perfugij quod

tunc opere

tantopere fereret: Compertum enim esse legatum Gallicum cum solo solum ser-
mones habentem arcanos. de his & suspicionibus & calumnijs Melanthonem
se accurate purgare Imperatori oportuit. Quod autem eo tempore gratia
& autoritate ualeret apud Carolum Philippus Hassiae Landgrauius: hunc
per Londinensem Episcopum è Dania exulem, in suam Imperator pertrahe-
re sententiam conatus est, quod ille ubi animaduertisset, Melanthonem se ut
instrueret ad colloquium cum Londinense petiuit. Praescripsit itaque Me-
lanthon Landgrauio argumenta aliquot & rationes quibus edoceret & con-
uinceret sacrificium Missae, repositionem & circumgestationem, adorationem
consecrati panis tetram esse prophanationem Coenae Dominicae. Argumenta
haec fuerunt. I. Tum fit sacramentum, cum omnes causae concurrunt, & ser-
uatur intentio eius finis qui institutus est, consequendi. Ut si quis ute-
retur baptismo magicè, pro morbi alicuius depulsione, jam non esset baptis-
mus. Coena fit tantum ad sumendum. Ergo tunc tantum est Sacramentum
cum accedit sumptio. II In Sacramentis debet esse certitudo: In actione tan-
tum est certitudo. Ergo tutissimum est actione contentum esse. III Praesen-
tia est voluntaria, non est conversio Physica, aut localis inclusio. Ergo est
actionis praesentia. IIII Deus non est alligandus ubi seipsum non alligavit.
Christus non alligavit se ad Sacramentum extra usum: quia adest propter hominem
non propter panem. V Textus dicit: Accipite, Manducate, Hoc facite. VI
Christus adest hominis causa non propter panem. Verba non recitantur propter
panem

panem, sed ipso auditorum. VII. Sacramentum constat verbo & signo, q in usu non debent dividi. fit divisio, cum panis datur sine recitatione verborum, sine concione. Ergo est abusus. — His popularibus argutiis Landgravius praemunitus Londinensem ita accepit & repressit, ut fateri sit coactus se, quamquam sit Episcopus, non tamen intelligere has tantas res, nec habere quo redarguat sibi obiecta, sed oportuisse se mandatis acceptis satisfacere, velle se de his cunctis Imperatorem edocere. Quod igitur nonnulli institutam de contro-versis capitibus collatio & de hoc ingenuis successum optatum adipisceretur, & majorem inclinationem suae causae Pontificij metuerent si disputatio, ut cepta erat, pertexeretur: quaesiti sunt praetextus eam abrumpendi. Me-lanthon vero reversus Witebergam haec fundamenta paulatim magis illus-trabat docens ac disputans in Academia: Luthero non modo non adversante aut prohibente, sed maxime probante, quod eo esset ut dixi ingenio, ut placide tradentem meliora Veritatis studio, etiamsi dissentanea suis essent, facile tamen tolerare posset. Post haec comitia idem Landgrafius, qui & controversiae fundamenta mediocriter perdidicerat, & Helveticam gentem Smalcaldico foederi coniungere cupiebat, operosius quam antea laborabat ut jac-ta concordiae fundamenta firmiori nexu solidarentur. Quod ergo sciret Helvetios nimis elevationis, quam Lutherus eo usque conservarat, & pronun-ciationem verborum foederi inter distribuendum offendi: non destitit instare apud Lutherum donec perficeret utrumque & ut verborum pronunciatio in

termitte

termitteretur, quum ab eo tempore Witeberga in usu esse desijt, id est ab anno MD XLIII, & Eleuatio seu ἀνάδειξις abrogaretur, quia alere & confirmare in vulgo opinionem cultus & adorationis videbatur, procidentibus ad sonitum tintinnabuli & pectora mox pulsantibus imperitioribus cum gemitu & suspirijs, ac si eo fine fieret eleuatio, ut ad panem exaltatum in sublime inuocatio dirigatur. Hoc Lutheri factum quod delicatulos in gente Misnica quae recens a religione pontificia ad repurgatam Euangelij doctrinam conuersa erat, vehementer suspicionibus sinistris vellicaret ac pungeret, quasi cum Sacramentarijs ille repudiata veteri sua grauitate & constantia colluderet, sermones mirabiles et judiciorum discrepantia varios admodum peperit. Proferebantur autem rumusculi ex vulgi sermone varij ad Lutherum, quibus, ut erat animo magno, non valde afficiebatur, etsi nihil impatientius ferret quam quae autoritati suae officerent aut insidiarentur. premebat tamen & dissimulabat omnia contemptim, donec irritaretur a quodam Medicinae Doctore in urbe Cygnea, cuius nomen erat Stephanus Wildius. Huic propter artem & in medicando felicitatem, magna cum praecipuis ex nobilitate Misnica intercedebat necessitudo: qua occasione cum multum ad hos ventitaret, fiebat ut multorum audiret judicia ac sermones. Is igitur aliquando Witebergae a Luthero hospitio exceptus, cum vino incaluisset, & incautius expostulare cum eo de abrogata eleuatione coepisset, continere se non potuit quin & hoc adderet: communem judicium esse praecipuorum ordinum & hominum quod in Heluetiorum sententiam concessisset, & in illorum gratiam mutationem hanc fecisset.

Istae

Ista voces adeo pupugerunt Lutherum, ut non potuerit quiescere prius quam
hanc de se suspicionem scripto publico hominibus eximeret, et autoritatem
vindicaret suam: occasione et argumento sumpto à Swenkfeldio. Nec incitato-
res deerant qui oleum igni adderent. Interfuit convivio Melanthon, et acce-
dit ingenti cum dolore animi, quia et Luthero à commotione metuit et prospe-
xit eventum. Quod ergo Lutherus esset vehementer inflammatus, vehemen-
tius etiam stylum in antagonistas strinxit, non tam de reipsa disputans quam
quod acerbe exagitaretur queerens. His occasionibus malum bene con-
ditum tot annos pene que sopitum recruduit, Luthero bellum hostilius quam ante
renovante. Ingentem haec belli tam diu intermissi instauratio dolorem Me-
lanthoni attulit, quod literae eius ostendunt ad diversos scriptae: Sed ipsum
sui quoque domi certamina occulta exercuerunt, non absque periculo. Alla-
tae fuerunt eo ipso tempore pagellae ex Pannonia, quibus Melanthon suam
non nullis sententiam aperuerat, quas cum interrogatus à Luthero, agnoscere se
respondisset, Lutherus incanduit, sed se reprimens tacuit. Quod metue-
ret autem Melanthon ne aula vel à Luthero concitata, vel alioquin sua
sponte efferata vehementius in se quid statueret, cum eousque fama dis-
sidii inter ipsum et Lutherum jam percrebuerat, ut pro concione occulti nota-
retur, discedere Witeberga, comite D. Casparo Crucigero constituit, qui socius
ut sententiae erat, sic et periculorum atque exilii esse cupiebat. Sed Lutherus
re intellecta mox famam compescuit, et cum Melanthone ad se accersito
in eas

in eas transegit leges quas supra recensui: Causa, inquiens, haec mea est quam tue-
bor sine te, Tu maneas sane in sententia contraria, si veriorem esse iudicas: Nec
mihi tuo vel auxilio vel patrocinio est opus. Etsi autem quievit post hoc cum
Melanthone pactum, & post ultimum illud vehemens scriptum: non obscure tamen
& metuere & diffidere Caesari suo visus est. Ambsdorfio .n. quem incitatorem
habuit praecipuum, anno ante mortem hortanti ut ad certum & conscriptum formu-
lam adigeret & collegas & caeteros pastores, respondit: Litem hanc suam esse, cui
invitum neminem velit implicari, Si quid tale tentaret, plures fortasse adver-
sarios quam suffragatores, et posteriora prioribus futura deteriora. Constitutum
erat eo ipso anno, ut Melanthon mitteretur ad postremum ante bellum germani-
cum Colloquium, quod Ratisbonae Carolus, Experiundae Conciliationis causa, denuo
magno gravique consilio ante futura comitia instituerat, misso eo Malvenda Hispano.
Hoc consilium Lutheri & Ambsdorfij suasu mutatum fuisse rumor erat non
obscurus: quod Melanthoni in Controversia Coenae Dominicae diffiderent. Retine-
batur igitur praetextu Academiae, quod plus navare illi ac prodesse Catechesi
quam Colloquio: Sed sapientum iudicia diversa erant, qui belli non minimam cau-
sam conferebant in hoc ipsum, coniecturis non dubijs, quod Melanthonem Elector Saxo-
niae non adhibuisset. Nam & in Contemptum id sui suorumque & institutae
Collationis traxit Imperator: & ipsi Caesari non parum detraxisse Existimatum
est autoritatis & ponderis, quod qui caput protestantium erat, Theologum
visuque idoneum non mitteret, & iudicatum est praematuram revocationem
Legatorum, in quorum Melanthon ante Caroli adventum, opinione omnium,

Consentiens

contentiosus non fuisset, consilia ab omni pace & concordia aliena prae se ferre:
Quod haec etiam animum Imperatoris grauiter admodum commouerint, certo,
rum hominum iudicio cognoui. Sed de his alibi. Interea Lutherus moritur. Post
mortem eius certamen bello Germanico obrutum ac sopitum, quieuit aliquandiu silenti-
bus aduersarijs: Et exercuerunt Saxonicas Ecclesias à bello noua certamina de
veste licita commota à Flacio Illyrico: quibus vix sedatis bellum Sacramentari-
um renouauit Ioachimus Westphalus Hamburgensis, anno secundo & quinquage-
simo supra M D: opposita mixta quadam farragine confusanearum & inter se dis-
sidentium opinionum de Caena Domini ex libris Sacramentariorum, Consensui nu-
per facto inter Heluiticas & Gallicas Ecclesias, Tiguri; Calvini & Bullingeri consilio
& opera: quem consensum cum edito scripto publicum fecissent, Westphalus se v-
num idoneum ratus: sua opinione de scripto: qui cum vel exagitaret vel con-
uelleret, & qui classicum caneret, excitus ad subsidiariam operam seris nouo
bello gerendo, ita stylum in aduersarios strinxit & exacuit, ut deceret sum-
mum scriptoris existimaretur. Sed & multa Luthero prorsus ignota, aliena,
impia, absurda, blasphema miscuit, ut cum corpori Christi tribuit vim &
efficaciam physicam, quod assumptam ita afficiat corpora nostra, sicut vinum cale-
facit: ore blasphemo in ordinem reparationis & saluationis generis humani,
quem arcano consilio diuinitatis institutum in paradiso voce sua filius Dei
protulit: quo renouarit, restituit, viuificarit primos parentes restitutos à
tota rerum natura, nouo & toti rerum naturae contrario modo & ordine.

Excitatum scriptis Westphali incendium tale late diffudit et multa regna, multas pro-
vincias corripuit ac turbavit. Tot autem scriptionum velitationibus agitatum est
ac ventilatum, ut magis et ferventius studium partium in hoc certamine conspectum
fuerit antea unquam, praesertim cum interim mitterentur ex Anglia exules, postquam Edo-
ardo rege mortuo soror Maria occupato regno pontificiam idolomaniam restituisset.
Spectabat haec certamina ingenti cum dolore Melanthon et cum aliud facere nihil
posset, saepe provocatus multoties deplorabat ea querelis, de quibus supra diximus,
gemitibus, ac suspiriis assiduis ac profusis lacrymis: et detestabatur malitiam
petulantiam et audaciam tanto conatu contradicentium manifestae veritati. Augeba-
tur dolor conspectu saevitiae et tyrannidis quae in Gallia, Anglia et Belgio crasse-
batur quotidie et horribilium suppliciorum exquisitis cruciatibus exasperabatur, ac-
cedebat saevitiam clamoribus nostrorum qui Diaboli martyres appellabant eos qui
supplicia subibant ac perferebant constanter, quod idolum missae abominarentur.
Non intermittebat tamen quicquam eorum domi (cum scriptis suam sententiam tes-
tari non auderet) quae facerent ad fundamenta missae et demonstranda et expli-
canda adolescentibus in schola, quibus effectum hoc est, ut magnus numerus au-
ditorum recte institutus perveniret ad veritatis cognitionem. His annis aliquoties
saepenumero audivi Dominum Morlinum hortari Philippum, ut suam et ipse faceret de
hac controversia sententiam publicam ac posteritati testatam: faciam hoc, inquit,
sed me ex his terris dimittite. Morlinio rursus urgente: Quibus de causis non
tum id facere in hoc loco et statione tua, et cum eandem fructuosius potestate
&

et illustratae veritatis his terris inuideret? respondit, Ecclesiā certo scio veritatis
defensionem in hoc articulo vos toleraturos non esse: Malo itaq rem non inchoare
quam inchoatam de manibus deponere, iussu vestro. Dimittite me igitur: dimittite me
propter Deum. Sed obtinere non potuit ut disserendi ei potestas fieret. Multum
profuerunt tamen, ut dixi, illustrationi & propagationi veritatis saepe & ad quas-
cunq occasiones cum repetitae in schola declarationes, tum passim scriptis publicis
insertae: Nam adolescentes inde haustis primis initijs, paulatim progressi sunt
ulterius, adiuncta lectione disputationum copiosarum. Isti enim conflictus scrip-
tionum ex diversis locis & regnis cum orbis angulos compleuissent, fama dogma-
tis contulerunt ad hoc ut curiosius in omnia scripta inquireretur, ut legeren-
tur diligentius, ut contraria iuxta se posita magis enitescerent, ut veritatis
splendor praefulgeret, & in plura ut propagaretur regna, accensis mirifico stu-
dio animis hominum, & mirifica cupiditate cognoscendi de qua re certamē
esset: Contraria vero sententia ut seipsam sua infirmitate infringeret &
elideret, ut sponte marcesceret, cui quod praevaleret veritas. defensores testimo-
nijs Evangelicis & Ecclesiae veteris destituti subsidio, ad usitata malis causis
tandem decurrerunt praesidia crudelitatis, ut non tantum damnarent exter-
nos, sed & domi ut gladio magistratus crescenti malo occurrendum, carceribus
id coercendum, exilijs id avertendum, supplicijs denique extirpandum esse, si
aliter reprimi & extingui nequiret, clamarent. Tanto cum certaretur
studio partium, & qui Lutheranum tuebantur, niterentur fundamento & argu-
mentis

mentis inferiores esse Antagonistas, eo ipso quia retinerent articulos Symbolj de
incarnatione filij Dej, de ascensione in cælos de sessione ad deXtram patris, si-
ne allegoria, sicut sonant: Suevici Theologi labascenti & inclinanti causæ novo
subsidio opitulaturj, Vbiquitatis commentum produxerunt, occulte initio, clam
Melanthone vivo, sed ita tamen ut à Colloquio Wormatiensi manifestius erumpe-
ret. Ac primum se aperuit Brentius in eo Colloquio quod cum Ioanne Lasco
Polono habuit coram Duce Wirtebergico, in quo conclusus undique à Lasco, & in
angustias redactus extremas prorupit in hæc verba: Christum non verum & na-
turâ hominem fuisse, sed φαντασίᾳ tantum: Nec vere passum & mortuum esse
sed ita natum hominem esse, ut humana natura in assumptione sit exæquata in
omnibus naturæ divinæ: et ubique præsens esse cœperit cum eadem, non in hōie
tantum, sed quovis ligno, lapide, animante. Nunquam tamen hoc portentum
Melanthone vivo publicum fecit, & in conventu Wormatiensi ad me id etiam
dissimulabat, cum me multi rogarent & obtestarentur verbis; Melanthoni ut
persuaderem, de hoc articulo sessionis filij Dej ad deXtram patris ut suam e-
deret & proponeret confessionem ijs qui Colloquij causa eX nostris Ecclesijs con-
gregati erant: Se daturum operam, ut de ea efficeretur consensus. De hac
Brentij petitione cum retulissem ad Melanthonem, recusabat quicquam scribere
alijs de eo quod in communem deliberationem non adductum prius esset, & de quo
religiosorum nondum cognovisset sententias. Addebat, non se ignorare diversam
à sua esse Brentij sententiam, de qua securum illum non esse, aut pertinaciter
etiam

etiam pugnaturum esse dixit. Vidisse n. se gustum iam illius quo faceret idiomatum communicationem geminam, Dialecticam unam, Physicam alteram quae sit reipsa naturarum confusio Eutychiana. Huic se adversaturum et repugnaturum quoad vixerit. Si sponte sua quid faceret, aut sine mandato, aut sine communi decreto: reliquos in eam id acceptiuros esse partem, ac si tanquam Dictator conaretur ferre leges et condere dogmata, quae illi cogerentur amplecti: Inde exoritura esse maiora dissidia, quibus causam praebere non velit. Satis esse discordiarum in Ecclesia et ante oculos, et in conspectu esse recens vulnus, quod discessu suo inflixerint Ecclesijs nostris Thuringici. Talia vulnera cum sanare, non lacerare aut exacerbare cupiat, quantum in se sit, multo minus se nova illaturum, aut his inferendis causam praebiturum esse. Quid, inquit, proficero, si quid composuero? an plus quam ea formulae quae testimonium confessionis nostrae esse debuit? quam propter solam Osiandri mentionem Wirtenbergici repudiarunt. An existimas aequiore iudicio et animo accepturos esse, si quid ab istorum opinionibus diversum ac discrepans scripsero? Ita nihil tum effectum est, et paulo post, congressu theologorum dissoluto, incendium illud novo ubiquitatis portenti excitatum magis magisque exarsit, ut coactus fuerit Melanthon testimonium de eo suum posteritati relinquere quod in calce libelli oppositi impiae inquisitioni Bavaricae extat. Illud quomodo sit acceptum post referam. Advenerunt eodem tempore Wormatiam legati missi ab Ecclesijs reformatis in Gallia, Beza, Budeus et Viretus qui à

theologis

qui à Theologis petebat intercessionem supplicem ad Regem Henricum pro non nullis qui religionis causa in vinculis erant, jam rogo destinati. Ad eos so-lus Paulus Eberus Melanthonis collega et frequentius & familiarius com meare, cumque his absque metu ullo versari, de dogmatibus conferre, quod item cum illis se sentire prae se ferret ac profiteretur, tanta libertate fuit ausus, ut Beza Melanthonis nimiam timiditatem prae gravitate & constantia intrepidi animi in tam pusillo homine vehementer reprehenderet atque culparet. A me etiam tunc admonitus de hac libertate: Cogit me, inquit, testimonium consci-entiae meae quod in corde habeo, ore profiteri, & externo gestu ostendere. Non ignorabam autem quod & scripta illorum legisset diligenter, & sententiam esset complexus, sed unde eum tanta religio incessisset quem timidissimum alioqui esse sciebam mirabar, & insidiose aliquid occultari verebar. Sed ille se indies audacius gerebat & declarabat constantius adeo, ut cum universis nobis domum à Collegio sufficeretur in locum pastoris Ecclesiae Witebergensis Dni D Iohannis Bugenhagij pastoris Diaconis autor esset suis inquirendi & cognoscendi verita-tem, & unum ex illis M Ioannem Sturionem veritatis admodum cupidum incitaret atque confirmaret vehementer. De quo autem eorumque Melanthon nihil tam erat quaestus, quam quod socium & συναγωνιστὴν pium, doctum & fidum nullum haberet, quo cum sententias de hac puteolum controversia, & consilia commu-nicaret sua, uti facere erat solitus cum Doctore Casparo Crucigero, quem saepe cum multis requirebat lacrymis: id sibi offerri darique ab Ebero, quem

existimat

extulerat ad hoc omne quod erat lętabatur: sed ita tamen ut cum callidis-
simo cum acri & doctissimo ingenio nosset, quantum ei fideret semper dubi-
taret, & nonnunquam etiam cum gemitu querelas insidias se metuere. Interce-
debat biennium & paulo amplius inter Melanthonis ex Wormatia reditum
& mortem eius. Hoc biennio adversa plurima pertulit, Brentiano commen-
to indies vires acquirente, cui, etsi occulte adhuc serpebat: tamen quin sese
minime opponeret, facere aliter non posse aiebat, eo quod, Evangelicae veritati
et toti puriori antiquitati adversum penitus, destrueret fundamentum salutis
humanae unicum, doctrinam nimirum de unione hypostatica duarum natura-
rum in Christo, & totam alteram partem symboli Apostolorum de proprietate in
Christo naturae humanae, & de officio Mediatoris, denique de beneficiis omnibus
filii Dei, quae ut verus Deus & homo in una persona secundum naturam u-
tramque confert & exhibet generi humano, & praestat adhuc quotidie, regnans
ad dexteram patris, intercedens pro nobis, colligens, protegens salvans & servans
Ecclesiam omnipotente dextera, depellens Diabolos &c. Sed & quantis arde-
rent dissidiis Ecclesiae nostrae considerabat, & cum vetere amico suo senior
ipse digladiari, cum Ecclesiae discrimine grave ducebat. Quin ederet tamen
iudicium suum de duplici quae spargebatur communicatione Idiomatum, Dia-
lectica & physica, non multo ante mortem in Bavaricorum articulorum refu-
tatione praeterire non potuit. Eo offensus Brentius incitavit Generosum Dnm
Iohannem Ungnad Baronem, ut scriptis ad Melanthonem literis, cum

eo

cum eo expostularet acriter de Brentio iniuste perstricto: cui ita respondit Melanthon, ut non obscure ostenderet se, si perrexisset suâ Brentius tueri, talis viribus adversaturum. Sed et aula Saxonica Witebergicis consilijs irritata durior esse & iniquior Melanthonj videbatur, quod nonnullis ante mortem septimanis deflebat vehementer, praesagiens fortasse id quod nobis posteris evenit.

Circa idem tempus, propemodum, proximo ante mortem anno Inclytus princeps Fridericus palatinus ad Rhenum, Sacri Romani Imperij Elector et misso secretario Stephano Cirlero cum literis & mandatis petebat à Melanthone & judicium de hac controversia & consilium quomodo excitatas statim initio suae gubernationis turbas propter hoc dogma sedaret, ne conscientiae & simul ecclesiae teneriae ferali certamine, & implicito dissidijs prius evertrentur quam quae sit veritas audivissent. Et ita respondebat, ut & sententiam de controversia ipsa explicaret suam citra ambiguitatem ullam aut obscuritatem, & consuleret utrique parti silentium ut imponeretur, cui qui non pareret eum dimittendum esse, ne vulnera recentia maioribus tumultibus exacerbarentur. Propter hanc epistolam Heshusius Melanthonem mortuum crudelissimis laceravit, sanneque discerpsit modis conviciorum: quibus opposuit Clerus Melanthonis defensionem, non suscepto tamen causae patrocinio, quod de ea vel pugnare vel contendere sciret non fore tutum. Etsi autem nemini dubium fuit, ne quidem inter adversarios pontificios & Flacianos quam tenuerit pro vera sententiam Melanthon, & Flacius beneficij loco saepe exprobrat ei quod pe

pepercerit nomini Melanthonis in causa Sacramentaria, qui si urgere perre-
xisset, facile eum ad integram Confessionem edendam permouisset, Deniq sa-
tis id docent omnia eius scripta: tamen utile fuerit extare duas eius epistolas
unam, hanc ad Palatinum Electorem, alteram quam scripsit ad Clarissimum
Virum D Iohannem Cratonem, sacrae Caesareae Maiestatis Medicum. Earum
pridie quam moreretur ad me faciebat mentionem, cum ueritatem in causa hac,
ex plurimis colloquijs nostris, scriptis suis, & his epistolis accurate mihi com-
mendaret, & in hac uera sententia me confirmaret. Eo die etiam testa-
menti sui scriptionem inchoans. Si me uires inquit non defecerint, relin-
quam etiam testamento repetitam atq. explicatam sententiam meam. Quod
si prius defecero quam testamentum absoluero: sufficiant uobis scripta mea &
hae duae epistolae, praeter ea quae saepe uiua uoce priuatim & publice tradidi.
Ea certo scio uera esse, quantumcunq carpantur & conspuentur ab alijs, nec euerti unquam
poterunt. Non ulla autem alia de causa sese repressit toties suggil-
latus & prouocatus quam quod uidebat propter Lutheri nomen & autoritatem,
omissis hostibus omnibus in se unum omnes alios mordicus irruituros, & quae
fuerant optimo rectissimoq studio ueritatis explicandae asserendaeq, ea calumniosis-
sime deprauaturos & uirulentissime exagitaturos esse, ac si insidiaretur
famae & existimationi Lutheri, & fidem eius conculcaret. Id certo sciebat
hostes suos facturos esse, quos norat alioquin immani & implacabili odio
sui flagrare. Ac saepe palam profitebatur nullis se absterreri peri-
culis

culis, nullis odijs privatis, quae vellet Deo commendare. Scandalo calumniarum
territum se moveri propter hostes utrosque, domesticos Flacianos, et externos pontificios.
propter haec se hactenus ex professo tractare controversiam hanc noluisse: Sa-
tis se tamen et scriptis publicis, et privatim, et praelectionibus testatum fecisse
et reliquisse, Utra sit Veritas. Hac de se ignorari Melanthon noluit: Nec
usquam in omnibus eius scriptis reperitur ulla mentio corporalis praesentiae in
symbolis, aut manducationis oralis, aut copulationis physicae corporis et sangu-
inis Christi cum symbolis. Magno studio enim hos loquendi modos, ut
et a rei veritate, et a consuetudine priscae Ecclesiae alienos vitavit et fugit.
In sola Apologia Confessionis Augustanae semel fit mentio corporalis praesen-
tiae: quem locum cum ei Brentius Wormaciae obijceret, Scio inquit quod
ibi extet, sed non extare malim, et exemplum nullum: nunc mutare mihi
non licet. Cumque Brentius instaret similes formas legi in nonnullis Vete-
rum etiam! Quales illa sint, respondit, et quomodo a Veteribus usurpentur
ac quo sensu optime novi et memini, Nec aliter quam participatio naturalis
a Cyrillo: physicae autem et corporeae et orali manducationi corporis Christi,
Veterum nemo patrocinatur. Magno iudicio ergo, ut dixi, cavit Melan-
thon ne impingeret in scopulos corporalis praesentiae et manducationis. At
eam excludendam ita loqui solitus est: Substantialiter et vere adesse
Christum Sacramento suo, et vere efficacem esse per Spiritum Sanctum.
Adverbijs: substantialiter et vere: usus est ne cogitet lector panem et
vinum

Vinum in sacramento esse nuda, inania & otiosa symbola Christi absentis, sed
non ore excipitur aut dentibus conteritur corpus Christi; sed a Christo ad
hunc destinata & consecrata esse usum, ut dicit per verbum, sic per haec symbo-
la ipse vere praesens et efficax in vero & legittimo eorum usu se credentibus
communicet, & sibi insertos atque consociatos fide faciat vera & viva sui corporis
membra. De hac vera praesentia & efficacia contra falsam persuasionem ca-
lumniantium symbola evacuari, nisi fiat alligatio corporis & sanguinis ad pa-
nem & vinum: contra hoc igitur testari his vocabulis; vere & substantialiter,
voluit, ne quis commentitiam aut imaginariam praesentiam fingi suspicaretur.
Ac diserte usi voluit nomine concilii: Christum esse praesentem, qui secun-
dum naturam divinam ubique est, ne quod divinae naturae proprium est,
humanae, & corpori Christi tribuere existimetur: Corpoream enim & physicam
praesentiam statuere nullam voluit, quod nullam talem tradant vel ad-
mittant testimonia evidentia scripturae, proprietates naturales veri corpo-
ris Christi ac vere existentis, & consentiens authoritas purioris Ecclesiae.
Idcirco semper has regulas adolescentibus solebat inculcare: Sacramenta
actiones esse institutas divinitus quibus addita est promissio. Nec esse
tantum actiones externas, ut cum ore sumitur panis aut vinum, sed inter-
nas, ut cum in usu panis & vini vero & legittimo fide intus fit commu-
nicatio corporis & sanguinis Christi, & omnium beneficiorum Christi appli-
catio. Christum enim non adesse propter panem, nec pani sese communicare

sed

sed propter hominem, & homini sese communicare: Nec faciendam esse alliga-
tionem ad panem, nec in pane quaerendum esse Christum, sed in pectoribus nostris,
ubi sit efficax per spiritum sanctum, & nos nobis copulet atque consociet fide, suo
corpori, in usu symbolorum à se ordinato & instituto. Haec omnia cum
in Melanthonis scriptis sint luce meridiana omnium clariora: quo ore &
qua audacia Impostor Crellius contrarium ei tribuere? qua scelerata impu-
dentia & malitia fingere audet quod ante mortem contrarium ex eo audiue-
rit? Quae fuit unquam necessitudo Crellii cum Melanthone tanta ut se pectus
intimum Melanthonis perspexisse gloriari non erubescat? Nunquam Me-
lanthon cum Crellio communicare solitus est quicquam: quod tam certo scio
quam certo scio Deum esse & vivere. Et tamen autorem allegare vel appro-
batorem suae sententiae non veretur. Increpet in te Dominus Sathan. Tua
te mendacia redarguent: Tua scelerata, impia & blasphema consilia in tuum
recident & redundabunt caput. Ulciscetur te praecursor & hospes ultimum
tuarum Daemon, qui te cum antevertisset, turbatis rebus tuis, postea
in te invasit, & te obsessum incitavit ut optime constitutam & omnibus
rebus florentem Academiam everteres & dissipares. Cum venali animo, lingua,
calamo, omni tempore inflexisti opiniones ad affectus eorum a quibus pre-
cium sperasti & mercedem impietatis: cui religio omnis prostat, & in
quaestu pro meretrice sedet. Sed desino: Tua te prosequentur & ulciscentur
furiae sauciatae conscientiae vindices, & blasphemorum consiliorum atque cona-
tuum.

tuum ultrices, qui quicquid facis contra conscientiam facis. Omitto te itaq. ad institutam narrationem revertor. Mortuo Melanthone, Brentius Ebero & alijs bellum denunciadat, mittit ad aulam Saxonicam Electoris magnis voluminibus, quibus tuebatur suum de ubiquitate commentum: sed restitit tunc Eberus acriter cum suo collegio, in quo tunc fuit & Crellius. Quod autem à Brentio & alijs adducerentur in suspicionem, ac si de sacra coena non idem sentirent quod Lutherus: Aula theologos academiae utriusq. acceritos voluit re deliberata scriptum componere, quo suspicio haec dilueretur & ab his tueris amoveretur: ea res Eberum ut multi norunt, valde perturbabat et angebat, Ideirco nunc hos nunc illos accersebat, consilium expetens quid faciendum foret, si iuberetur contrarium scribere aut profiteri ei sententiae quam certo & indubitatè veram esse cognovisset, & cuius confessionem sine vulnere conscientiae abiecturus non esset. Sunt in vivis ex illis adhuc aliquot: non multi in Domino obdormierunt. Vocabat & me pridie eius diei quam iter ingrederetur, & quid consulerem rogabat. Teipsum inquirebam, & conscientiam tuam cum mora & ardenti Dei invocatione ut consulas necesse est. Consultius tecum certò ante omnia utrius censeas sententiae fundamenta veriora esse ac solidiora! & in ea te regi atq. confirmari petas à Spiritu Sancto. Aliud quod consulam non habeo. At vero, inquit ille, iam necum in dubitato constitui, alteram illam Helvetiorum sententiam quam Lutheri firmiorem esse, & firmioribus niti fundamentis: propterea in hac persistere decrevi,

quinq.

quaecunque evenerint: Delegi iam locum exilij, Neque ad exilium tantum paratus sum, sed & ad regnum si sit opus. Hac mihi verba Eberum dixisse pridie antequam iter ingrederetur Dresdam profecturus ad eam deliberationem, in qua subito sententiam mutavit, Deus novit: Nihil mentior, nihil fingo. Eodem tempore Doctor Maior de sua quam Dresdae editurus esset Confessione requirebat judicium meum, quam cum legissem, subijciebam: Si animo ad exilium perferendum paratus es, nihil obstat quin mox exhibeas eam; Si exilium refugis cogites prius quid facias. Ubi ergo exilij a me mentio facta esset, ille mox resiliens: Neutiquam, inquit, eam in manus Electorisque pervenire sinam. Cum Crellio mihi familiaritas numquam intercessit: Idcirco quae ille tunc dixerit & fecerit, cum ipse ea non audiverim, referre supersedeo, sed Eberi & Maioris consilijs & sermonibus non fuisse dissimilem conijcio: Ea vero narrent alij qui sunt conscij; Ego quid narrare possim de Vertumnis & Protheis, & Cerebolo, qui in horas & momenta se mutarunt, Et cum articuli condendi essent, saepius interrogare solitus: Hoc ne, vel illud, vel aliud vellem? paratum scilicet se esse ad omne opinionum genus defendendum. Sed redeo ad narrationem. Profecti igitur hi tres Dresdam cum ante iter illud recte & constanter sentire de Coena Domini, & nulla pericula extimescere, fortes ante complurium nulla reformidare odia vel exilia subiri vellent, mox uno momento mutati repudiato eo quod pro vero ac certo habuerant amplexi sunt contrarium: non alijs ut scribant impulsi caussis, quam metu exaggeratorum periculorum, ne odia conflarent nova aut bella his terris attraherent. Liberaverunt ergo

suspitione Academiam, cum iactura abnegatae Veritatis contra conscientiam. De-
fectio haec sui pastoris insperata prorsus & inopinata Diaconum illius M Stürio-
nem adeo perculit, ut maerore confectus non multo post moreretur, nec ad pas-
torem morbi & mortis suae causam esse dissimularet hanc ipsam defectionem ab
ea sententia, in quam primus ille ipsum induxerat sua voce & authoritate. Ex
hac mutatione liber Eberi natus est, quem ille contra conscientiam temere
contextis undiq male cohaerentibus lacinijs consarsit in eam sententiam, ut
nec Flacianis satisfecerit, & in Wirtebergicos impegerit, sed ab Helvetijs dis-
sentire praecipue voluit videri. Cepit ab ea mutatione Eberus me et alios
quosdam odisse, nulla tamen lacessitus culpa nostra, & a me multos bonos
viros alienavit: imo me apud principes quidem mihi praepositi, sed quos potius in
me concitavit, de qua re cum eum, adhibito teste D Maiore compellassem &
ostendissem me nec posse ea facilitate agnitam veritatem abijcere qua ipse ab-
iecisset, tacuit prorsus, ita consternatus ut exanimi similis videretur.
Pridie tamen antequam moreretur & nocte quae intercessit & tota illa die me
aliquoties vocavit. Cum accessissem cupere se quosdam mecum loqui ostendebat,
jubebam ut se colligeret, quod vires admodum jam deficerent: aliquoties conan-
tem ordiri sermonem vires destituerunt. Ita quid fuerit illud de quo me
compellare cupierit, cognoscere non potui. ~~Hanc~~ de Melanthone
narrationem posteris meis contexui, ut habeant quod impostoris Crellij men-
dacijs & aliorum figmentis opponant. Optima fide scripsi omnia. Dis-

cessit

cessit ille à Luthero coactus euidentia Veritatis, cui refragari pertinaciter studio ani-
mi fuisset blasphemia in spiritum sanctum, sicut saepe dicere solebat. Saepe etiam
lapsus suae imbecillitatis deplorabat vero gemitu, quod in hac tanta re non praesti-
tisset quantum debuisset, & se in Veritatis propagatione impeditum fuisse aula-
rum iniurijs vehementer querebatur. Desinat igitur inter se Lutherum &
Melanthonem hac in parte conciliare impostor Gellius, qui neutrum sequutus,
& suum quoddam sibi fabricat vel somniat potius dogma, de quo judicium ne
non facio, qui hoc tantum ago ut extet testimonium de Melanthone meum;
quando, & quibus de causis sententiam Lutheri de sacra Caena repudiarit, & alte-
ram veriorem sit amplexus, ab eoq. tempore quo praetulit alterum, quanto
studio hanc ornare & illustrare, ac Lutheri sententias horridiores moderari
quomodo sit conatus: sparsim tamen eo quod propter Lutherum ex professo ar-
gumentum illud tractare non auderet. Nec moror judicia profanorum,
qui me execrabuntur quod Calvinistam ex Melanthone faciam: At recte
judicantes respicio. Veritas dicenda est, vel si fractus illabatur orbis. Si reticu-
erit ab hominibus, lapides loquentur in horum condemnationem. Scriptum est:
Non dices falsum testimonium: non debui itaq. probare tacendo mendacia al-
terius: Nam & hoc est falsum testimonium dicere, non refutare mendacia.
Et si autem occupatis fascino erroris, scio esse narrationem hanc displicitu-
ram: Deo tamen quod grata sit, & veritati necessaria certus sum, et defen-
sionem pijs manibus soceri debeo. Sed et longe gloriosius erit Melanthonj

ad

ad posteritatem quæ candidius iudicatura est, quod pro Veritate steterit & hanc propugnarit, quam si dicatur astutis elusisse præstigijs, aut sycophantia pressisse Veritatem metu, ambitione, auaricia, & stabilijsse horribilia idola pontificia, tetras profanationes Cænæ Dominicæ, abominandum errorem & execrandum de opere operato, tetras blasphemias Nestorij & Eutychis quæ renouantur & pro fundamentis impiæ doctrinæ habentur. Nec, si nunc maxima multitudo in his tantis fascino superstitionis dementata aut aduersatur, odit, & persequitur Veritatem cæcitate affectata, quia audire & cognoscere eam recusat; aut Melancthonem & me diris execratura est, propterea deseri Veritas & prodi debet. Vincet hæc tandem & triumphabit, filio Dei in suis infirmis organis ostendente robur & potentiam suam, nebulasq. & caliginem errorum discutiet, Nec præualebunt contra eam portæ inferorum. Tuæ vero beatæ & sanctæ animæ, mi Philippe, gratias actura est in hac Vita & tota æternitate, grato ore & pectore frequentissima schola Auditorum tuorum, qui te magistro, duce atq. interprete, viam Veritatis ingressi didicerunt verum à falso, commentitium à fundamento discernere, & ex te cognitam Veritatem communicatione liberali cum alijs late sparserunt & propagarunt. Hi non ex multitudinis errore, sed sinceriore suo iudicio tuas laudes canunt & te celebrabunt: Obtrectationes, calumniæ, conuicia hostium regni, gloriæ & veritatis filij Dej ut fumus dissipabuntur & euanescent. Nemo te melius: Nemo te plenius, nemo

te

te sanctius docuit & de vero legitimoq. usu huius sacramenti, & de vera

presentia filij Dej cum in toto ministerio, tum in hac ipsa sacratissima

cœna: in qua tu semper complexus es utrumqz; Christum ipsum per Spiritum

sanctum nos suo inserentem corpori, & applicationem beneficiorum atqz obligationem

quae in sacramento fit fide. Etsi itaqz in odio nunc est no

men tuum apud hostes veritatis: et plerumque nunc etiam qui tua sancta

vestigia secuti sunt, inimicas repetitas voces tuas: Non opprimetur tamen,

Nec delebitur veritas patrocinio filij Dei immota & invicta. Propterea

nec tuum nomen obruetur in aeternum; nec nos periclitantes deseret

aut destituet filius Dej, nec eripi nos sinet ex manibus suis, sicut

certo se facturum promisit: Sed & veritatem servabit, & nobis oppressis

opitulabitur, & liberatos secum coronabit honore & gloria sempiterna.

O Jesu Christe fili Dej, προσδεξαι ευχην και ικετας, toto pectore ad te

di gemitus nostros, & da testimonium veritati tuae, declara iudicium te

um tuum illustri argumento, refuta mendacia: destrue regnum, po

tentiam, opera & artificia ac conatus Diabolj: & nos miseros & mi

sere oppressos & afflictos respice, erue, libera, salva & serva ipsi

gloriam tuam, in testimonium veritati tuae. — AMEN

M M

Dieweil Ich auß ernstem beffell Christi, bey verlust meyner Seh-
len seligkeyt schuldig bin die bekantnus meynes glaubens zu-
thun, dieweyll Ich darumb angefochten wurde. Hab Ich mich
gegen und zu sollcher confession gefast gemacht, und dieselbe in we-
nig propositions gefasset. Hete auch verhoffet man sollte die von
mir zu meyner entschuldigung gefordert haben. Weylls aber nicht
geschehen, und Ich schwachheit halber alle augenblick gewarte, wan
mich mein lieber Gott fodern wurdt von diser welt: bin Ich wie-
derumb aus ordnung und beffell Gottes schuldig dieselbe mey-
nen kindern hinter mir zu lassen, damit die noch meynem todt
wissen was Ich geglaubett habe, und welcher meynung Ich gewesen
bin. Habe derhalben meyne confession bey meynem testament
gebunden, verwahret und versiglet. Das letzte theill hett von
wegen kürtze der zeytt nicht konnen ad mundum umbgeschriben
werden.

edit. Même ouvrage cité plus haut.

Rés.

DE DVOBVS CONTROVERSIS ARTICVLIS fidei Christianæ: nimirum, de Christo filio Dei vero Deo & homine; Et de vera præsentia Christi in sacra cæna, cum scriptura sacra, Symbolis, Apostolico, Niceno & Athanasiano, cumq. orthodoxa Ecclesia omnium temporum, hoc sentio, credo, & profiteor. quod paucis his propositionibus ex Ecclesia orthodoxa consensu repetivi.

ORTHODOXÆ ECCLESIÆ DOCTRINA DE unione hypostatica duarum naturarum in filio Dei Domino nostro Iesu Christo: & de filio Dei vero Deo & Homine

1

Firmissima fide, totoq. pectore amplector ac retineo doctrinam Ecclesiæ de filio Dei, vero Deo ac homine sicut tradita est in scriptis propheticis et Apostolicis, comprahensa in symbolis, explicata, illustrata & contenuata tanto consensu inter tanta certamina ac pericula persecutionum, perspicuis Ecclesiæ testimonijs, obsignata tot martyrum sanguine, legibus Imperatorum sancita & stabilita. Et hanc oppono recentibus furoribus Vbiquistarum: Ac vere indubitatoq. ita sentio ac statuo, quod ubicunq. evertitur ac proijcitur hæc doctrina, inde excutitur ac pellitur

Filius

Filius Dei, qui caput est Ecclesiæ suæ, quia super hunc lapidem angularem, super hoc fundamentum Christum uerum Deum & hominem in una persona, extructa est Ecclesia. Quare hoc fundamento diruto ac destructo, corruit ac desinit is cœtus esse membrum Capitis sui Christi, desinit esse templum ac domicilium Spiritus sancti.

II.

Sic docuit autem Ecclesia de filio Dei, quod sit secunda persona diuinitatis ab æterno à patre genitus, ὁμοούσιος seu consubstantialis patri, integra & coæterna imago patris, qui nominatur λόγος, Et quod destinato tempore propter nos homines ac propter nostram salutem assumpserit in Maria Virgine matre naturam humanam integram, constantem anima & corpore, & incorruptam: factus ὁμοούσιος nobis in assumpta natura, sed absque peccato.

III.

Hoc mysterium incarnationis τοῦ λόγου expresserunt Apostoli his verbis: Verbum caro factum est. Assumpsit semen Abrahæ. Deus manifestatus est in carne. Omnis plenitudo diuinitatis habitat in Christo σωματικῶς

IIII.

Ex his uerbis et testimonijs alijs innumeris declarat Ecclesia incarnationem hoc modo, quod sit assumptio naturæ humanæ in Unita-

tem

tem personae: Nimirum, quod huic personae soli quae est λόγος haec massa naturae humanae assumpta unita sit unione hypostatica, ut λόγος gestans ac sustentans hanc massam, & ipsa massa naturae assumptae sit unum ὑφιστάμενον καθ᾽ ὑπόστασιν σύνθετον, ut Damascenus ait

V

Nec sit humana natura in Christo persona aut ὑφιστάμενον per se, sed quod haec persona λόγου assumptam eam sibi univerit, non solum inseparabiliter, sed etiam tali unione ut sit unum cum eo ὑφιστάμενον. Redigeretur enim in nihilum nisi ab eo hoc modo sustentaretur. Ideo ἕνωσιν non tantum esse ἀχώριστον καὶ ἀδιαίρετον sed ὑποστατικήν. Ac veram esse non imaginariam, quod ostensurus Cyrillus ἑνότητα φυσικὴν καὶ κατὰ οὐσίαν: Damascenus οὐσιώδη, τουτέστιν ἀληθῆ, καὶ οὐ κατὰ φαντασίαν factam esse dicit: & quidem εἰς μίαν ὑπόστασιν σύνθετον, id est, in quiddam compositum οὐσιῶδες seu essentiale, in quo sunt duae naturae perfectae.

VI

Cum ergo dicit Ecclesia, λόγον humanae naturae massam hoc modo assumsisse, evidenter cum separat unionem hypostaticam ab omnibus aliis modis praesentiae divinae in creaturis, tum excludit omnes rationis humanae imaginationes, de quacunque, vel confusione naturarum inter se, vel alterius in alteram conversione, vel finiti cum infinito exaequatione: Ac firmiter constanterque retinet in Christo Deo & Homine immotum & ae-

ternum

ternum discrimen inter creatorem & creaturam, inter infinitum & finitu,
inter aeternum & quod esse coepit, denique inter essentiam diuinam & inter
dona diuina communicata creaturis praesertim rationalibus, nimirum as-
sumptae naturae in ipsa persona Christi, Angelis & hominibus.

VII.

Etsi enim Deus totus vbique est, nihil tamen ad Vnionem hypostaticam
humanae naturae cum diuina in Chro haec praesentia Vniuersalis quae est
separabilis, praesentia conseruationis communis trium personarum, neque est
ipsius τοῦ λόγου καθ' ὑπόστασιν. Ea enim adest Deus omnibus
creaturis, etiam malis, sed ita ut conseruet eas tantisper donec vult, &
cum vult destruit, quemadmodum destruxit maximam partem generis
humani in diluuio, Pharaonem in mari rubro.

VIII.

Nihil etiam ad hanc specialis praesentia quae est praesentia inhabita-
tionis, communis itidem trium personarum, qua adest Deus vel beatis
Angelis & beatis hominibus post hanc vitam, vel renatis in hac vita
qui duo distincti gradus sunt praesentiae Dei ab Vniuersali praesentia.
Beatis n. Angelis & hominibus ita adest ut ostendat & communicet
sese eis immediate: nec tantum vitam eorum conseruet, sed viuificet
eos etiam vita aeterna, & impleat eos sua luce & iustitia: atque imme-
diate conspiciatur ab eis. Sed separabilis & haec est. Quosque enim non

discedit

discedit ab eis: tantum adest eis tantum societate. Talis erit praesentia in illa aeternitate, quando erit Deus omnia perficiens in omnibus Electis, ubi videbimus Deum à facie ad faciem.

IX.

Renatis in hac vita ita adest, ut non tantum vitam eorum conservet, sed etiam efficiat in eis motus sibi placentes, & tamen non conspicitur visibiliter, ut in vita aeterna conspicietur: & adest separabiliter. Ad hunc gradum pertinet praesentia in ministerio Verbi & sacramentorum, quae etiam non est solius τοῦ λόγου, sed communis trium personarum. Tota enim divinitas vere adest & efficax est in omnibus gradibus ministerij, videlicet, sonante voce Evangelij, & in usu Sacramentorum. Ordo tamen consideretur. Ut opus salvationis, quamquam commune est tribus personis, immediate tamen efficitur à Filio, qui ad hoc missus est: Sic immediate Filius profert Evangelium ex sinu patris, & ostendit patrem, primum accendens lucem agnitionis Dei verae & fidei ministerio Evangelij, deinde per Spiritum Sanctum flectens ad salutarem assensum, & accendens in corde conformitatem cum Deo, quae utraque pertinet ad regnum Christi in hac vita: Ita simul adest Pater, & per Filium dat Spiritum Sanctum. Neque tamen alligatus est Christus unione aliqua personali aut substantiali, aut physica ad vocale ministerium, aut ad symbola sacramentorum, sicut duae naturae in Filio copulatae sunt: Sed voluntarie & libere adest ex pacto, sicut se affuturum esse promisit, & quidem ipse [illegible]

Estque ἐνεργητικὴ praesentia, quâ vere efficax est per vocem Euangelij et Sacramenta, dato Spiritu Sancto, sicut promisit, in accipientibus quod denunciatur atque offertur, et non repugnantibus.

X

Ab his ergo omnibus toto genere diversa est Hypostatica Unio, propria τοῦ λόγου, quâ sola haec secunda persona Divinitatis, filius dei λόγος ita sibi univit naturam assumptam, ut sibi propriam fecerit, et insertam sibi gestet ac sustentet. Ac semel assumptam nunquam deponit, sicut Athanasius inquit. Unde sicut haec persona λόγου aeterna est: ita postea impossibile est hanc massam ipsi insertam non simul manere.

XI

Hoc admirandum mysterium Unionis duarum in infinitum differentium naturarum in una persona, citra alterutrius vel utriusque mutationem, aut alterius in alteram conversionem, aut utriusque inter se confusionem, Athanasius in symbolo quod Ecclesia decantat, explicavit his verbis: Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens: aequalis patri secundum divinitatem: minor patre secundum humanitatem: qui licet Deus sit et homo, non duo tamen sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae etc. Et Cyrillus ait: Verbum secundum hypostasin factum est caro, id est personae suae

propriam

propriam fecit carnem. Idem magis illustravit Synodus Chalcedonensis contra Nestorium in Ephesina Synodo damnatum, & suæ ætatis hæreticum Eutychen, aliosq. his multo antiquiores. Eius verba sunt: Dominum nrm Iesum Christum concorditer docemus ante secula genitum ex patre secundum divinitatem: postremis vero diebus eu nos & ppr nrm salutem ex Maria Virgine & Deipara secundum humanitatem. Unum & eundem Iesum Christum, filium Dei Dominum & unigenitum, in duab. naturis inconfuse, incommutabiliter, indivise & inseparabiliter manifestatum: haudquaquam differentia naturarum ppr unitatem sublata, sed magis utriusq. naturæ, in unam personam & unam hypostasin concurrentis, proprietate servata, non ut in duas personas bipartitum aut divisum, sed ut sit unus & idem, filius unigenitus, Deus, Verbum, & Dominus noster Iesus Christus &c. Religiosa antiquitas usa est in declaranda hac unione exemplo coniunctionis animæ & corporis in homine, etsi non per omnia exemplum congruit.

XII.

Hoc decretum Synodi Chalcedonensis sequentes Synodi, Constantinopolitana secunda & Tertia, totaq. sequenti ætate orthodoxi oẽs in Ecclesia opponentes Monophysitis, Monothelitis, & alijs similibus professi sunt unam esse personam Christi, sed in ea duas differentes naturas perfectas. Ac retinere utramque in unione, ut proprietates sic actiones suas & voluntatem, ac manere perpetuo discrimen inter actiones utriusq. naturæ simul, sive persona tota ad unum ἀποτέλεσμα contendentis, & actiones singulares distinctas,

cumque in ijs quae sunt officij, eiusque totius personae, agit utraque cum alterius co-
munione, ὅπερ ἐστὶν ἑκάστῃ ἴδιον, Damasceni verbis, & Leone Romano Epõ
interprete, quod cuiusque proprium est, fieri unam communem actionem quae
θεανδρικὴ a Dyonisio vocatur, cuius unum est opus, seu ἀποτέλεσμα,
toti etiam personae commune.

XIII.

Cum autem Ecclesia orthodoxa ἰδιώματα seu proprietates naturae utriusque
considerat & explicat, accurate distinguit illa quasi χαρακτηριστικὰ
ἰδιώματα essentiae in utraque natura, tam divina quam humana a reliquis
proprietatibus. Ac primum, etsi in Deo nullum est accidens, nihil fini-
tum, sed immensa & infinita omnia: sunt tamen quaedam Deo ita propria
ut ipsius essentiae divinae sint veluti χαρακτῆρες, tam ei proprij ut
sint incommunicabiles creaturis, & si in ullam rem creatam effundi pos-
sent, statim aut necessario totidem Dij evaderent, aut cum essentia divi-
na una sit & κοινωνητὸς quidem, sed ἀδιαίρετος, ἀδιάστατος, ἀμε-
ρίστος, totidem personae Divinitatis evaderent. Velut sunt, A seipso
esse, aeternum esse, infinitum esse, & quae infinitatem consequuntur, om-
nipotentem esse, ubique praesentem esse, omniscium esse. Haec ergo ac-
curate discernit ab ijs quae communicabilia creaturis esse cognoscuntur, quae
ex his exornata esse conspiciuntur. Infinitatem nec Deus ulli crea-
turae communicat, neque ulla creatura capit intra metas suas, ac ne

quidem

quidem ipsa natura humana Christi, nisi cum Eutyche & Swenckfeldio ἀπο-
θεωθεῖσα seu conversa in divinitatem esse dicatur. Nec cadit in ullam crea-
turam, ut sit a seipsa, aut ab aeterno. Sed de summis & infinitis bonis suis
quatenus communicabilia sunt, impertit ac distribuit Deus creaturis pro
singulorum captu & bonitate sua ut rationabilibus creaturis lucem, vitam,
sapientiam, iustitiam, potentiam, & alia dona pro modo & captu naturae cuiusq.

XIIII.

Haec ita accomodat ad personam Christi. Quod cum unio facta sit, salvis
& inconfusis utriusq. naturae proprietatibus, & ubiq. praesentem esse essen-
tia, omnipotentem esse, omniscium esse, quae infinitatis sunt, non magis com-
petant, aut inesse possint naturae humanae Christi, sive per se sive in unio-
ne hypostatica considerata, quam quod humanitas ipsa fieri Deitas possit. Quod
ergo idcirco divina natura has incommunicabiles proprietatis ut alias
eiusdem generis in unione retinuerit: Et sicut natura divina infini-
ta differt ab assumpta natura finita in infinitum: sic idiomata
essentialia, quod differant eodem modo a donis divinis, quae in humanam
naturam effusa sunt, quamquam οὐ κατὰ μέτρον, & in eo gradu excel-
lentiae quo antecellit omnibus creaturis: Denique quod longe aliud sit unio
hypostatica divinae & hum. naturae in persona Christi, aliud humanam
naturam assumptam in hac unione exornatam esse praerogativa donorum
divinorum supra omnes creaturas.

XV.

In

In humana natura rursus distinguit Orthodoxa Ecclesia accurate naturales eius proprietates, quarum aliae essentiales sunt aliae accidentales, & harum rursus aliae à Deo conditae sunt aliae invectae per peccatum. Essentiales sunt χαρακτηριστικαὶ καὶ ἀχώριστοι, nec tolli nisi destructis substantijs queunt, iuxta regulam: Tollens proprietates tollit naturas: Cuiusmodi sunt quae tribus dimensionibus corporum, in longum latum & profundum, à quibus corpus definitur, immediate cohaerent, ut finitum esse, circumscriptum esse, & propterea non amplius nisi uno loco esse posse. Accidentales arbitrio naturae sive Deus vel penitus destruere, vel mutare ad tempus, vel quasi suspendere potest, è quorum genere sunt etiam gravitas, densitas, opacitas corporis ex substantia terrestri, nutritio, generatio ex materiae mutabilitate quae est Aristoteli privatio. Per peccatum vero invectae, cuius generis sunt imbecillitates omnes & mortalitas, penitus abolet gloria.

XVI

Haec ita accomodat ad personam Christi, quod assumserit Christus proprietates cum essentiales tum accidentales naturae humanae, atque ex his tum à Deo conditas quam per peccatum invectas imbecillitates sed absque peccato ut tentari posset per omnia & mori. Deinde quod unio hypostatica non mutavit magis essentialia naturae humanae quam divinae, & quantacunque sint collata in humanam naturam dona divina non absorpserint illa tamen eius essentiam, nec confuderint inter se naturas ipsas, earumque proprietates,

neque

neq. exaequarint eas inter se sublato discrimine inter Creatorem & creaturam inter infinitum & finitum etc. Denique quantacunque Christus ediderit miracula in suo corpore, non exuerit tamen humanam naturam, & ei dis[p]ara eius essentialia, ut desinerit id esse quod erat, aut ut simul tale & non tale, homo & non homo, spiritus & non spiritus esset, aut simul eodem tempore in pluribus ac diversis locis esset. Nec detrahatur propterea quicquam omnipotentiae divinae, cuius non sit velle aut posse contradictoria, eo quod Deus sit verax. Mentiri autem sit naturae non potentis sed impotentis.

XVII.

Praeterea accurate discernens Orthodoxa Ecclesia inter tempus & statum humiliati ac patientis, & glorificati atque exaltati Christi credit ac profitetur quod sicut missio filij & obedientia, imo tota humiliatio qua factus est Christus obediens patri usque ad mortem, mortem autem crucis: Quod ergo sicut illa non sustulit aequalitatem essentiae & potentiae cum patre in divina natura, Christo in terris versante & patiente: sic glorificatio & exaltatio humanae naturae non destruxerit essentiam & proprietates eiusdem, Christo evecto in coelum, & ad dextram Dei collocato. Sed quod vere humanam naturam assumptam evexerit & intulerit in coelum, cum ascenderet sursum in coelum visibiliter, locatione physica. Nec evanuit ut spectrum, nec in coelo eam mutaverit aut deposuerit, sed in assumpta natura sedeat ad dextram patris verus Deus & verus homo: Inde

venturus

venturus iudicare vivos & mortuos: & effecturus credentium corpora post re-
suscitationem conformia glorioso suo corpori, transfusis in electos tanquam
in sua membra sui corporis gloria ac beatitudine. Et quod corpus Christi
non tantum sit glorificatum verum etiam exaltatum ut sedeat ad dextram
patris hic homo Jesus Chris. & in illa arcana luce caelesti fruatur immediate
conspectu Dei, regnet aequali potentia cum patre, & usque ad consummationem se-
culi exerceat opera regni & sacerdotij sui.

XVIII.

Hac ita declarat amplius, quod glorificatio assumpta naturae, & ad dextram
Dei collocatio, quantacunque contulerit & accumulavit in eam ὑπερβολῆς,
ut quibusdam loqui placuit, non magis tamen quam ipsa unio vel absorpserit,
abolaverit aut mutavit essentiales proprietates assumptae naturae conversione
in divinitatem, vel exaequaverit aut confuderit inter se naturas & earum
distinctas actiones. Sed quod manente unione integra & salva: salvis
manentibus essentialibus proprietatibus, qualibet natura proprias suas e-
vepyeias retinente & exercente: manente immoto & aeterno discrimine in-
ter divinam naturam assumentem & humanam assumptam, inter creato-
rem & creaturam, adiecerit humanae naturae excellentem & ineffabilem glori-
am, qua non tantum corpus ex infirmo, passibili, mortali, factum est
impassibile, immortale, lucidum, leve, agile: Sed natura assumpta tanquam

Caro

caro propria filij Dei exaltata sit etiam ad societatem regni & sacerdotij gloriæ æternæ, imo omnium cultuum divinorum atq adorationis, Denique ad omnia quæ sunt maiestatis officij: et collocata sit ad in æternam lucem & lætitiam inaccessam creaturis, ubi antea non fuit, ut fruatur conspectu essentiæ divinæ, cum prærogativa donorum in tali gradu qui antecellit omnes creaturis. Denique ut quæ sunt maiestatis officij, id est sacerdotij & regni sint & maneant totius personæ, nimirum ut hic Dominus, Deus & homo exaltatus supra omnes creaturas ob hoc ipsum, quod non homo tantum sed Deus est & homo, deinceps regnet æquali potentia cum patre, & sit gloriosum caput Ecclesiæ, perficiens omnia in omnibus Electis, intercedens assidue pro Ecclesia, & eam colligens, sanctificans Spiritu sancto, protegens, servans, liberans, salvans, depellens Diabolos, & una ut latria invocetur & colatur ab Angelis & hominibus. Nec tamen exæquetur propterea humana natura divinæ omnipotentiæ, quod sit socia cum victoria qua conteritur caput serpentis, ac deletur peccatum, tum gloriæ æternæ sacerdotij & maiestatis regni, sed quod agat nunc etiam utraq. natura quod suum & proprium est in una persona, etiamsi non semper contendit utraq ad unum apotelesma: Nec divina agat per humanam omnia tanquam per organum, etsi nihil sola nihil separatim, nihil nisi cum illa agat, eo quod inseparabilis quidem unio est naturarum, non confusæ sunt illæ tamen, sed distinctæ manent, & retinent actiones distinctas

XIX

Credit

Credit ergo & apostolica Ecclesia, quod sicut humiliatus Christus in carne, cum esset in terris, divinitate erat ubique, natura assumpta vero in certo definitoque loco: sic glorificatus & exaltatus Christus sit nunc in eadem divina natura ubique praesens, natura vero assumpta sit in certo coeli loco, ubicunque velit esse: ubi & πολίτευμα nostrum est, ubi Moses, Elias & magnum agmen eorum qui cum Christo resuscitati & sublati sunt vivunt, ac dulcissimo aspectu colloquioque filii Dei fruuntur: Unde venturus est Christus iudicare vivos & mortuos, quo & corpora resuscitata electorum transferentur. Denique quamquam sonare in ministerio Evangelii, efficacem esse in cordibus credentium, docere, sustentare, vivificare sua membra, adesse Ecclesiae, servare ministerium, immediate protegere electos contra Diaboli furores: Haec, inquam, efficacia quamquam sit personae totius capitis secundum divinam naturam, quod vero tamen ita efficax sit, sit in natura assumpta, quae sit efficacia huius & actionum sua ex unione hypostatica. Denique quod & fiunt plurima concurrente utriusque naturae actione ad unum ἀποτέλεσμα: & multa tamen fiant etiam ministerio assumptae naturae, non omnia. Ut enim in homine cor vitae fons ex suo domicilio transfundit vitam in omnia membra corporis, eaque per substantialem flatum, per spiritum sibi copulat, ut omnia vivant vita communi: ita λόγος ὢν ἀπαύγασμα patris aeterni, hauriens vitam ab aeterno patre vivificat & suam massam in Virgine

assumptam

assumptam, & ex eadem sua massa, de eodem suo spiritu, effundit in credentes fide sibi insertos, ut in illis accendatur similis lux, iustitia & vita, & ut inserti hoc modo assumptæ naturæ, rursus consocientur ac copulentur Deo, à quo erant per peccatum avulsi, sicut Irenæi verba docent.

XX.

Ad hunc modum cum declarat Orthodoxa Ecclesia glorificationem & Exaltationem humanæ naturæ, refert tamen omnia hæc ad personam, quæ una est, id est, Unus Christus, Deus & Homo, secundum verba scripturæ & symbolorum, eo sensu quo Gregorius Nyssenus: ἀλλὰ μὲν ὁ θεὸς ὑψωθῆναι οὐ δεῖται, ὕψιστος ὤν. τὸ ἀνθρώπινον ἄρα ὁ Ἀπόστολος ὑψωθῆναι λέγει. ὑψωθῆναι δὲ διὰ τὸ κύριον καὶ Χριστὸν γενέσθαι. Propter unionem enim hypostaticam, evecta est natura assumpta ad consortium & communionem regni, sacerdotij & gloriæ æternæ, totiusq. mediatoris officij, eo quod est assumpta in unitatem personæ, & effecta caro propria Filij Dej. Nec est persona per se, sed subsistit in persona Filij Dej. Nec condonatur aut conglorificatur naturæ assumenti, sed ut Ephesinæ Synodi decreta apud Cyrillum habent, Unus Christus una latria colitur quæ dirigitur ad personam. Etsi enim adoratio cultus naturæ divinæ proprius est, iuxta dictum; Deum tuum adorabis: Ex unitatis vinculo fit tamen natura assumpta adorationis particeps. Ideo recte dicitur: Fili Dei, Fili

Dauid

David miserere mei. Compellans Christum secundum humanam naturā sortitum tertiumque terminum & tertiam personam à persona filij Dei distinctam, Idolatra est: ut erat Nestorius.

XXI.

De sessione etiam ad dextram Dei uno contentu tradit, quod sedere ad dexteram Dei sit exaequari robore, viribus, & potentia, seu regnare aequali potentia: quia dextera significat robur, vires & potentiam. Id quamquam referri potest ad naturas, & ad officium: proprie tamen ac principaliter accommodatur ad officium. Si referatur ad naturas, ut si ad divinam referatur significat aequalitatem non potentiae tantum, sed etiam essentiae: si vero ad humanam, significat hanc in societatem huius regni & potentiae assumptione ascitam & evectam esse, ea tamen lege, ut infiniti & finiti, creatoris & creaturae discrimen immotum maneat, & excipiatur is qui excipit omnia. Si ad officium referatur totius personae missae, consistit in assidua collectione, gubernatione, defensione & salvatione Ecclesiae. Gubernatio enim seu regnum pertinet ad officium Christi. Hoc officio exaltatus Christus ad dexteram Dei in regno, super omnes creaturas, quia dextera Dei nihil sublimius, administrat regnum illud potenter & feliciter.

XXII.

Ut conferamus itaque universa in caput unum: Ecclesia orthodoxa

credit et profitetur constanter & consentienter, quod filius Dei λόγος natus sit verus homo ex Maria Virgine, non conversione vnius naturæ in alteram nec confusione vtriusq. inter se uelut in vnam massam, sed assumptione humanæ naturæ inseparabili in vnitatem personæ, Ut quemadmodum vnio non abolevit naturas, sic differentia naturarum non dissoluat vnitatem: sed & maneant naturæ inseparabiliter ac hypostatice vnitæ, & retineat vtraq. suas proprietates essentiales, actiones, & voluntates. Deinde, quod Glorificatio humanæ naturæ, & sessio ad dexteram, seu exaltatio in regno & sacerdotio, quidem exornavit & cumulavit assumtam naturam gloria & beatitudine ineffabili, cum prærogativa donorum supra omnes creaturas, non propterea tamen aut sustulerit essentialia attributa, aut vtriusq. naturæ: aut exæquarit omnipotentia, omnipræsentia, omniscientia & similibus quæ sunt infinitatis, naturam assumptam assumenti, sed quod in æterno & immoto discrimine vtriusq maneant distincta proprietates, actiones & voluntates vtriusq, nunc etiam post glorificationem & exaltationem.

XXIII.

Postquam Ecclesia Orthodoxa definiuit hoc modo ex verbo Christi & Apostolorum mysterium tam glorificationis & exaltationis quam incarnationis Christi: deinceps explicat phrases & formulas loquendi, quibus Scriptura usa est de persona filij Dei, veri Dei & Hominis: & tradit ex eadem doctrina regulas

fidei

fidej analogas. quomodo de hoc tanto mysterio, pie recteq; & scripturæ ἀνάλογως loquendum sit. Ac primum discernit appellationes, quæ significant proprietates naturarum, & appellationes officij. Propria diuinæ naturæ sunt: æternum, infinitum, omnipotentem, ubiq. præsentem esse &c. propria humanæ naturæ sunt pati, esurire, sitire, defatigari, vulnerari, mori etc. Sed nomina officij sunt Mediator, Redemtor, Saluator, Sacerdos, Rex, Pastor etc. Hæc nomina officij ostendit Eccl[esi]a orthodoxa complecti personam, non tantum humanam naturam, quia officium ad quod missus est filius Dej, est personæ, secundum utramq. naturam, qualibet natura agente quod suum est ac proprium. Cu[m] q[ui]b[us] enim distinctæ sint & maneant actiones ipsæ naturarum: opus tamen sui ἀποτέλεσμα quod emergit, tamq[uam] commune opus utriusq[ue] non diuidj, sicut nec persona diuiditur, sed & personæ esse & eidem recte tribuj. Nec obstare quod actiones q[uæ] ad officium pertinent, quædam sint in naturam diuina propriæ, ut efficacem esse in cordibus credentium, viuificare, ornare Eccl[esi]am, depellere Diabolos: quædam sint in naturam humana propriæ, ut dolores o[mn]es & agones in passione. Nam & missionem filij factam esse ab initio Ecclesiæ filium perpetuo adesse Ecclesiæ, patefacere promissionem, colligere & ornare Ecclesiam: Et voluisse illam suam obedientiam, fuisse interces-

sorem

sorem perpetuum ac saluatorem propter filialem illam obedientiam, quae est personae postquam assumsit humanitatem: Et mortem efficacem esse, ut in assumta natura: Denique hanc ipsam sustinuisse agones ac dolores ac cruciatus corporis & mortem, ut in persona τοῦ λόγου, cuius est propria caro: Verbo tamen, sicut Irenaeus inquit, quiescente.

XX IIII.

At nominum quae proprietates utriusque significant unionem omnino longe est aliam. Cum enim utraque natura in unitate personae suas retineat proprietates, nec sit una conversa in alteram, nec sint inter se confusae, idcirco quod unius proprium est, nullo modo competere alteri, nec eidem seorsum ac separatim se considerata tribui posse. Ut, non possumus dicere, Divinitas est humanitas. Sic non possumus dicere, Natura divina vulneratur, moritur, includitur sepulchro. Natura humana nihil patitur, est immortalis, est ubique. Sumuntur enim praedicationes a rebus, & rebus congruunt. Sicut res sunt verae, ita verae sunt praedicationes. Nihil essentiale communicarunt inter se in unione hypostatica naturae duae in Christo, nulla vel commutatione proprietatum, vel conversione alterius in alteram, vel confusione utriusque, vel effusione unius in alteram: Ergo nec praedicari hoc de iis potest. Nihil essentiale a divina natura effusum est in humanam atque transfusum: Ergo nihil tale tribui ei potest

XXV.

At vero

At verò cùm ambæ naturæ cum proprietatibus suis, distinctim quidem sed inseparabiliter tamen unitæ sint in una persona, citra ullam confusionem: ex hoc ergo ostendi orthodoxa certa, utriusque proprietates, sicut toti composito tanquam uni subiecto cum naturis ipsis verè ac realiter insunt: sic eidem recte tribui. Sed in persona, non in natura, id est, ut in scholis loquimur, in concreto seu παρωνύμως, non in abstracto. Ratio huius diversitatis sumitur rursus ex ipsa rerum subiectarum natura. Propositio enim in abstracto significat naturam seorsim se consideratam, ut Humanitas, Divinitas. Propositio in concreto significat personam, subsistens seu ὑφιστάμενον donatum naturâ utraque. Talem ergo prædicationem, in qua proprietas unius naturæ communicatur, tribuitur personæ in concreto, vocat Ecclesia κοινωνίαν ἰδιωμάτων, & ἀντίδοσιν, ἀλλοίωσιν, ἀνταλλαγὴν τῆς ἐπιθέσεως ὀνομάτων: græcis nominibus: Latine ex græco Communicationem Idiomatum. Estque fons, origo & fundamentum huius prædicationis seu communicationis Idiomatum, ipsa unio hypostatica. Nam quia naturæ Christi ut essentia, sic proprietatibus differentes, unitæ tamen unione hypostatica citra confusionem, ita ut λόγος & assumpta natura sint unum ἀποτέλεσμα, sicut anima & corpus in homine: quo Christo tribuitur una est. Ergo sicut in illo subiecto uno verè sunt illæ naturæ sed unitæ hypostaticè.

stalia citra confusionem, ita cuiuslibet proprietas toti concreto, seu subiecto, id est, personae recte tribuitur, sed in concreto, id est tali seu propositione seu praedicatione, quae concretum sive personam denotat & significat. At quia in Unitate personae manet immotum & aeternum discrimen inter naturas, unius ergo secundum dum se consilerata proprietates extra unitatem personae alterius tribui nullo modo possunt in Abstracto, seu propositione aut praedicatione significante naturam per se consideratam. Quid enim una natura alteri realiter non communicat, hoc etiam tribui ei non potest, & si tribuatur falsum impium, blasphemum & idolatricum est. Ita verae sunt propositiones in Concreto. Deus homo factus est; Deus est homo; Christus est passus, mortuusque & sepultus, resurrexit tertia die a mortuis etc. Christus est filius Dei & Mariae Virginis: Dominus gloriae crucifixus est: Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit filius hominis qui est in caelo. Sum vobiscum usque ad consummationem seculi. Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis. Ubicunque duo convenerint in nomine meo, in medio eorum sum. Relinquo mundum. Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Priusquam Abram erat, ego sum. & innumera alia. Non sunt verae propositiones in abstracto, Deus est humanitas, Divinitas est vulnerata, passa, mortua, resurrexit, ascendit ad caelos. Humana natura Christi est aeterna, est ubique praesens. Priores veras esse

pronunciat Eccta communicatione idiomatum, servata cuiusq. naturæ proprietate, quia nõie tribuunt personæ proprium cuiusq. naturæ eo modo quo secundum unionem naturarum utrumq. persona inest & competit nõie & realiter. Posteriores reijcit & condemnat, quia contra unionis hypostaticæ rationem & modum tribuunt naturis ex veritatem personæ secundum se consideratis. quod non est, quod nec communicent ventia una alterj, nec altera recipit. Non communicat enim diuina natura assumptæ infinitatem, omnipotentiam, omnipræsentiam, neq hæc recipit. Ac vicissim non communicat assumpta diuinæ assumenti mortalitatem, finitatem seu circumscriptionem, neq. hæc recipit.

XXVI.

Ita sensisse, docuisse, & credidisse orthodoxam Ecclesiam de incarnatiõe filij Dej, & sessione eius ad dexteram uno perpetuoq. & immutabili consensu, inde usq. à temporibus Christi & Aplorum demonstrant euidenter decreta & anathemata Synodorum Oecumenicarum Veterum, consentientia Græcorum & Latinorum scriptorum testimonia, ac repetita conservataq. ex his Scholasticorum in Eccta Romana disputationes, Historia cum certaminum in prima illa ac puriore Ecclesia, tum infinitorum Martyrum qui veritatem huius doctrinæ sanguine suo obsignarunt, leges & edicta Imperatorum piorum insertæ legibus Romanis, quibus & hæc doctrina repetita

repetita ad Verbum ex Synodorum decretis sanciuntur & stabiliuntur: ac contrariæ huic hæreses, constitutis atrocibus pœnis, abolentur ac prohibentur.

XXVII

Ab hac certa & immota norma fidei Christianæ qui aberrant, cognitu iudicatuq. difficile non est. Non adest filius Dei λόγος assumptæ naturæ humanæ societate seu per assistentiam, ut docuit Nestorius, qui non unione hypostatica quæ οὐσιώδης est seu κατ' οὐσίαν sed accidentali atq. hoc modo duabus hypostasibus pariter cum naturis ipsis constitutis contendit divinam naturam unitam esse humanæ: primo, secundum inhabitationem Verbi velut in suo templo. Secundo, per unitatem affectus quia voluntas hominis Christi semper fuit conformis voluntati divinæ. Tertio, actione atq. effectione, quia homo Christus sit τοῦ λόγου & actionum divinarum organon. Quarto, æqualitate dignitatis & autoritatis, κατ' ἀξίαν καὶ ὁμοτιμίαν, eo quod omnis honor qui exhibetur filio, etiam relative exhibetur filio hominis propter eam quam habet cum filio Dei inseparabilem coniunctionem. Quinto, æquivocatione, seu societate nominis, quo homo Christus dicitur Deus seu filius Dei. Hæc omnia gravissimis testimonijs scripturæ refutavit & condemnavit Synodus Ephesina Oecumenica tertia, asserta unione hypostatica.

XXVIII

Neq. est humana natura Christi absorpta aut conversa in divinam, aut

aut cum ea confusa in vnam substantiam, ut Eutyches docuit. Neq ut ex Eu-
tychianis aliqui docuerunt, & Monothelitae, citra conuersionem aut confusio-
nem substantiae naturarum, proprietates, actiones & voluntates vtriusq. communes
effectae sunt, quasi coierint in unum, & ab una communi natura proficiscantur.
E quibus autorem ipsum grauissime redarguit vi veritatis e scriptura sacra
Synodus Chalcedonensis Oecumenica quarta. Sectatorum errores vero confu-
tarunt Synodus Constantinopolitana secunda, Oecumenica quinta, in qua fuit
Vigilius Romanus Episcopus, & scriptores orthodoxi multi qui Monotheletas in
Synodo Constantinopolitana tertia, Oecumenica sexta condemnatos oppugnarunt.

XXIX.

Nec consistit Vnio Hypostatica in effusione omnium donorum & proprie-
tatum diuinae naturae in humanam, vt hodie rabiosissime & confusissime
contendunt Vbiquistae, quorum alterum de donis Nestorianum prorsus est
quia Vnio eis est aliud nihil quam inhabitatio diuinitatis per essentiam, qua-
lis est in Elia, Petro, Paulo, & alijs sanctis, quod cum Nestoriana sepa-
ratione prorsus congruens, manifeste duas hypostases seu personas, di-
uinam & humanam constituit, aliam ab aeterno, aliam quae cepit in utero
Virginis Mariae: Alterum vero de proprietatibus Eutychianum prorsus
est, qui naturam humanam conuertebat in diuinam, & Christum negabat
vere hominem fuisse, sed δόξῃ tantum, seu φαντασίᾳ seu δοκήσει. Eo-
dem enim modo Vbiquistae Vnionem hypostaticam metiuntur suis cogi-
tatio-

tationibus exaequatione naturarum per omnia, tam essentia quam potentia & actionibus commiscentes assumptionem naturae humanae factam esse in Maria Virgine, extensione nascentis corporis, quasi per partes iuxta divinam naturam in infinitum, commixtioneque & coalitu cum divina natura in unam substantiam, & eo modo quidem, ut mox in utero Mariae Virginis coeperit Christus in assumpto etiam corpore ubique esse, in quovis ligno, lapide, trunco. Atque hoc modo revera humanam naturam absorptam in divinam penitus abolent, unamque tantum cum Eutyche & Monophysitis naturam & actionum unum genus: cum Monothelitis vero unam tantum voluntatem Christo tribuunt.

XXX.

Hoc monstrosum chaos plurium & portentosarum, imo & blasphemarum opinionum in filium Dei, resuscitatis haeresibus Nestorianis, Eutychianis, Monophysiticis, Monotheleticis & aliis multo antiquioribus, asstruunt Ubiquistae, ut commentum praesentiae corporeae Christi in symbolis sacrae Coenae tueantur & obtineant, excaecati arrogantia detestabili, ut exaecando furore contendant verum Christi corpus in Coena corporaliter praesens esse, & ore accipi ac manducari, cum negent Christum verum corpus habere, imo omni eum humana natura, & omnibus eius proprietatibus exuant ac spolient. Insolubilis .n. & aeterna est in his duabus propositionibus contradictio, qua utraque utuntur: Verum, naturale, substantiale, reale corpus Christi, atque adeo illud ipsum quod in cruce pependit, vere, realiter ac substantialiter est in pane. Et altera, Christus corpore suo immensus est

est, infinitus est, ubiq. praesens est. Quae enim immensi ad commensurabile? quae infiniti ad finitum ratio est? Quomodo unum idemq. corpus simul & finitum erit atq commensurabile, & infinitum atq immensum? Quomodo in loco certo erit, & visibile erit ac tangibile, & nullo concludetur aut comprehendetur loco, nec subiectum erit visui & tactui? Spacia locorum tolle corporibus, inquit Augustinus, & nusquam erunt: & quia nusquam erunt, nec erunt. Item: Hoc est Deum esse, quod ubiq totum esse. Quanta arrogantia, quanta malitia est, quod audent contra illustrissima & evidentissima dicta scripturae, contra totam antiquitatem Graecam & Latinam: contra tantum tot seculorum consensum: contra tot synodorum decreta, & Imperatorum leges: contra tot Martyrum testimonia scripta & obsignata sanguine ipsorum: Eutychis doctrinam de unione hypostatica reijcere, & naturarum confusionem physicam comminisci, & ut hanc excusent vectem fingere communicationem idiomatum? repudiata Ecclesiae de hac sententia, quae ex scriptura sancta unioni hypostaticae distinctarum naturarum accommodata, utriusq. naturae proprietates conservat: Denig. corruptis, imo abolitis penitus articulis fidei de incarnatione filii Dei & glorificatione eius atq exaltatione in regno & sacerdotio, novos articulos condere? Saepe mihi in mentem venit ortum hoc omne esse a Diabolo, qui ut odio filii Dei convulsam in missa Pontificia Artola

triam

triam sileiscentur, qua honor & cultus adorationis debitus filio dej tribuit patri, & laederent atque obscurarent alio modo gloriam eius, impulitque superba ingenia ut renovarent blasphemias veteres, & his penitus obruerent doctrinam de filio dej, cum aliter nocere ej nequiret. Cum itaque Ubiquista totam Ecclesiae orthodoxae doctrinam, imo totam alteram partem secundj articuli symbolj de incarnatione filij dej, deque eius glorificatione & exaltatione penitus aboleant, quae fundamentum est Ecclesiae, atque hoc modo ex vera & orthodoxa Ecclesia, cuius caput est Christus, se met ipsos eijciant: profiteor me & dogma toto pectore execrarj, & non minus futurum cinem aut socium eius esse, qui contumelia afficit filium dej. Ac toto pectore precor filium Dei, verum Deum & verum hominem, regnantem aequali potentia cum patre, iustum judicem ac vindicem, cui pater tradidit omne iudicium, ut tandem declaret judicium de veritate sua suum illustri testimonio publico adversus tam manifesta mendacia, tam tetras & idolatricas blasphemias, tam atroces & pertinaces furores, tam immanes ausus hac Stabilientium: Ac reprimat spiritum mendacem & homicidam, ne progrediatur ulterius furoribus & saevitia sua, neve perficiat & compleat quae molitur contra veritatem & gloriam ipsius. O Jesu Christe fili Dei exurgis Coe tandem, exsurge, accelera ad judicium, judica causam, alleve veritatem, vindica gloriam tuam: & confunde, destruita, dissipa,

destrue consilia & conatus hostium gloriae & veritatis tuae, propter te, propter nomen & gloriam tuam, in testimonium eminens & illustre iudicij tui de veritate tua, ne tu blasphemeris. Amen

Caspar Peucerus . D.

DE VERA PRÆSENTIA CHRISTI IN SACRA COENA.

I.

Panis et vinum in Eucharistia sunt corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi: sicut inquit Christus ipse — edit

II.

Sed panis & vinum non mutant naturam & substantiam suam, verum manent panis & vinum, quemadmodum indubitate ostendit & convincit doctrina Pauli Apostoli ad Corinthios, contra figmentum Transsubstantiationis Pontificiae.

III

Ergo irrefragabiliter & insolubiliter Panis & vinum sunt corpus & sanguis Christi: non substantia, sed relative, nimirum in typo & symbolo. Non est enim inter haec duo medium: Nullum est tertium: Et fatentur Scholastici ipsi, ut Ioannes Scotus & Iohannes Maioris, panem si retineat substantiam panis in Eucharistia, per nullam potentiam posse esse ipsum corpus Christi, propter impossibilem quae veritati adversatur contradictionem, quam Lanfrancus Berengarij

ad fraciy

adversarius explicat diserte his verbis, reyciens figmentum consubstantiationis seu connexionis physicae corporis & panis, sanguinis & vini, tanquam haeresin ipsis verbis institutionis condemnatam. Christum, inquit, incarnari humana redemptionis ratio exposcebat: At impanari Christum nulla expetit ratio. Nec Prophetae hoc praedixerunt, nec mundus exceptis his paucissimis haereticis credidit. Totus mundus concinit: Sicut anima rationalis & caro unus homo, ita Deus & homo unus est Christus. Nemo audet dicere: Ita Deus homo & panis unus est Christus. Unde igitur haec nova personalis unio &c. Et paulo post: Hos impanatores suos, ipse Dominus Iesus, verbo oris sui interficit, cum accipiens panem gratiasque agens & benedicens eis ait: Hoc est corpus meum. Non ait: in hoc latet corpus meum. Hinc & Ecclesia in Canone Missae non orat ut in oblatione quam petit fieri ascriptam & acceptabilem latent seu adveniat corpus, sed ut nobis fiat corpus.

IIII.

Si ergo panis est corpus, vinum est sanguis Christi; non substantialiter sed relative in typo & symbolo. Irrefragabiliter ergo & insolubiliter ex ratione & natura sacramentorum quae sunt visibilia signa invisibilis gratiae, & ut relativa, aliud sunt essentia sua aliud significant. Relatio itaque panis ad corpus Christi, vini ad sanguinem, alia non est quam signi ad rem signatam sacramenti significantis ad rem significatam. Sed relatio signi ad rem signatam est ordo institutionis, quo destinatum signum tali usui ut designet rem certam certo modo. Ergo Relatio panis & vini ad corpus Christi &

sang

sanguinem est ipse ordo institutionis divinae, conferens panem & vinum con-
secratum ad hunc usum ut in distributione & sumptione sint Corpus & Sang-
uis Christi, sicut ipse Christus nominat. Symbola seu antitypis veteres appel-
lationes rerum signatarum ex analogia & similitudine. seu ut verborum
Christi interpres Paulus inquit, ut sint Communicatio Corporis & Sanguinis
Christi. Formale ergo, seu ut nunc multi insulse loquuntur, substan-
tia Coenae Dominicae est quod in usu instituto ex ordinatione divina, panis
et vinum sint Communicatio corp. & S. Chri: nec quaedam alia substantia.

Si itaq. relatio panis & vini ad corpus & sanguinem Christi est ut signi
ad rem signatam in usu & sumptione, ex instituto & ordinatione Chri: ne-
cessario igitur nulla est connexio physica substantiarum panis & corporis,
vini & sanguinis, quam plane adversatur non tantum naturae relativorum
& signorum, sed multo magis analogia fidei in summis articulis de filio
Dei, de praesentia & efficacia filij Dei per spiritum sanctum in ministerio
verbi & sacramentorum perpetuae, rationi & institutioni sacramentorum, &
expressae doctrinae Pauli de sacra Coena, qui perpetuo panem & poculum in
usu nominans, discernit haec a corpore & sanguine Christi. nimirum rem
terrenam a Coelesti, visibilem formam ab invisibili gratia, signum & symbo-
lum a re signata. Multo minus est panis ad corpus, vini ad sangui-
nem ea ratio quae continentis ad contentum. Non .n. includitur pani corpus
Chri localiter, nec occultatur substantia corporibus Christi sub specie-

bg

speciebus aut accidentibus panis, ut finxerunt Pontificij.

VI

Sed evacuas symbola, inquis, si conmixtionem physicam tollas. Absentibus
enim corpore & sanguine Christi, relinquuntur nuda & inania signa?
Respondeo: Haec quaestio in qua nostris versatur cardo totius controversiae
oritur ex hoc caeco, crasso & penitus mentibus infixo errore rationis humanae
quem auxit & confirmavit Transsubstantiationis pontificio commentum: quod
non ex scripturae testimonijs, sed exemplis rerum in natura obvijs physice
imaginantur coniunctionem cum Christo & consociationem fieri non posse
nisi coniunctione corporum, nec corpus Christi, sicut aliqui non minus impie
quam audacter scripserunt, aliter efficax esse in nobis, nisi praesentia &
efficacia physica, sicut vinum haustum calefacit corpora. Deinde, quod
imaginantur coniunctionem hanc fieri nobiscum necessario ex commixtione
corporea & substantiali cum pane consecrato, si cum pane vescamur alli
gato eidem corpore Christi. Inde & hoc inferunt, quod hanc ob causam Sa
cramentum coena plus offerat & exhibeat quam ministerium verbi, & sacra
menta reliqua veteris & novi testamenti, & totam coenam sacramen con
vertunt in cibum physicum & corporeum ex duorum corporum copulatione.
Hanc ex humanis speculationibus natam persuasionem falsam clariss
expressisque verbis quasi praeoccupando redarguit Christus, cum inquit: Spi
ritus est qui vivificat: caro non prodest quicquam. Verba quae loquor vobis
Spiritus sunt & vita. Et tamen paulo ante dixerat de carne: Caro
mea

mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Ergo caro Christi non carnali esui vita est, sed spirituali. Quod luculenter explicans Augustinus adjicit his verbis: Spiritualiter intelligite quod locutus sum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, nec bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendavi vobis: spiritualiter intellectum vivificabit vos: etsi necesse est visibiliter illud celebrari: oportet tamen invisibiliter intelligi. Et rursus alio loco inquit: Nolite parare fauces, sed cor. Inde n. commendata est ista Caena. Ecce credimus in Christum, quem fide accipimus. Non ergo quod videtur, sed quod creditur pascit. Item: Quia Christum dentibus vorari fas non est, voluit Dominus hunc panem & vinum in mysterio vere carnem & sanguinem consecratione spiritus Sancti & potentialiter creari. etc

VII

Adversus hanc crassam & falsam imaginationem de praesentia & efficacia physica & corporea, tenere necesse est firmissima fide & regnum Christi spirituale atque aeternum, & dona eius spiritualia & aeterna esse, & ipsum spiritu praesentem esse & spirituali efficacia sese nobis & sua dona communicare, non imaginarie tamen sed vere. Talis est igitur praesentia Christi in sacramentis, qualis in toto ministerio: nimirum, praesentia efficacia. Opus salvationis commune est tribus personis, sed eo ordine

dine, ut immediate efficiatur a filio Dei, qui et victima fit assumta natura humana, & per ministerium verbi ac sacramentorum efficax dat Spiritum S. ac pertinet hoc ad regnum Christi in hac vita. At natura divina in Christo substantia sua replet omnia, neq alio modo hic, alio alibi essentia sua praesens est, ut constat ex Stephani concione, & testimoniis aliis innumeris. Humana natura vero physica locatione est in Caelo, hoc est in loco caelesti, qui est sursum, abducta a nobis, neq reddetur nobis ante ultimum adventum Christi ad iudicium. Quare praesentia in ministerio quae est praesentia inhabitationis in renatis. Illa ergo praesentia est praesentia efficaciae. Habitat Christus in Paulo, id est servat non tantum vitam & substantiam Pauli sicut omnium aliorum creaturarum, neq etiam tantum in eo accendit heroicos motus, quales fuerunt in Alexandro, sine vera luce Dei: sed etiam singulari modo eum mutat, ut fiat conformis Deo. Nec fit illa confusio substantiarum, sed manet discrimen inter Creatorem & Creaturam, inter causam & effectum. Novitas accensa in renatis est a Deo patre a filio, a Spiritu Sancto: sed non est pars substantiae Dei, vel Christi. Utitur autem Christus ordinatis in ministerio verbi & sacramentorum mediis, sed non alligat se ad illa media physice, aut ulla personali & substantiali unione: multo minus magice. Voluntarie enim adest & ex pacto, sicut se pepigit adfuturum esse pro homine, in quo efficax est, non propter media. Media itaq & symbola vim & significationem habent, non

ex

ex natura sua, seu insita seu acquisita vi consecrationis quae fingitur, sed ex
ordine institutionis, quam ipsam oportet considerari ante omnia. Cum enim
Christus velit efficax esse in homine in hac vita mediate, idcirco ministe-
rium verbi & sacramentorum institutum est propter hominem, & addita sunt exter-
na media in subsidium humanae imbecillitatis, ut filius Dei verbo doceat
mentes per aures: symbolis sacramentorum commonefaciat easdem per oculos
de sua praesentia & efficacia, deque suis beneficijs. Et ut per illa media si-
mul offerat & exhibeat nobis sua beneficia, ut salvet nos, communicet se
nobis, nosque sibi insertos rursus coniungat cum Deo a quo per peccatum sumus
avulsi. Nec se aliter nobis communicat in hac vita quam per verbum & sa-
cramenta: nec aliter per sacramenta quam per verbum. Ad hunc autem
ultimum finem redemptionis nostrae, qui est consociatio cum Deo, respici-
unt omnes Christi, prophetarum & Apostolorum conciones. Hunc finem ut
consequamur Christus vere praesens & efficax in cordibus audientium & fide
amplectentium verbum atque utentium sacramentis, restituit in eis ima-
ginem Dei & insertos eos sibi facit vera & viva sui corporis membra, id
est accendit novam lucem in mentibus, agnitionem Dei, novam fidem
& consolationem, & dat Spiritum sanctum qui in eodem ministerio verbi &
sacramentorum efficax inchoat in nobis in hac vita novitatem Deo con-
formem, excitans lucem, iustitiam, & vitam aeternam quae sunt initia
conformitatis cum massa humana Christi, ac fiunt credentes templa

&

templa & domicilia Dei, in quibus habitat Divinitas, sicut dicit Christus, Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Sola fides enim accipit Christum, & eius beneficia sibi applicat. Sola fide per Verbum & Sacramenta tanquam media externa, & Spiritum Sanctum efficacem in cordibus inserimur Christo, & Deo rursus consociamur.

VIII.

Summa ergo blasphemia est & horribile mendacium in Deum, fingere aut Verba Evangelij inanes sonitus, aut Sacramenta nuda symbola esse. Sed sicut verba promissionis quod promittunt, sic symbola sacramentorum offerunt & exhibent vere quod significant. Vere igitur panis & vinum offerunt & exhibent corpus & sanguinem Christi, & in usu instituto vere sunt communicatio corporis & sanguinis Christi. Fides autem vere percipit corpus & sanguinem Christi.

IX.

Sed neutiquam fit hoc physico & corporeo modo, sicut panis visibilis comeditur, & vinum e calice bibitur, sed mystico & spirituali. Procul itaque removeamus speculationes ex natura sumptas, ut de praesentia, efficacia, communicatione, & copulatione physica & corporea, sic de manducatione corporali & orali: quibus plerique fascinati accusant falso rationem humanam in aliis qua seducuntur ipsi. Has ergo speculationes procul removeamus, cum de praesentia & efficacia filij Dei communicantis & coniungentis sese nobis spiritu in ministerio verbi & sacramentorum: tum de sumptione & manducatione insertioneque in corpus Christi, tanquam vitem unicam, quae fit fide

fide & spiritu, non coäldui corporum physico. — X — .

Non est enim presentia & efficacia filij Dei per ordinata in ministerio me-
dia physica, qualis est in creaturis, quibus certa vires agendi sunt attribu-
te quas & donis continuant, & exerunt atque exercent creaturae, Deo regetante,
in subiecta idonea: quasi eodem modo, sed nova ac singulari mediorum,
id est Verbi & Sacramentorum virtute efficientium quae fiunt, & tamen sit haec
vis & efficacia ex mutatione naturae mediorum, aut ex aliquo cum medijs
Christi connexu substantiali & physico, aut personali: Multo minus est prae-
sentia aut efficacia magica. Nec symbola in sacramentis mutant consecra-
tione naturam & substantiam, nec acquirunt novam & magicam agendi
vim, qualem ex consecratione aquae lustralj, oleo, sali & similibus alijs
affingunt Pontificij. Nec alligat se filius Dej ullo nexu personali aut
substantiali: Nec per se symbola aut sua vi aliud agunt quam quod suae
naturae est. Nec minor est blasphemia, aut affingere verbo & sacramen-
tis vim magicam aut physicam, quod pontificij fecerunt prefixis characte-
ribus scripti Evangelij, aquâ lustrali, consecrato pane, se depellere dia-
bolos, morbos, pericula animae & corporis: aut sacramenta vertere in
numina, vel Deum alligare ad verbum & sacramenta aliter quam ipse se
alligavit & extra ordinationem atque usum institutum, impie & profano
abusu, quod fit multipliciter in figmento consubstantiationis, ubi corpus
& sanguinem Christi alligant ad panem & vinum nexu physico, sicut

ignem

ignem & ferrum, aut fingere sacramenta efficacia esse ex opere operato, ut
vocant, id est, sine cogitatione ulla aut bono motu utentium, tantum propter
actionem ipsam, errore plane & palam contumelioso in Filium Dei & Spiritum
Sanctum. Haec ergo comminisci non minor blasphemia est quam exinanire
symbola quoquo modo. Nec dubium est Idolatram esse, qui non cum Paulo
Apostolo discernens inter Sacramenta panis & vini, & inter corpus & sanguinem
Christi, nimirum res toto genere diversas, Christum ipsum corpore & sanguine
suo alligat ad symbola tali nexu aliquo. Idolum enim fabricat contra
institutionem Christi & Pauli autoritatem, qui evidentissime ostendit res
duas quamquam diversissimas corporis & sanguinis Christi, panem & vinum simul
quidem exhiberi & capi, sed neutiquam eodem modo utrumque, verum visibi
lem visibiliter ore, invisibilem Spiritu & fide invisibiliter, etsi his verbis
non utitur: quod tota etiam docuit purior Antiquitas, ut Irenei & innu
mera alia testimonia convincunt.

XI.

Sed ita praesens & efficax est, & ita se communicat Filius Dei in ministe
rio verbi & Sacramentorum per Spiritum Sanctum, efficacia Spirituali,
ut verbo sonante promissionem, Sacramentis vero sui usu tanquam sigillis
obsignantibus promissionem, & effigurantibus ex promissione hoc quod of
ferunt & exhibent, accendat mentes & moveat corda cogitantium id
quod promissio habet & profitetur, quod symbola repraesentant. In aliis
his, scilicet, non admittentibus ullam in animum cogitationem de Deo, de

Filio Dei

Filio Dei, de promissis beneficijs filij Dei, praesens & efficax non est, ac multo minus in praefractis, pertinacibus, blasphemis hostibus. Actio ergo & efficacia in cordibus assentientium promissioni Verbi & Sacramentorum est filij Dei per spiritum sanctum, & spiritualis est, etsi medijs uti voluit e rerum natura sumptis, ut consuleretur nostrae imbecillitati. Non enim, ut dixi, symbola in Sacramentis consecratione mutant naturam, sed transferuntur ab usu physico & profano ad usum sacrum, certum, & destinatum: ministerium ut ex institutione, Christo praesente & efficaci per Spiritum sanctum, in verbi mandato offerant & exhibeant sumentibus quod significant, Christo ipso offerente & exhibente quod verbum sonat, quod symbola repraesentant & promittunt. Atque haec summa & praecipua symbolorum dignitas est, propter quam & ipsarum rerum significatarum ornantur appellationibus. Sic verbum sonans in ministerio est verbum vitae & spiritus. Sic in Coena sacra panis & vinum sunt corpus & sanguis Christi: Et Baptismus est lavacrum regenerationis. Et de pane in sacra Coena illustre est dictum Theodoreti: ὁ ἄρτος τὴν φύσιν οὐ μετέβαλεν, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προσέθηκε. Hanc praesentiam asserit D. Philippus in scriptis suis ubique, pariter contra figmentum corporalis praesentiae & contra blasphemiam fingentium nuda symbola, his verbis: Christum vere & substantialiter adesse in sacra Coena &c.

XII

Non offerunt autem & exhibent symbola quod significant, nisi in insti-

tuto

tuto et mandato diuinitus usu. Non tamen, ut dictum est, physico ordine & modo, seu, ut usitate loquuntur, praesentia rerum significatarum corporali aut carnali: Alienissima enim haec sunt à mysterijs sacramentorum, & à praesentia & efficacia Christi in ministerio; sed spiritualiter & mystice, eo ordine & modo, qui ministerio verbi & sacramentorum proprius, & à naturali ac physico ordine in natura diuersissimus est: admirando consilio Dei ad hoc institutus, ut genus humanum detectum ac destitutum à tota rerum natura ostenderet Deus se alio modo instauraturum esse quam per ordinata in natura media. Panis & vinum in sacramento non offerunt corpus & sanguinem Christi tanquam physicum & naturalem corporis cibum, ore sumendum, Capernaitarum imaginatione, sed tanquam mysticum & spirituale alimentum animae prorsus eodem modo, quo Christus per verbum sese ac sua beneficia ac Spiritum Sanctum offert & exhibet. Nec habet illa imaginatio ullum in sacra scriptura testimonium: Imo reuocantur ab ea Auditores concione Christi, Johannis sexto, tanquam à commento rationis humanae, caeco falsoque errore aestimantis diuina suo iudicio, ex naturae ordine, non ex patefacta singularibus testimonijs in verbo Dei veritate.

XIII

Quemadmodum igitur offeruntur, sic & percipiuntur & applicantur etiam res symbolis significatae in earum usu verissime, non modo physico & naturali, sicut res corporeae & physicae, subiectae sensibus: sed fide mentis

tanquam

tamquam res spirituales, abditae sensibus, ordine & modo mystico ac spirituali, qui ministerij verbi & sacramentorum proprius est, per spiritum sanctum efficacem in usu sacramentorum, eodem modo ut in verbo, in cordibus piorum cogitantium, quid dicatur, & quid sumatur, & in nova poenitentia sacramentis utentium. Cum enim sacramenta sint signa gratiae, seu verbum visibile, offerantque & exhibeant quod significant vere eodem modo quo verbum. idcirco sunt sacramenta & praestant quod significant, tantum assentientibus promissioni gratiae, & fide amplectentibus res significatas & oblatas, non autem alijs sine fide utentibus. In sacra coena sumunt corpus & sanguinem Christi qui fide sumunt: Caeteri panem & vinum sumunt, id est sacramentum, non rem sacramenti, & quidem sibi in iudicium. Fiunt enim rei corporis & sanguinis Christi, quia non discernunt corpus Domini, id est, non discernunt hunc sacrum cibum a physico & profano: nec statuunt hunc cibum eo institutum esse, ut sit distributio corporis & sanguinis Christi, & omnium beneficiorum Christi & coniungat nos cum Christo, nova & vivifica insertione & incorporatione

X IIII

Ut enim verbum vocale, si aures tantum personet, nec cor mentemque feriat atque excitet ad assentiendum, & ad hoc amplectendum quod annunciatur, manet ei qui sic audit inanis sonitus: Sic sacramenta, panis & vinum in coena sacra, si ore tantum sumantur, nec fides accedat quae credat simul etiam hoc accipi quod significatur offertur atque exhibetur: itaque sibi applicet

applicet & proprium faciat, sunt nuda & inania symbola. Promissio .n. tam in verbo q̄ in Sacramentis requirit fidem, Et fide tantum fit applicatio, nec aliter ea enim q̄ verbo annunciantur, aliter quae Sacramentis obsignantur: Sicut dictum: Justus suâ fide vivet. Et illustria sunt verba Augustini: Tunc autem erit vita unicuiq corpus & sanguis Christi, si q̄d & Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducatur & bibitur. Item Evid est: Verba quae locutus sum, spiritus sunt & vita? Spiritualiter intelligenda sunt. Intellexisti spiritualiter? spiritus & vita sunt. Intellexisti carnaliter? etiam sic illa spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt.

XV

Fide ergo accepta panis & vinum sunt corpus & sanguis Christi, ut Christus loquitur: quae verba Paulus interpretatus inquit, Panis quem frangimus κοινωνία est, seu communicatio corporis Domini, id est, illa res externa & visibilis, quae in instituto usu eius, ordinatione divina efficimur socii & membra corporis Christi pro nobis in mortem traditi & resuscitati. Poculum cui benedicimus est communicatio sanguinis Domini, eo q̄d illa externa & visibili re, vere nobis exhibetur in usu divinitus instituto res caelestis & invisibilis, scilicet Domini sanguis, & ita quidem ut vere abluamur sanguine Filii Dei pro peccatis nostris effuso, & vivificemur per Spiritum Sanctum, effectu tamen non physico & corporeo, qualis est rerum naturalium, sed spirituali & mystico, per Spiritum Sanctum & fidem, Spiritu Sancto vere derivante ex corpore Christi tanquam vite in credentes cum palmites, initia eorum

omnium

omnium in hac vita, quæ Christus effudit in suam massam assumptam, ut hoc modo vere nos sibi copulet, & vere sit in nobis, etiam corpore suo. Aliquin perveniret effectus ad indignos etiam, a quibus omnibus fides separat dignos. Sunt enim multi indignorum gradus, ut multi sunt gradus contumelia, quibus in actum Cœna Christus afficitur. Hac indignorum numero comprehenduntur infirmi: Nam & languida fides est fides: nec est inter credentes & incredulos gradus tertius. Indignos autem reos fieri corporis & sanguinis Christi, in actum eius rei, quæ fit communicatio corporis & sanguinis, non discernentes inter hanc sacrum mysticumque ac profanum & physicum cibum alium, quid ergo disputatione? Relatio enim pertinet ad corpus Christi.

XVI.

Si urgeas curiose. Corpus Christi ergo non vere unitur corporib. nostris, cum statuatur absens non præsens, et dicatur unio fieri spiritualis non corporea? Respondeo: Procul removeantur a doctrina de unione Christi cum credentibus, confusiones omnes & commixtiones Marcionitica, Manicheæ, Eutychiana, Servetica & Swenkfeldica. Non fit enim in unione credentium cum Christo copulatio aut confusio physica substantiarum corporis Christi & nostrorum corporum. Sed fit nostrorum corporum insertio in corpus Christi, sicut surculi in truncum, non qualem facit colonus surculum includens in fissum truncum manu, sed huic similis fide, quam facit Spiritus Sanctus, cum toto cœlo dissita inniguore & unire, ut nostra corpora

pora uelut in vulnera Christi insita vitam ex caelesti corpore Christi hauri-
ant, tam facile est quam facile est colono in rimam fissi trunci surculum con-
dere & aptare. Vetustas dixit, credentes inire cum Christo & tota divini-
tate societatem duplicem, spiritualem & naturalem, quam interdum & corporalem vo-
cant, secundum vtramque naturam. Decretum enim de redemptione ideo
factum est, ut rursus vniamur toti divinitati, vnione spirituali. Et quia inter
Deum & hominem ordo iustitiae divinae non patiebatur iniri societatem, consti-
tutum est medium, videlicet ipse Dei filius Mediator, qui ideo assumpsit
massam naturae humanae, ut corpori ipsius insiti per fidem Deo rursus
coniungamur, & fiamus participes divinae naturae, ut ex ipso hauriamus
tamquam surculus ex trunco lucem, vitam, iustitiam, & laetitiam aeternam.
In societate ergo seu communicatione spirituali fit reconciliatio personae
cum Deo, donata remissione peccatorum ex misericordia, gratis propter
Christum. Fit & sanctificatio, seu renovatio per Spiritum sanctum, qua
restituitur in homine renato, imago Dei & accenditur similis lux &
iustitia, qualis ab aeterno patre in filium qui est imago & λόγος
aeterni patris propagatur, & quales motus divinae integritatis in patre &
filio per Spiritum Sanctum procedentem ab vtroque fulgent. Ita societas spi-
ritualis contrahitur cum Christo & tota divinitate. Nam filius dup-
liciter consideratur: ut persona mittens, & ut persona missa. Sed horum
omnium fit tantum inchoatio in hac vita. Societas autem vel com-
municatio corporalis fit cum Christo tamquam Mediatore, cuius corpori

inserimur

inserimur ut surculus trunco, ac spectat praecipue modum sanctificationis seu renovationis. Nam renovatio fit hoc ordine, ut fiat ad similitudinem humanae naturae Christi, sicut dicitur. Transformamur in eandem imaginem &c. Ideo induit naturam humanam Christus, & semel assumptam nunquam deponit, ut huic massae ipsius credentes inserti uiuant in ipso, & ut similia in ipsis efficiantur, qualia λόγος in sua natura efficit. Nam ὁ λόγος eadem agit in suo & nostro corpore, utroque & eodem spiritu suam & nostram massam vivificat, resuscitat ex morte, & in utraque habitat. Id uero nequaquam fit confusione physica corporum, quae nulla prorsus testimonia scripturae habet, sed spiritualiter manifeste cum alias saepe, tum euidenter his dictis. 1 Cor. 6. Qui adhaeret Domino, unus est cum eo spiritus. Item Rom. 8 Vos autem non estis in carne, sed in spiritu: siquidem spiritus Dei habitat in vobis. Quod si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Et paulo post. Si spiritus eius qui excitauit Iesum a mortuis, habitat in uobis: is qui excitauit Christum a mortuis, uiuificabit & mortalia corpora vestra, per inhabitantem eius spiritum in uobis. Et paulo post. Quotquot spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Item 1 Cor. 6. Nescitis quod corpus vestrum templum est spiritus sancti, qui habitat in uobis, quem habetis a Deo. Sicut ergo in humano corpore membra positu, figura, & usu differentia, hauriunt vitam e communi fonte, uidelicet e corde, per similem spiritum: ita effusione eiusdem spiritus credentes copulantur Christo

ut

ut membra suo capiti, et accipiunt à Christo fide per eundem Spiritum similitudinem & iustitiam, qualis fulget in ipsius natura, quam & gestat, & inenarrabili gloria perfundit ὁ λόγος. Cum enim λόγος & humana natura assumpta sint unum ἐνσάρκωσιν, & λόγος habitet in nobis per Spiritum S. sicut in sua massa, necesse est nos etiam copulari naturae assumptae, vinculo eiusdem Spiritus, & participatione derivatae in nos lucis, iustitiae & vitae eiusdem quae est in humana natura Christi. Ideo secundum Paulum credentes sunt cum Christo & una caro & unus spiritus. Ac fiunt haec eodem modo in toto ministerio, in verbo & Sacramentis. Sacramenta enim sunt & sigilla promissionis gratiae, & simul ut vehiculum ipsarum, media quibus se Christus communicat credentibus, qui ultimus est finis redemptionis nostrae, ut dixi. Idcirco non tantum confirmant & obsignant doctrinam promissionis de remissione peccatorum gratuita, de restitutione vitae aeternae, de applicatione omnium beneficiorum Christi, tanquam μνημόσυνον aliquod. Sed Christus quamquam corpore suo absens in caelo, tamen divinitate vere praesens & efficax, inserit sibi per Spiritum Sanctum credentes ablutos sanguine suo, tanquam surculos arbori, aut viti palmites, aut tanquam vera & viva membra sacrosancto corpori suo, nihil obstante intervalli immensitate quod est inter caelum & terram. Sicut dicit: Manete in me, & Ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui

manet

manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent ac comburent. Hoc modo nim credentes sibi vere coniungit Christus, ac vi huius coniunctionis deri-uat ex suo corpore in animas & corpora nra, initia lucis, iustitiae, & vitae ae-ternae, ut incipiamus fieri conformes Deo, & Christus incipiat in nobis esse, & nos in Christo mutuo, etiam in hac vita, non habitudine solum qua per charitatem intelligitur, seu qua diligit personam reconciliatam, sed participatione naturali, sicut Cyrillus loquitur, id est, communicatione & socie-tate earum bonorum quae in sua natura humana habet summa. Sicut in-quit Christus: Qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Denique ut corpora nostra esse incipiant caro de carne, os ex ossibus ipsius, sicut ante glorificationem ipse erat caro de carne nostra, & os de ossibus nostris. Consummabitur autem hoc in illa aeternitate, quando resuscitata & repurgata corpora nra glorificabit & efficiet συμμορφα suo glorioso corpori, & erit Deus perficiens oia in omnibus electis. Neque ideo confunditur distinctio inter Creatorem & Crea-turam: inter dona humanae naturae Christi quae sunt οὐ κατὰ μέτρον, & aliorum sanctorum quae sunt κατὰ μέτρον πίστεως: aut inter statum inchoationis & consummationis. Hoc modo ergo vere unimur vero corpori Christi in Coena sacra, etiam corporali unione. Contrahitur

societas

PP.

societas non imaginaria, non momentanea, nec certi temporis, sed duratura in omnem aeternitatem, post hanc vitam, quando consummabitur. Nec praeter hanc imaginemur aut fingamus aliam cum Christo copulationem corpoream. Huius insertionis in massam humanam Christi traditam pro nobis & crucifixam, qua nunc vivens in hac vita per ministerium Verbi ac Sacramentorum, & per Spiritum sanctum Deo consociamur atque coniungimur, omniumque efficimur participes beneficiorum per & propter Christum promissorum, ut sit obsignatio ac sigillum, instituta est à Christo haec sacra Coena, tanquam ceremonia ultima, & ultimum sacramentum novi testamenti, ut in eius usu nunc credamus haec omnia nos consequi, & nunc nos etiam in hac vita insertos & unitos corpori Christi, Deo consociari, ac quasi agglutinari, ut retineamur ad societatem aeternam.

XVII.

Vere itaque praesens est in sacra Coena filius Dei, & quidem propter hominem non propter panem: Non enim ad panem se alligat nexu physico, sed ad hominem ore quidem vescentem pane in usu instituto, corpore vero suo fide: Nec adest tamen homini, aut corporaliter, aut physice, aut magice, sed spiritualiter, voluntarie & ordinate, ex institutione & pacto, sicut se pacto ac sponsione obstrinxit assistentem esse Ecclesiae, & ministerio Verbi ac Sacramentorum. Cumque sit corpore suo in Caelo, secundum veri corporis modum, divinitate tamen praesens & efficax, sicut dixit: Ego ero vobiscum usque ad consummationem seculi, Item: Ubi cumque duo aut tres

congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum: Ita ergo prae-
sens vere pascit credentes corpore & sanguine suo, nec tantum obsignat in
ijs beneficia sua, sed vere transfundit in eos corpus & sanguinem suum
per spiritum sanctum, id est coram omnium initia quae in suam naturam
humanam effudit. Sed neutiquam, ut Capernaitae imaginabantur, & plurimi
hodie, physice, corporaliter aut carnaliter, aut ordine & modo physico &
corporeo, qui est ciborum corporis, sed mystice & sacramentaliter, mystico
ac spirituali ordine & modo, miraculo maiore (si quaerimus miracu-
la, & spectamus opus omnipotentiae divinae) quod in caelo locatum cor-
pus suum praebet nobis sumendum in sacra coena, quam si praeter illud in
os tradere sumentibus statuatur, sine ullo prorsus testimonio scripturae,
imo fundamento falso & commentitio, quo verba institutionis retineri
finguntur, cum & interpretatio prorsus a verbis aliena, sensum his affin-
gat, nec verbis aut rebus congruum, nec analogum fidei. Sed ex diame-
tro contrarium perpetuae & evidenti doctrinae de veritate corporis Christi, na-
turaeque ac ratione sacramentorum: & adiectio particularum In, sub &
cum, quae nusquam reperiuntur, verba violenter corrumpat.

XVIII.

Neque est alia in coena sacra praesentia quam in ministerio verbi & sacra-
mentorum reliquis. Neque plus hic offertur et exhibetur quam in illis.
Praesentia & efficacia eadem est in toto ministerio, & singulis partibus.

Tota

Tota diuinitas vere adest & efficax est, videlicet sonante voce Euangelij & in vsu Sacramentorum: sed ordo consideretur. Filius profert Euangelium ex sinu aeterni patris, & ostendit patrem: Ita simul adest Pater, & per filium dat Spiritum sanctum. Est & effectus idem, sed modus vtrinque discerni potest, iuxta symbolorum significata. In ministerio verbi arguuntur peccata & per vocem Euangelij fit annunciatio Christi & beneficiorum eius, cum qua voce Christus in accipientibus & non repugnantibus vere efficax est in corde, dato Spiritu sancto, atque ea efficit quae promittit Euangelium. Hoc modo fit conuersio ad Deum, in sensu irae Dei ex agnitione peccatorum, & vera agnitione Dei, ac fiducia misericordiae diuinae in vera agnitione & fiducia filij Dei Mediatoris. Per Spiritum sanctum arguitur peccatum, vt celagis, & vocibus Euangelij voce eriguntur perterrefacta corda, accenditur lux agnitionis verae, fides, & consolatio, & simul effunditur in corda Spiritus sanctus vt habitet in credentibus & inchoet nouitatem Deo conformem, qua clamamus Abba pater. Sacramenta sunt ritus externi, incurrentes in oculos, instituti vt sint sigilla promissionis & testimonia applicatae promissionis vniuersalis ad singulos. Symbola differunt, quia diuersis modis significandi est, & testificatio fit de donis benis. In Baptismo adest filius Dei vt ad regenerationem. In Coena sacra vt ad renati confirmationem & nutricationem. Necesse est enim ex doctrina Euangelij hominem primo Christo inseri, & ex regno dia

boli

boli in regnum filij Dei transferri. Illius insertionis obsignatio & ablutio est mersio in aquam baptismi quia significat secundum Apostoli vocem, veterem hominem mergi & aboleri: Econtrario Baptisatum Deo reconciliatum esse, fieri civem Ecclesiae & regni Christi, ac renovari ad vitam aeternam. Nominat enim Paulus Baptismum lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti. Homini renato vero deinde opus est perpetua nutritione, perpetua sibi confirmatione. Illius pignus & obsignatio est sacra Caena. Hac enim convictis tanquam certo pignore testatur Christus se credentibus certo ac perpetuo affuturum, se eos servaturum, ac vivificaturum esse, vita beata: & corpora etiam ad vitam immortalem excitaturum esse.

X I X

Ut ergo totum beneficium Christi complectamur, cuius finis ultimus est communicatio sui, qua fit illa ad Deum ἀνακεφαλαίωσις, de qua Paulus ad Ephesios: Vera & salvifica communicatio Christi in qua salus universa nostra consistit, est, qua se nobis communicat, Merito, Essentia & Efficacia. Merito, propter quod reconciliati Deo recipimur in gratiam, reputamur iusti gratis ex misericordia, donamur remissione peccatorum, Spiritu sancto, & vita aeterna. Essentia: qua Filius Dei θεάνθρωπος habitat in nobis essentialiter, & nos sibi & naturae assumptae copulat, & membra sua facit, ac eodem Spiritu vivificat. Efficacia: qua per Spiritum sanctum efficax est, nos liberat a peccato, regeneratis

ratis restituit lucem, iustitiam & vitam aeternam, qualis est in natura ab ipso assumpta.

XXIIII.

Hanc doctrinam de persona filij Dej, & de praesentia eius in sacra cena, imo in toto ministerio: & certo serio & constanter affirmo vocem esse Christi & Apostolorum, contra quam non praeualebunt portae inferorum, uel si rumpantur, quantacunque eam oppugnent uel sophistica uel uiolentia. Et quae ueritas est? quae amentia? contendere sine ullo fundamento scripturae quomodo corpus Christi sit in pane! quasi adsit propter panem non propter hominem. Sine ullo fundamento dico. Quale est enim fundamentum, quo opinio nititur? Veritas inquiunt uerborum Christi quia dixit: Hoc est corpus meum. At hoc fundamentum quomodo retinent Autores & defensores? Cum dicunt, non hunc panem esse corpus Christi, sed cum, uel in, uel sub eo esse corpus Christi. Haec obsecro quomodo congruunt uerbis Christi, & inter se? Vbi in scriptura sacra, & probatis scriptoribus uetoribus reperiuntur haec particulae? An hoc est retinere τὸ ῥητόν? An non vis infertur manifesta verbis Christi? An hoc non est ludere praestigijs uerborum & imponere miseris auditoribus, affirmare quod euidenter non est? Discrepant enim in infinitum hae duae propositiones: Panis est corpus Christi: Et: Cum, uel in uel sub pane est corpus Christi: & pariunt contradictiones impossibiles & inexplicabiles. Cum, si

ũstis

vultis retinere τὸ ῥητόν, non transitis recta in castra Pontificiorum,
qui soli tuentur τὸ ῥητόν commento Transsubstantiationis? Qua-
le est igitur fundamentum vestrae opinionis? falsum & commentitium: quod
nusquam in Scriptura reperitur, & ab hominibus est excogitatum. Et si
interpretatio verborum Christi quaerenda est, quare non Paulinam potius
sequimur, quam illam Paulinae contrariam? Nusquam autem Paulus
dicit ore sumi corpus & sanguinem Christi, sed panem accipi, & bibi
poculum constanter & convenienter eodem modo asserit ubique, & servans
inter visibilia sacramenta seu symbola, & inter res ipsas veras & alter-
nas quae non ore sed spiritu & fide percipiuntur: quarum efficimur
participes communicatione corporis & sanguinis Christi. Neque aliunde persua-
sio de manducatione Capernaitica orta est quam ex commento Transsubstan-
tiationis Pontificio. Sed largiamur eis aequipollere has propositiones di-
as: quibus vero Scripturae testimoniis ostendent, quod necessario inde se-
quatur, qualis sit in pane & vino praesentia corporis, & quomodo fiat cor-
porum duorum Christi & hominis copulatio? Quanti temporis sit, & quam
diuturna? Quem habeat usum & efficaciam? Quam afferat piis menti-
bus consolationem? Non sunt haec inquirenda dicent! At ve-
ro si voluit corpus suum nobis physico & corporeo modo copulare Christus,
non fecit hoc sine certo, claro, expressoque testimonio, nec frustra fecit
& temere, nec sine usu aliquo ad salutem nostram, nec momenta-

neam

neam esse communicationem ut licet, aut inefficacem & infructuosam. De his omnibus in tota scriptura verbum extat nullum. Qualis est ergo haec doctrina? Tota commentum est humanae rationis, sine verbo Dei excogitatum, & mendacio transsubstantiationis pontificiae velatum atque bastonas venditatum, quod peperit & invexit in Ecclesias βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, illud idolum vastans Ecclesiam in missa pontificia, quod rapiens honorem filij Dei, depopulatum Ecclesiam infinitarum animarum interitu, & pro Christo regnavit bastonas ac cultum est nullis saeculis horribili ac tetra idolatria, cuius poenas dat & daturus est mundus in hac vita & in omni aeternitate, quod nervus est & vinculum tyrannidis pontificiae, & regni tenebrarum. Tetrior est & execrabilior blasphemia in commento ubiquitatis, quod renovatis furoribus Eutychianis, penitus evertit & abolet alterum articulum symboli Christiani de Christo vero Deo & Homine; quod fundamentum ubi non retinetur, ibi desinit esse Ecclesia, quae super hoc fundamentum extructa est. Propterea toto pectore commentum utrumque exsecror, nec me, Deo adjuvante, unquam aut defensoribus ubiquitatis adjungam, aut fiam participem impiae artolatriae pontificiorum, & innocentis sanguinis qui effusus est in multis orbis Christiani partibus horribili laniena stabiliendi conservandique huius idoli gratia. Et Deum ardentibus votis precor, per & propter filium Jesum Christum, ut me regat, doceat

doceat, seruet, confirmet, ac sustentet spiritu suo sancto, in hac ag-
sondern es hatt eyn yder seyne gaben, vnd seynen beruff: wie in den hey-
den Apostoln Petro vnd Paulo. Ich aber sehe in dieser spaltung auff
Keyner person autoritet, sondern stracks vnd bloss auff Gott alleyne,
auf seyne Ehr vnd warheytt, vnd meyner selen seligkeyt. Darumb
kan Ich nicht abweichen, den Ich gewiss das es die warheytt sey. Gott
muss mit seyner warheytt allein fürgehen.

Die Zehendte Vrsach, Dieweil mich den der barmhertzige
Gott auss genaden zur erkhantnuss seyner warheytt bracht hatt: So
soll Ich wissentlich, fürsetzlich, oder mutwillig dem Zeugnuss des hey-
ligen Geistes in meynem hertzen vnd gewissen nicht widerstreben.
Ich soll keyn ärgernuss in der Kirchen mit meynem exempel anrich-
ten vnd stifften: Ich soll so viel fromer, woll verdienter, theuren
heyligen Lehrer, die nun mehr in Gott ruhen nicht verunruhigen

vnd

vnd verdamnen: Ich soll mich des vnschüldigen blutts dz vber dieser
sachen ist vergossen worden, von wegen der Bäbstischen Meß, zur sterckung
derselben, nicht teylhafftig machen, Vnd letztlich soll Ich Gott wi-
der mein gewissen für eynen falschen zeugen nicht anrüffen zu
meyner Sehlen ewigen verdamnuß.

Auß diesen vrsachen kan Ich auch in diesem articul gar vnnd gantz
nicht fürüber: Den da Ichs thün würde, ist vngezweyffelt dz Ich
wider den heyligen Geist sündigte: dafon Christus sagt, dz die sünde
wider den heyligen Geist nicht vergeben werde, weder in diesem
leben noch in dem zukünfftigen.

Darumb bitt Ich E Churf. G. vmb Gottes, vnd d Ehr des hey-
Christi, vmb der warheyt, vmb E Churf G. seelen seligkeyt
willen, die wollen in dieser grossen wichtigen sachen gemach thün, vnd
da sie ihr diese lehre nicht leyden, noch zur keyner erkantnuß
der warheyt fordern wollen: dieselbe nicht verfolgen.

Caspar Peucerus D.

CAVSSÆ PROPTER QVAS NON POSSUM discedere ab agnita Veritate in duobus controuersis articulis doctrinæ Christianæ, & confessionem eius abijcere.

Duo articuli fidei controuertuntur: Vnus de Vera incarnatione filij Dei, Domini nostri Iesu Christi, seu de unione hypostatica duarum naturarum, diuinæ & humanæ in persona Christi. ac, De uero sensu & intellectu Verborum Ioannis Euangelistæ: Verbum caro factum est. Symboli Apostolici: Conceptus de spiritu sancto, Natus ex Maria Virgine. Symboli Niceni: Et homo factus est. denique de proprietatibus humanæ naturæ assumptæ in Christo, tam incarnatæ et crucifixæ, quam resuscitatæ, glorificatæ & exaltatæ: quæ est præcipua pars secundi articuli Symboli Christiani. Altera est de Vera præsentia Corporis & sanguinis Christi in sacra cœna. In harum causarum commemoratione non repetam Ecclesiæ doctrinam, quam luce quauis meridiana clariorem exponam deinceps: sed profiteor & testor coram Deo patre, filio & Spiritu Sancto: teste ipso spiritu sancto in corde meo, me amplecti firmiter & retinere constanter omnes fidei & doctrinæ Christianæ articulos, & inter eos hos duos, qui controuersi sunt integros ac incorruptos: Ac de omnibus, denique his duobus inprimis, hoc sentire ac credere indubitata fide, quod sensit, credidit, professa est & confessa Sancta Catholica & orthodoxa

Ecclesia

edit. p. 613

Ecclesia Christi, uno spiritu, una fide, una voce inde usque à temporibus Christi & Apostolorum secundum euidentissima testimonia doctrina patefacta per ipsum filium Dej, Dominum nostrum Iesum Christum.

Ab hac sententia cur non debeam nec possim discedere in priore articulo: has habeo summas et grauissimas causas, quarum est

Prima Causa: Quia certus sum, certus sum, certus sum hanc doctrinam de jncarnatione filij Dej, quam amplector & profiteor, patefactam esse ac traditam nobis, cum ab ipso filio Dej, voce ipsius: tum per prophetas & Aplos. Nec tunc demum cum in carne apparuit Christus, et Aplorum tempore extitisse Iudeos & alios haereticos qui aduersarentur huic doctrinae, ut ostendunt Conciones Christi, Epistolae Iohannis et Ignatij Episcopi Antiocheni & aliorum: Sed omni tempore Diabolum hostem filij Dej impulisse organa sua ut Veritatem & gloriam Christj oppugnarent, naturae alterutrius [oppugnatione] abnegatione: quibus restitit Deus per sancta organa sua, quae excitata à sese suo sancto spu instinxit [?] hostes ad defensiones Veritatis & gloriae suae, & filij Unigeniti Iesu Christj.

Secunda Causa. Quia certo scio, eandem maximis certaminibus in Eccta per annos amplius quingentos à furoribus & molitionibus haereticorum vindicatam & assertam esse: & uno deinceps perpetuoque consensu Catholicae & orthodoxae Ecctae approbatam esse ac conseruatam, praecipue in Europa, Asiaticis Ecclesijs & Affricanis Mahometico furore oppressis ac deletis.

Tertia

Tertia causa: Quod habet testimonia illustria probatarum & Oecumenicarum synodorum; Nicænæ, Constantinopolitanarum primæ & posteriorum, Ephesinæ & Chalcedonensis: adversus Arium, Nestorium, Eutychen, Monophysitas, Monotheletas: & symbolorum quæ Ecclesiæ autoritate recepta sunt.

Quarta causa: Quod habet consentientia testimonia omnium probatorum in Ecclesia scriptorum, Græcorum & Latinorum, non veterum tantum, sed & recentiorum: imo ipsorum etiam scholasticorum & Sententiariorum in Ecclesia Romana, quæ cum reliquos articulos omnes pertinentes ad merita & beneficia Christi depravarit, hunc de persona Christi veri Dei & hominis, ut totum de Trinitate integrum conservavit & incorruptum. Nec fuit hactenus ullum nostris Ecclesijs certamen cum Pontificijs de parte huius articuli aliqua: sed in omnibus conventibus & colloquijs de contentis cum ipsis in eo consensum est expresse. Extant Iesuitarum disputationes contra D. Iacobum Andreæ, quibus ex perpetua doctrina Ecclesiæ evidenter convincitur, quod sit Arianus, Nestorianus, Eutychianus Monotheleta: Idq. mediocriter doctrinæ fundamenta tenenti intelligere & iudicare facillimum est & planissimum. Explicata.n. huius articuli veritas est, ut in re multo ante iudicata ab Ecclesia, & Dei testimonio comprobata.

Quinta causa: Quia infinitorum Martyrum sanguine confirmata & obsignata est

Sexta causa: Quod orthodoxa Ecclesia omnes ab hac doctrina dissentientes ut Nestorianos & Eutychianos, quorum sunt dogmata quæ nunc repetuntur,

Quod

Quód ergo tales omnes hostes filij Dei, haereticos & idolatras declaravit testimo,,
nio Ecclesiarum praecipue in Graecia, quae & ante haec tempora & adhuc ho,,
die, Georgianos, Mengrellios, Armenios & similes alios in Asia, quamquam
Christianum nomen profitentes, Nestorianum tamen errorem retinentes pro
idolatris habent & condemnant: multoq. magis Mahometanos ipsos, apertos
blasphemos, ac iuratos hostes filij Dej, alioquin de persona christj id prorsus
sentientes quod Nestorius sensit: ut ostendetur in articulo ipso inferius.
Idem fecit et facit Romana Ecclesia; cuiusque alijs erroribus referta nunc sit usque.

Septima causa. Quód expressis summorum Impp decretis ac legibus
authoritate publica sancita ac stabilita est. qui decretum synodi Chalce,,
donensis legibus suis inseruerunt.

Octaua causa. Quód judicium de hac doctrina suum ostendit &
declaravit Deus ipse illustribus testimonijs irae suae adversus ipsos Au,,
tores primos & pertinaces defensores opinionis impiae inter Doctores Eccle,,
siasticos & Imperatores. Quód cum Ecclesiae Asiaticae & Africana non de,,
sinerent hos condemnatos furores renovare & propugnare: tandem deleuit
illas Deus armis Mahometicis, dogmate & tristissima servitute corporum an,,
nos iam propemodum mille. Denique quód inter tantas Diaboli machinatio,,
nes, inter tantas collisiones & confusiones Imperiorum ac diversissimarum
gentium inter se commixtiones, non minus in Europae provincijs, Germania
Italia, Gallia, Hispania, quam in Asia & Africa: Denique inter certamina
tanta

tanta, quod Veritatem & puritatem huius articuli in Occidente conserua uit manifesto miraculo. Quod si objicias: Haec eadem profiteri & jactari nobis Aduersantes! Respondeo, Audiui meis auribus hic jn car. cribus meis D. Iacobum Andreae contra Vnam & perpetuam Ecclesiae doctrinam & sententiam, manifesta confusione diuinae naturae Christi attributis, cum donis Spiritus sancti effusis in humanam naturam assumptam, de quib. Symbolum ait: Conceptus de Spiritu sancto: Hunc ergo audiui Vnionem hypostaticam per omnia ac plane cum Nestorio describere inhabitatione naturae diuinae in humana, & declarare eam exemplo ignis accensi in fornace. Quod sicut ig. nis in fornace exerit et extendit vim suam tanto longius, quanto major & ardentior est: Ita diuinitas ex humana natura Christi aut per eandem expromat & ostendat sese tanto efficacius & potentius, quanto in ea lon. ge habitet quam in alijs sanctis, plenius ac perfectius. Audiui eundem hunc locum Pauli: quod bis plenitudo diuinitatis habitet in Christo cor. poraliter contra omnem & Veritatem & antiquitatem interpretari non de Vnione personali, cum Scriptura & Ecclesia, sed (D. Selneccero et non obscure aduersan. te) de inhabitatione naturae diuinae essentiali in humana natura, cum com. municatione omnium quae sunt diuinae naturae, Et tali quidem qualis est ignis in fornace, seu qualis est in omnibus alijs sanctis & Electis: Nec inter hos facere discrimen aliud quam gradibus plenitudinis & perfectionis: Nec quod praecipuum & summum est, in quo tota vis & ratio incarnationis atque

Vnionis

Vnionis hypostaticae Christi propriae, & differentiae inter Christum & alios sanctos consistit, fateor discrimen in persona Christi inter vnionem hypostaticam diuinae naturae assumentis & humanae citra omnem confusionem assumptae: & inter inhabitationem diuinae in assumpta humana per Spiritum Sanctum de quo concepta est: seu inter eandem naturam diuinam in vnitate personae efficacem in humana assumpta, ac sanctificantem eam per Spiritum sanctum: & inter ipsam naturam sanctificatam: seu inter ipsam naturam diuinam in persona, & dona per Spiritum sanctum effusa in humanam assumptam in vnitatem personae. Idem enim est, & eodem res redit, quacunque forma verborum utamur. Haec, inquam, audiui eum non modo non discernere, sed confundere penitus errore summo & maximo, de quo hic non disputo. Sed hoc certum est, prorsus ac penitus aboleri haec duo: Primum quod Christus sit natura & substantia verus Deus & verus homo in duabus naturis vnitis vnione hypostatica, inseparabiliter, indiuisibiliter, inconfuse, immutabiliter: quae summa nostra consolatio est. Deinde, quod sicut naturam suam humanam assumptam sanctificat Spiritu sancto suo: ita per eundem Spiritum nos miseros homines sibi insertos fide, tanquam palmites viti, sanctificat, gestat, viuificat, fouet. Exemplum in sua humana natura nobis proposuit sanctificationis & viuificationis nostrae: quia, sicut inquit Paulus, transformamur in eandem imaginem de claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu. Hunc errorem D. Iacobi Nestorianum esse

&

et Mahometicam blasphemiam Sole meridiano manifestius est & euidentius: neq eludet hoc si dicat, ut solet, Non est Verum. Audiui eundem dictum Ioann: 3; Dat ei Spiritum οὐ κατὰ μέτρον, non secundum mensuram, interpretari de immensitate & infinitate naturæ humanæ per omnia, cum Eutyche. Quia humana natura immensitatis & infinitati capax non est, nisi mutetur in diuinam: Quod intelligens Eutyches dixit fieri conuersionem naturæ humanæ in diuinam, Et Schwenkfeldius, humanam naturam deificari. Id uero si ita est, abolettur humana natura tota, & absorbetur in diuinam, & tota suis proprietatibus. Sed quo testimonio scripturæ! qua nostra consolatione! qua rei Veritate! Doctorem Selneccerum uero de omnibus alijs moderatius loquentem, & non semel mouentem D Iacobum, audiui tamen in interpretatione huius dicti, Verbum caro factum est: confundere naturas in Christo, & earum proprietates seorsum & in abstracto naturæ diuinæ proprietates tribuendo humanæ, quod competit tantum toti personæ in concreto: nec alio id asserentem fundamento quam allegatis duobus dictis Reuerendi dni. Doctoris Lutherj beatæ & sanctæ memoriæ, quæ ne minimo quidem ei suffragabantur. Nam, ut omnia scripturæ dicta loquebantur recte & proprie de tota persona & neutiquam de naturis in abstracto. Eundem audiui affirmare aperte, Humanam naturam in Christo per se & secundum seipsam seorsum adorabilem esse, Ephesina synodo & testimonijs scripturæ de Vnius & solius dei

adoratione

adoratione testificante contrarium: nimirum, Humanam naturam Chri in personae unitate cum divina, ut carnem propriam Filij Dej propter unionem hypostaticam participem fierj adorationis quae soli Deo debetur, & Christo tanquam vero Deo defertur. Per se vero & seorsum nec adorabilem nec coadorabilem esse: Et Idolatram esse qui eam per se & seorsum adorat ac coadorat, quemadmodum ostenderunt Anathematismi Cyrilli, ut dicetur inferius. Haec ergo cum audiverim auribus meis, & Deus aperuerit mihi oculos mentis meae, ut errores hos intelligam, qui sunt maximi momentj, quia evertunt totum fundamentum fidei Christianae & salutis nostrae: Nec debeo sciens nec volo quasi furenter repugnans testimonio Spiritus sanctj esse inter reiectos à Deo & Ecclesiae judicio condemnatos haereticos & fanaticos Nestorianos, Mahometanos, Eutychianos, Schwenkfeldianos & Idolatras. Certissimum enim est hos errores tanquam haereticos & idolatricos & declaratos & condemnatos esse in duabus Synodis Oecumenicis, Ephesina & Chalcedonensj. Quid dubium est, Me impie facturum esse, & commissurum esse peccatum irremissibile in Spiritum sanctum, si sciens & volens agnitam veritatem abijcerem et abiurarem, et huic contraria amplecterer & approbarem. Non addam his causis plura: Sed offero me ad has causas, & ad Confessionem seu repetitionem potius nec tantum Confessionis meae, sed doctrinae perpetuae quae in Ecclesia orthodoxa sonat & deinceps sequetur, declarandam

si vixero, et liberatus ex his carceribus auxilio divino vires ingenij et corpo-
ris, diuturnitate carceris & aerumnarum fractas mediocriter refecero.

In altero articulo de vera praesentia corporis & sanguinis Christi in sacra coena, cur non possim nec debeam à prima et antiquissima Pauli Apostoli et orthodoxae Ecclesiae sententia discedere, Et recentes errores posterioris aetatis amplecti, has habeo gravissimas causas: quarum est

Prima causa: Quod certus sum, certus sum, certus sum banc dcm quam amplector & in qua acquiesco esse dcm Pauli Apli. qui est unus et solus inter alios omnes qui secuti sunt, interpres verborum Christi fide dignissimus. Deinde quod idem senserit tota prima & purior Ecclesia inde usq à temporibus Christi & Apostolorum per annos amplius sexcentos: usq ad tempora Gregorij Magni Pontificis Romanj & sequentia, quibus paulatim capta sunt quaeri fundamenta ac nervi vel praetextus potius insectatione recens opinionj impiae de oblatione pro vivis & mortuis, quam Gregorius spectris motus confirmavit. Nec dubium est, ante tempora Caroli Magni ignotas fuisse Ecclesiae omnes has disputationes quibus ... est de praesentia corporali Christi in homine aut in symbolis sacrae coenae, pane & vino. Circa aetatem vero Caroli Magni annis post Christum octingentis primum hae quaestiones motae & agitatae sunt ut apparet ex

Damasceno

Damasceno: ac paulo post crevit magis magisq. autoritas et dignitas Missae, cum opinione peculiaris cultus & sacrificij quod mereatur remissionem peccatorum sumentj, & alijs pro quibus applicatur, donec tota in tetram pomitus jdolatriam conversa cum horribilibus & multiplicibus abusibus ac tetris prophanationibus Caenae Dominj, faecundissimo partu ac proventu edidit innumera Monachorum agmina, qui fuerunt huius jdolatriae ministrj & Romani Pontificis satellites. In jure Canonico recitatur initio doctrina tota de sacra coena, recte, integre & perspicue ex Augustino, cuius sunt testimonia de hac nostra sententia valde illustria. Deinde subiungitur ex diametro pugnans cum ea, doctrina Ecclesiae Romanae ex fundamento Transsubstantiationis, quam patroni ipsi fatentur dissidere à Scriptura: sed valere contenderunt propter autoritatem Ecclesiae: Quasi potestatem habeat Ecclesia condendi articulos fidej, & mutandj aut alio vertendj testamentum & institutionem Christj. Et Glossator ad decretum, quo Berengarius condemnatur, addit: Nisi sobrie haec intelligas, incides in majorem errorem quam fuit Berengarij. Intellexit n. falsitatem & impietatem decretj cum absurditate manifesta coniunctam: sed contradicere aperte non fuit ausus

Secunda Causa, Quod haec opinio de Consubstantiatione, quam à Pontificijs acceptam defendunt Nostrj, non modo veteri & puriori Ecclesiae fuit ignotissima sed cum nota sit in Ecclesia Romana, nondum ante quingentos annos tamen ne ab ipsa quidem autoritate publica unquam fuit recepta & approbata

Imo

Imò Lanfrancus & alij oppugnatores Berengarij tanquam haereticam condemnant, non minore verborum atrocitate quam Berengarium ipsum, propterea quód á verbis Christi discedit. Nec fuit ab eo tempore repetita nisi á Petro de Aliaco & Gersone circa tempus Concilij Basiliensis ante annos nondum ducentos post Concilium Constantiense, in quo exustus est Ioannes Husso, sed sine ulla approbatione: Itaq. error est vix ducentorum annorum.

Tertia Causa, Quia nullum habet testimonium scripturae sacrae, perinde ut Transubstantiatió: quia nullo usquam verbulo fit mentio vel inhabitationis Christi in sanctis per suum corpus, vel copulationis seu connexus corporis Christi cum pane & vino, aut cum nostris corporibus physicj seu naturalis aut corporei, qualis est duorum corporum aut duarum substantiarum materialium. Nec meminit scriptura ullo verbulo quicquam de usu, fructu & efficacia, aut de modo & duratione illius praesentiae & copulationis: Sed uno consensu ubiq. affirmat filius Dej se per sanctum spiritum habitaturum in credentibus, non corpore. Qui cum sit aeterna veritas, & omnia nostrae salutis causa fecerit, si corpore habitare in nobis voluisset, fuisset id etiam diserte & expresse testaturus in consolationem nostram. Quód si dicas, ex verbis institutionis hoc sequi: Respondeo, sequitur si verba accipias eo sensu quo Pontificij, & commentitiam ac falsa inde exstruas Transubstantiationem seu conversionem substantiae panis in substantiam corporis Christi. Si alio & tropico sensu ad consubstantiationem

accomodes

accomodes, nihil minus sequitur. Et qui se enim hoc affirmant, relinere uerba Christi dicunt, evidenter & Christo & sibiipsis contradicunt. Quid est enim manifestius quam toto, quod ajunt caelo discrepare has duas propositiones: Hoc est corpus meum. et, In hoc, vel cum, vel sub hoc pane est meum corpus! Quod expresse & vehementer urget Lanfrancus contra autores commenti de Consubstantiatione. Sed de hoc infra plura.

Quarta Causa. Quod haec opinio penitus evertit articulum fidei de vera natura humana assumpta à filio Dei in unitatem personae, & de eius naturae proprietatibus contra totum scripturae contentum, cui articulo insistit fundamentum salutis nostrae. Id ne facerent Pontificij, maluerunt absurdissimum commentum Transsubstantiationis relinere.

Quinta Causa: Quod confirmat & stabilit nerum horribilis idololatriae in missa pontificia, in qua panis consecratus adoratur ut Deus, & extra missam, cultum & adorationem repositi ac circumgestati panis: ac praeter haec multiplices alios ac tetros & horrendos abusus consecrati panis, quos longum esset commemorare. Cuius sit. n. abusus hostiarum consecratarum ex hoc falso errore, innumeris exemplis notum est. Hac idololatria nulla fuit maior & tetrior his annis proximis desinentis in Ecclesia Romana, cuius dat et dabit poenas Occidens, si mundus extiterit, sicut Oriens luit adhuc poenas furorum in altero articulo. Quod si Occidens hanc idololatriam cumulaverint blasphemijs

Nestorianis et Eutychianis, cumulabunt etiam & exasperabunt poenae.

Sexta Causa: Quód auget & confirmat falsissimam & perniciosissimam persuasionem de opere operato, vulgi animis alte infixam: quasi prosit haec Ceremonia, vel ipsa sola sumptione sine seria poenitentia, sine fide, sine ullo bono motu utentium.

Septima Causa: Quód acuit saevitiam hostium Evangelij, et rogos accendit ijs qui idolum Romanae Ecclesiae in Missa pontificia agnoscere & adorare nolunt.

Octaua Causa: Quód audivi de Veritate in hac controversia judicia doctissimorum hominum, & Soceri mei inprimis beatae memoriae: quem saepenumero & disserentem de ea copiose audivi, & sancte affirmantem, quód de nullo inter omnes articulos controversos Antiquitatem tanta cura & diligentia consuluerit & pervestigarit ac de isto: Et cum lacrymis uberrimis deplorantem quód impediretur eius explicatio, odiorum & dissidiorum magnitudine: Et repetentem gravissimam Granvellanj vocem, qui in Ratisponensi Colloquio Anno 1541 dixerat ipsi, Vel hanc solam controversiam Concilio dignam esse: Denique beatos praedicantem qui pro hac doctrina pie & constanter mortem oppeterent, quód digna sit martyrij testimonio, eo quod oppugnat inveteratam idolatriam transferentem in panem consecratum, honorem & gloriam filij Dei, & convertentem cultum adorationis debitum Christo

ad

ad creaturam, horribili et execrando abusui: & commemorantem alia plura similia: Imo quum iudi in hac dra pie, sancte, placide & constanter mori

Nona Causa, Quod scio quomodo haec controuersia mota & agitata, ex interuallis renouata, nouis & alienissimis disputationibus accumulata & à dissimilimis Actoribus dissimiliime sit tractata.

Decima Causa, Quod non debeo nec possum sciens volensq. refragarj testimonio Spûs sanctj in corde meo, & hunc Rectorem ac paracletum contumaciter excutere: nec meae defectionis exemplo auctor esse scandali in Ecclesia, destruendo id quod aedificauj: nec contristari Spum S. in infirmis: Paulo Apostolo denunciante illis qui hoc faciunt graue iudicium: nec condemnare tot sanctos & innocentes Viros, quorum animae jam sunt in benedictione: nec me participem facere sanguinis effusi propter hanc doctrinam tot jam annis. Denique non debeo abiurando veritatem, Deum contra conscientiam et conscientiam meam inuocare falsum testem in certissimum & aeternum exitium animae meae. Quod quoties cogito, cohorresco toto pectore. Haec ergo cum de utroque articulo assidue obuersentur animo meo: quomodo agnitae veritatj aduersari, & Spiritui sancto possum repugnare? Ne quidem abiurare aut abnegare eam deberem si incertus adhuc essem ac dubitarem. Nam & hoc si facerem in dubijs & controuersis articulis, non recte facerem: Iubeor n. mandato Dej attendere lectionj et doctrinae, scrutari scripturas: quaerere veritatem

tatem, implorare auxilium Spiritus sancti, petere ut adiuver, docear, regar di-
uinitus in mea infirmitate. Non iubeor si haesitem veritatis inquisitionem
abijcere, aut deserere confessionem. Sed ipsam agnitam veritatem si ne-
garem, absque omni dubio peccarem peccatum in Spiritum sanctum, de quo inquit fi-
lius Dei: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem
blasphemia non remittetur; Et, quicunque dixerit verbum contra filium hominis
remittetur ei, qui autem dixerit contra spiritum sanctum, non remittetur ei
neque in hoc saeculo, neque in futuro. Item ad Hebraeos Cap. X. Voluntarie pec-
cantibus post agnitam veritatem non relinquitur pro peccatis hostia: sed terri-
bilis expectatio iudicij Dei, & ignis aemulatio quae consumptura est Adver-
sarios: Irritam faciens legem Mosi, sine ulla miseratione duobus vel tribus
testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui filium
Dei conculcaverit & sanguinem eius polluerit, & Spiritui gratiae contume-
liam fecerit. TE ergo ô fili Dei Iesu Christe, crucifixe
pro nobis & resuscitate, qui ad dextram aeterni patris regnas & interpellas
pro nobis verus et aeternus Deus, & verus homo, caput gloriosum Ecclesiae
tuae, Rex & sacerdos aeternus. Te oro per viscera misericordiae tuae, &
per vulnera tua, rege, guberna, confirma, custodi conserva me ne de-
ficiam, ne avellar, ne aberrem à veritate tua. Tu redemisti me pre-
cioso sanguine tuo: propter te sustineo omnia. Ante oculos tuos sunt

perpetuj

perpetui gemitus mei, & lacrymæ meæ: Da testimonium Veritati tuæ, Et Vindica gloriam tuam, Et adiuua, eripe, libera, salua me AMEN.

Caspar Peucerus D.

CAUSÆ À SINISTRA, PROPTER quas non possum abijcere agnitam et confessam Veritatem.

edit. p. 631

Causas à dextra supra exposui in utroq. articulo: Addam & causas à sinistro. Si ergo Deo, filio Dej, & Veritate manifesta abnegata & abiurata, prouocata adversus me ira Dej æterna, me præcipitato in exitium æternum, factus iuratus hostis filij Dej, liberem me forte ex his carceribus, & contentiosam vitam in breve aliquod tempus; Quid mihi præter hunc miserrimum vitalem halitum reliquum erit? Conscientia in perpetuo sensu iustæ iræ Dej nec poterit nec audebit inuocare deum, nec petere remissionem & condonationem peccati in Spiritum sanctum, voluntarie & deliberato post agnitam Veritatem commissj. Cohorrescet perpetuo ad cogitationem de iudicio & ira Dej, & mox in ipsis precationis inchoatæ principijs concidet & deficiet, Inuoluetur terroribus perpetuis & immedicabilibus, metuens in horas & in momenta ne opprimar tristibus & tragicis pœnis & casibus, aut ne sim spectator tragicarum calamitatum in meis liberis. At Deo auertente à me misericordiam & faciem, & amouente dexteram suam, in manibus & potestate Diabolj, desertus à sanctis Angelis, ab omni

auxilio

præsidio, auxilio & benedictione diuina, obiectus & expositus omnibus quæ co„
gitari possunt miserijs huius vitæ. Ero in summo odio et contemptu extre„
mo non tantum apud eos qui norunt & intelligunt Veritatem, sed omnes bo„
nos Viros qui cum in ciuilibus & politicis negocijs abiurantem aliquid falso
& contra quam sit execrentur ut sceleratum & humana societate indignum,
quid aliud sunt pronunciaturj de me Deo Cardiognostæ furenter et contu
meliose illudente & conspuente in faciem Filij Dej in abnegatione agnitæ
& confessæ Veritatis? Imo multo sunt me & detestaturi atrocius &
persecuturj infestius. Non reperientur qui mea consuetudine uti nolint,
sed omnes me pariter fugient tanquam à Deo abiectum & tanquam pollutum
scelere, præsertim si hac ipsa abnegatione quasi approbans intentatum mihi
iniuste crimen, faterer me scelerate & perfide egisse contra hanc Dei Ve„
ritatem, quam amplexus sum & professus. Utroque dico nomine hi me
execraturj sunt, quod sciens volensque abiurarim doctrinam quam statuam
esse Veritatem, & cuius professione causam præbuerim commouendis his Ec„
clesijs. Et ut maxime Deo immensa bonitate differente pœnas restitutus
honoribus & dignitatibus affluam omnibus rebus ad vitam necessarijs:
non posset tamen non mihi acerba esse vita inter pauores perpetuos fla
granti odio publico, sempiterna infamia deformato, ab omnibus spreto et
conculcato. Tandem destituto mihj a Deo & á tota rerum natura,

qd

quid supererit in horribilibus & assiduis anxietatibus & cruciatibus sauci
atæ Conscientiæ, nisi ut unam in desperationem & in exitium æternum, &
relinquam liberis meis maledictionem à Deo & infamiam sempiternam.
O Iesu Christe fili Dei, miserere meæ ingentis infirmitatis quæ tibi no-
tior est quam mihi: quam vides crescere spiritu & corpore in horas et in mo-
menta, Et non deseras, non derelinquas me: Adiutor & liberator meus
esto, linum fumigans non extinguas, Calamum quassatum non confrin-
gas, Cor humiliatum & Contritum non despicias. Ubi habitabis nisi in
corde Contrito & humiliato, & tremente sermones tuos. Illumina, sancti-
fica, rege, doce, guberna Confirma me ne unam in errores aut scelera,
ne peccem in te, ne deficiat fides mea, ne deficiat Virtus mea, ne langue-
fiat invocatio mea, ne debilitentur spes meæ, ne succumbam, confun-
dar, deficiam in confessione Veritatis tuæ, ne quid faciam liberationis meæ
causa quod te offendat, quod sit scandalo Ecclesiæ tuæ, quod sauciet
Conscientiam meam, quod hostes Veritatis tuæ confirmet: Ne frangar,
opprimar, conterar, mole, mora, diuturnitate crucis, curarum & afflicti-
onum mearum: Ne impellar in impatientiam, indignationem, fremitum ad-
versus te, aut in dubitationes, desperationem & exitium æternum. Custodi
et libera me à reatu capitali, à tragicis & atrocibus pœnis & casibus,
ab infami, violenta & cruenta morte & gravi laceratione corporis,

à

à grauis tragico, tristi, mutto & sterili vitæ exitu: à diuturnis tetris squallidis carceribus: à Sycophantiis & Sinonijs artibus, insidijs & molitionibus, à linguis mendacibus, labijs dolosis, parricidialibus calumnijs, præstigiatrice sophistica, ab omni rabie, sæuitia & violentia, ab infami egestate & fame, à periculis animæ & corporis. Eripe, libera, salua me; extrahe me de carceribus istis, reduc me in lucem, redde me Ecclesiæ tuæ, quocunque tu vis loco, secundum tuum beneplacitum: Et spiritu sancto tuo unge & sanctifica me in veritate tua, Tibi Domine tibi, in tuos sanctos usus & ad sancta ministeria tua. Retine, guberna, confirma & dirige me in confessione agnitæ veritatis. Da mihi os & sapientiam, cui nequeant resistere aut contradicere ulli mei adversarij: Et glorificabo te in confessione filij tui unigeniti toto corde meo, Et continuam reliquum vitæ meæ in tuis sanctis ministerijs, testis & præco veritatis & mirabilium tuorum omnibus diebus vitæ meæ. Exaudi obsecro, ô fili dei, Iesu Christe: Exaudi, suscipe, perfer preces meas ad æternum patrem nostrum: Ora & deprecare pro me: insta, urge, donec exores paternum pectus eius, & impetres ut exaudiar. Amen.

CAUSÆ ex altera parte, quæ me impellunt ad deserendam & abijciendam veritatis agnitæ confessionem, hæ sunt. Edit p. 635

Prima.

Prima causa: Summa & implacabilis indignatio & exacerbatio adversus me Principum, &, ut res ostendit, condemnatio mei ad perpetuos carceres, propter hanc doctrinam.

Secunda: Status & conditio mea: quia excussus sum ex loco & statione mea, spoliatus omnibus ornamentis ac praesidijs civilibus huius vitae, exutus omni spe auxilij humani, & liberationis per media humana: proiectus, contemtus, desertus, & ut apparet desperatus penitus, factus, ut psalmi verbis utar, inimicis meis opprobrium, vicinis meis valde & timor notis meis: oblivioni datus ex corde tanquam mortuus: factus tanquam vas perditum: levissimis hominibus versus in canticum, & factus in proverbium. Non est qui contristetur mecum, aut qui consoletur me. Vere, sicut Iob inquit, spoliavit me Dominus gloria mea, & abstulit coronam de capite meo: destruxit me undique, & quasi evulsae arbori abstulit spem meam: Iratus est contra me furor eius, & sic me habuit quasi hostem suum.

Tertia: Carcer mutus, sterilis, anxius, solitarius, squallidus, tristis, ac diuturnus, quo paulatim consumor: miserabiliter deficiens tanquam canis mutus, & vivum cadaver, & somnium sine ullo usu mei & donorum quae Deus mihi concessit, sine ullo fructu operae meae communi & publico, conterens curis & moestitia annos & dies meos perinde ut fabulam, omni ope, ministerio, solatio, consilio hominum destitutus: & erepta mihi calamorum, atramenti, & papyri copia.

Quarta

Quarta: Orphani mei miseri, & misere dispersi: qui matre moestitia extincta propter meas calamitates, et me intra hos arctos carceres conclusio, velut oues percusso pastore vagantur et oberrant sine sedibus certis deserti, contempti, conculcati, pauperes, inter quos filij & filie nubiles sunt: quorum ego hereditatem consumo in his carceribus, coactus viuere de meo: quibus ne aditus quidem ad me conceditur, ne facultas de suis rebus mecum communicandi.

Quinta: Infirmitas ingens spiritus & corporis mei crescens in horas & momenta, deficientibus viribus cadauerosi corporis mei, quod Deus manifesto miraculo hucusq. solus fouit et conseruauit praeter et supra omnes causas naturales: spiritu vero elanguescente paulatim ex luctu & certaminibus assiduis cum carne mea & Diabolo.

Ista ex subiectione carnis mei & Diaboli in horas & momenta obstrepunt mihi, angunt & excruciant animum meum, interpellant ac turbant inuocationem meam, languefaciunt fidem meam, debilitant spes meas: frangunt & vires corporis, eneruant ingenium: Ut caetera praeteream quam omnibus alijs consilijs, auxilijs, solatijs fomentis curationibus, operis, inter insidias, angustias & pericula alia innumera, destituto mihi humanitus augent difficultates carceris, & virium imbecillitatem aggrauant.

Sed his auxilio Spiritus sancti oppono & consolationes propositas diuinitus, ac voce filij Dei traditas: & exempla sanctorum, quos Deus mirabiliter

biliter rexit, texit, custodivit, servavit, & tandem gloriose eripuit, ut sancto-
rum patriarcharum, Josephi, Davidis, Danielis, Jeremiae, Trium Israelitarum
in Camino Babylonica, prophetarum & Apostolorum: quibus etsi nulla in re sum con
ferendus, hoc scio tamen certo firmiterq. statuo, esse me vas electum
misericordiae divinae, & organon Spiritus sancti verum & vivum, salutare
mihi ipsi & alijs. Hanc tu consolationem accendisti in corde meo Iesu Chri-
ste fili Dei spiritu sancto tuo, promissionibus tuis. Hanc auge obsecro, & confirma
hoc quod operatus in me es per Spiritum sanctum tuum.

Consolationes ergo meae sunt hae:

Tu ô aeterne Deus, pater aeterne Domini mei Iesu Christi, ipse per filium
tuum unigenitum in spiritu sancto tuo, in maxima consternatione animi mei
me compellasti, erexisti & confirmasti hac promissione Esaiae prophetae, cap. 41:
Servus meus es tu; Ego elegi te & non abieci te: Ne timeas, quia Ego te-
cum sum. Ne declines: quia Ego Deus tuus sum: Confortavi te et auxi-
liatus sum tibi: & suscepi te dextera justi mei. Ecce confundentur & erubescent
omnes qui pugnant adversum te. Erunt quasi non sint: Peribunt qui con-
tradicunt tibi: Quaeres eos & non invenies, Quoniam Ego Dominus Deus tuus
apprehendens manum tuam, dicensq. tibi: Ne timeas, Ego adiuvi te. Noli
timere vermis Iacob, quia Ego auxiliatus sum tibi: Ego Redemptor tuus sanctus Israel.

Tu ex ore dilectae coniugis meae, cuius beata anima nunc quiescat in
sinu tuo, valedicentis mihi postremum per Spiritum sanctum tuum me acer-be

flentem

flentem, seria & magna commotione animi ipsius, consolatus es his verbis psal.
mi, vero, vivo & efficaci sensu consolationis tuæ in corde meo ac percentiens.
Non moriar sed vivam & narrabo opera Domini: Non mortui laudabunt
te Domine, nec omnes qui descendunt in infernum &c.
Psal 145: Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, invocantibus eum
in veritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet
& salvos faciet eos. Custodit Dominus eos diligentes se, & impios omnes disperdet.
Psal: 34: Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu
salvabit. Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.
Custodit omnia ossa eorum: unum ex eis non conteretur. Impiorum interficiet
malum, & qui oderunt iustum, erunt rei. Redimet Dominus animas
servorum suorum, & non erunt rei omnes qui sperant in eo.
Psal: 111 Quoniam desiderat me, liberabo eum. Protegam eum quoniam
cognovit nomen meum. Clamavit ad me, & ego exaudiam eum. Cum ipso
sum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum. Longitudine dierum
complebo eum, & ostendam ei salutare meum.
Verba Davidis iubentis reportare arcam in urbem, cum fugeret filium Ab.
solon. Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi
eam, & tabernaculum suum. Si autem dixerit mihi, Non places: presto
sum. faciat mihi quod bonum est coram ipso.
Psal: 25. Non confundentur universi, qui expectant te Domine.

Item.

Item, Qui aspiciunt Dominum & confluunt ad eum: eorum facies non confundentur.
Item: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & honorificabis me.
Esai: Ego, Ego sum, super quo confisus non est, qui me expectauit.
Item cap 51. Nolite timere opprobrium hominum & blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis, Et sicut lanam sic vorabit eos tinea. Salus autem mea in sempiternum erit: & justitia mea in generationes generationum.
Jerem: 17. Benedictus Vir qui confidit in Domino: & erit Dominus fiducia eius. Et erit quasi lignum transplantatum ad aquas, quod radices suas extendit ad humorem, nec timebit efflorescente aestu: & folium ejus semper vivebit. Tempore arido vero non efficietur, nec desinet aliquando afferre fructum.
Idem cap 26. Ecce in manibus vestris sum: facite mihi quod bonum et rectum in oculis vestris. Verumtamen scitote & cognoscite, quod si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos & contra habitatores terrae.
1 Reg 2. Qui glorificaverit me: illum glorificabo et Ego.
Danielis 3. Ecce Deus noster quem colimus potest eripere nos de camino ignis ardentis & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod si noluerit, notum tamen sit tibi Rex, quod Deos tuos propterea non colimus: & statuam auream quam erexisti non adoramus.
Joh. 14. Qui habet mandata mea & servat illa, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur â patre meo, Et ego diligam eum: & manifestabo ei meipsum.

Item

Item: Si quis diligit me, sermonem meum servabit: Et veniemus ad eum: & mansionem apud eum faciemus.

Joann. 15. Si manseritis in me, Et verba mea manserint in vobis, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis. Petite & accipietis

Joann. 12. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suã in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. Si quis mihi ministrat me sequatur, Et ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus.

Matth: 16. Quid prodest homini, si mundum universum lucretur: animae vero suae jacturam faciat? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?

Matth. 5. Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, et dixerint adversus vos omne malum, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis. Sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante vos.

Matth 19. Marci 10. Lucae 13. Nemo est qui reliquerit patrem & matrem, uxorem & liberos, fratres & sorores, domum & agros propter me, propter Evangelium, propter caelorum regnum, qui non recipiat multo plura: centuplum in hac vita cum persecutione: in futuro saeculo autem vitam aeternam.

Matth 12. Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus. Spiritus

ritus autem blasphemiae non remittetur. Et quicunq. dixerit Verbum contra Filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.

Matth. 10. Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & Ego eum coram patre meo qui in caelis est. Qui autem negaverit me coram hominibus: negabo & Ego eum coram patre meo qui in caelis est. Qui amat patrem aut matrem, filium aut filiam plus quam me non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus etc.

Paul. ad Rom. 8. Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba pater. Ipse enim Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro quod sumus filij Dei. Si autem filij: et haeredes. Haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur. Existimo enim quod non sit comparatio passionum huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.

Idem 2 Corinth. 4. In omnibus tribulationem patimur, sed non coarctamur: Angimur, sed non destituimur: Persecutionem patimur sed non derelinquimur: Humiliamur, sed non confundimur: deijcimur, sed non perimus: Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut & vita Iesu manifestetur in nobis.

Et paulo post: Id quod in praesenti est leve & momentaneum tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis

in nobis, non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur temporalia sunt: quae non videntur aeterna sunt.

Item 1 Corinth. 1. Sicut abundant passiones Christi in nobis: Ita & per Christum abundat consolatio, scientes quod sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis.

Idem 2 Timoth. 2. Si commortui sumus, simul etiam vivemus. Si simul patiemur, & conregnabimus. Si negaverimus & ille negabit nos. Si non credimus: ille fidelis permanet: Negare seipsum non potest.

In eadem epistola: 3 cap. Omnes qui volunt pie vivere in Iesu Christo: persecutionem patientur.

1 Petr. 4. Nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis sit: quasi novum aliquid vobis accidat, sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione gloriae eius gaudeatis exultantes. Si convitiati vobis fuerint in nomine Christi, beati eritis, quoniam quod est honoris, gloriae & virtutis Dei, & qui est eius spiritus super vos requiescet. Nemo autem vestrum patiatur ut fur & maledicus, aut alienorum appetitor, aut homicida &c.

Michea 5. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum. Educet me in lucem: Videbo iustitiam eius.

Habacuc 2. Si adhuc visus fuerit procul, apparebit tamen in finem, & non mentietur. Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet & non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit anima eius recta in semet ipso: Iustus autem fide sua vivet.

Ad Philipp.

Ad Philipp: 1. Quia vobis datum est pro christo: non solum ut in eum credatis sed ut etiam pro illo patiamini.

Psal: 37. Revela Domino viam tuam, & spera in eo, Et IPSE FACIET: Et deducet quasi lumen iustitiam tuam, & judicium tuum tanquam meridiem

Expecta Dominum, & custodi viam eius, & exaltabit te ut hereditate capias terram. Cum perierint impij videbis.

psal: 27. Expecta ergo Dominum: Viriliter age: Confortetur Cor tuum: Et expecta Dominum.

O ÆTERNE Deus, Vive, Verissime Deus & pater misericordiarum, ô Deus omnis consolationis & auxilij: ô pater dilectissime in filio tuo Unigenito & dilectissimo, Domino & fratre, Mediatore & Salvatore meo Iesu Christo: has promissiones & consolationes Tu tradidisti mihi veraci ore: confirmasti sponsionibus, cumulasti meritis & intercessionibus, obsignasti cum morte & resurrectione filij tui Unigeniti, Domini mei Iesu Christi, per ac propter eum in corde meo, pignore tui sancti spiritus, & vero, vivo atque efficaci sensu tuae consolationis, & auxilij tui. Etsi itaque non ita me eripis & liberas, sicut ego opto, cupio, & volo: certus sum tamen, & acerrime firmiterque credo ac statuo, quantum in ista mea ingenti infirmitate possum, quod non ideo differas liberationem meam, ut me consumas: sed ut in me misero et fragili organo & vase misericordiae tuae ostendas divitias misericordiae, robur potentiae, opus gloriae tuae: ut tanto fiat illustrior & conspectior apud me praesentia tua, & magnitudo misericordiae, iustitiae &

& potentiæ tuæ, quanto Ego sum infirmior, abiectior, desertior ac desperatior. Deinde, ut exerceas & probes fidem, spem & inuocationem meam, constantiam meam in Confessione Veritatis tuæ, obedientiam & patientiam meam in his afflictionibus. Tu ostendisti mihi tribulationes multas, magnas, malas, diuturnas, inexplicabiles consilijs et auxilijs humanis: Sed in his ipsis medijs recordatus & misertus es mej, & conuersus ad me, remittis mihi omnia peccata mea, sanas omnes infirmitates meas, tolleras patientissime lapsus pene momentaneos meæ infirmitatis, & multiplices sordes meas, eruis animam meam à morte, à terroribus Diaboli, mortis & inferni, eripis & seruas me in præsentibus periculis manifesto miraculo, foues & conseruas miraculose hoc cadauerosum corpus meum, custodis me sicut pupillam oculi tui, auges in me lucem & agnitionem Veritatis tuæ, & spiritu sancto tuo roboras me, demonstras mihi vias tuas, dirigis & confirmas me in Confessione Veritatis tuæ, consilio tuo deducis me, oculo tuo regis me, dextera tua sustentas me, umbraculo alarum tuarum protegis me, viuificas me, consolaris me, de abyssis terræ reducis me, multiplicas iterum magnificentiam meam, hac ipsa afflictione tua magnificas me. Tu es petra, rupes, & refugium meum: susceptor, opitulator, protector, liberator, saluator meus. Tu lux & illuminatio mea in tenebris mentis meæ. Tu Virtus et fortitudo mea in hac tanta infirmitate spiritus & corporis mej: Tu

Vita mea

Vita mea et longitudo dierum meorum: Tu consolatio & laetitia mea in
his anxietatibus perpetuis cordis mei, & scutum ac munitio in periculis
meis: Tua misericordia sum quod sum. Pro hac tanta misericordia
gratias tibi ago quantas possum ardentissimas: & te oro, te obtestor supplex
per viscera misericordiae tuae, per & propter filium tuum unigenitum
Dominum meum & fratrem Iesum Christum, qui est arx fiduciae &
petra spei meae in sinu & amplexibus tuis, per Spiritum sanctum tuum
habitantem in corde meo: miserere tandem, miserere servi tui, orpha-
ni & vermiculi desertissimi & desperatissimi in his terris. Agnosco & fa-
teor me iuste affligi propter peccata mea quibus offendi te innumeris modis,
sed parce obsecro, parce servo tuo, propter nomen & gloriam filii tui unigeniti:
Castiga me, sed in misericordia & iudicio, non in ira & furore tuo; castigatio-
ne non hostili et crudeli, sed paterna, non ut hostem, quia hostis numquam fui,
sed ut filium, ut infirmum & fragile opus manuum tuarum; quamquam one-
ratum magna mole peccatorum, agnoscentem tamen, deplorantem ac depre-
cantem sua peccata toto corde suo, & implorantem misericordiam tuam.
Castiga me itaque castigatione paterna, non destructione, non abiectione mei
a facie tua, non oppressione, non confusione, non consumptione mei in
his afflictionibus quas sustineo tam diu iam propter veritatis tuae con-
fessionem. Non des me in opprobrium propter nomen tuum: Non facias
mihi contumeliam ob gloriam tuam. Recordare in ira misericordiae tuae
&

et conuersus ad me in beneuolentia paterna ostende mihi faciem tuam.
Exaudi me, Domine in auxilium meum, accelera ut eruas me: quia
non est qui eruat & liberet me: non est qui adiuuet me: Imo non est
qui condoleat mihi, & consoletur me. Commoueantur erga me tandem vis-
cera tuae paternae misericordiae. Affulgeat mihi a facie tua lumen tuae mi-
sericordiae in refrigerium & consolationem afflictae animae meae, & spem li-
berationis meae. Exurge igitur, Domine, accelera ad iudicium: Iudi-
ca causam, Vindica gloriam, Assere veritatem filij tui vnigeniti cum il-
lustri testimonio tuo, de tua veritate, & iustitia tua. Ne moreris: Ne
cuncteris: Ne differas hoc testimonium tuum. Non differas etiam iu-
dicium tuum, auxilium meum, & liberationem meam: Veni, obsecro,
Domine, & cognosce ac iudica etiam causam meam, quia tua est, &
fac mihi iudicium & iustitiam, secundum iustitiam tuam. Glorifica
filium tuum: Conuerte & sana sanabiles: Pertinaciter aduersantes ve-
ritati tuae reprime & confunde. Ostende misericordiam tuam seruo tuo
in gloriosa mei liberatione, sicut ostendisti hactenus in admiranda mei
conseruatione. Vincat tandem ac triumphet Veritas & Gloria filij tui
Vnigeniti, de consilijs & insidijs pertinacibus hostibus veritatis tuae Ex
vltione & vindicta tua. fac obsecro Domine, finem carcerum meorum:
Recordare quam breuis sit vita mea! quanta mihi eius pars consumta
sit

sit sicut fabula: q̃ȝ miserabiliter deficiant dies mei sicut fumus, me con-
tabescente inter anxietates & lamentationes perpetuas, sine ullo usu meo
& sine fructu uno donorum tuorum quæ mihi concessisti: Erue me itaq;
& redde me Ecclesiæ tuæ: & glorificabo te toto Corde meo in Confessione
Domini nostri Iesu Christi.

Amen.

ORTHODOXÆ ECCLESIÆ PERPETVA ET consentiens doctrina & sententia περὶ ἐνσαρκώσεως ἢ ἐνανθρωπήσεως τοῦ λόγου: id est: de incarnatione Verbi, filij Dei coæterni, Domini nostri Iesu Christi.

I

Verbum caro factum est. hoc est: Filius Dei patri coæternus & genitus ab æterno de essentia patris, λόγος καὶ εἰκὼν τοῦ πατρὸς οὐσιώδης id est Verbum & imago Dei essentialis: Hic ergo assumpsit humanam naturam integram, animam & corpus, & incorruptam sine omni labe & peccato, obnoxiam tamen infirmitatibus communibus generis humani, ut pati posset. Et assumpsit eam conceptam de Spiritu sancto in utero Virginis Mariæ εἰς μίαν σύνθετον ὑπόστασιν, ut Damascenus loquitur, seu εἰς ἓν συντεθειμένον, id est in unam compositam personam, quæ est subsistens vivum, intelligens, individuum, incommunicabile, non sustentatum in alio τρόπῳ τῆς ἑνώσεως ἀχωρίστῳ ἢ οὐσιώδει, ἢ κατ' οὐσίαν, ἢ οὐσιωδῶς ἢ ἀχωρίστως: id est, modo unionis inseparabili et essentiali, seu secundum essentiam, seu essentialiter, seu inseparabiliter. edit. p. 485

Omnibus his vocabulis usa est antiquitas ad veram, arctissimam & indissolubilem unionem naturarum declarandam. Cui opponit Damascenus: καὶ οὐ κατὰ φαντασίαν: id est: & non secundum phan-

phan-

phantasiam: non accidentarie, non separabiliter

II.

Vna ergo est tantum persona Christi, quia humana natura in Christo non est persona: sed ἀπὸ τοῦ λόγου à Verbo assumpta in Vnitatē persona, & ab eadem sustentatur & gestatur: Alioquin enim fuisset redacta in nihilum. Naturae autem sunt in vna persona Christi duae differentes & distinctae: Diuina & humana, D assumens, H assumpta

III.

Vnio enim (ἕνωσις) assumptae naturae cum assumente facta est, ut ostendunt verba Symboli Chalcedonensis, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως: id est inconfuse, inconuerse, indiuise, inseparabiliter

IIII.

Inconfuse & inconuerse facta est Vnio. Quia propter hanc Vnionem hypostaticam nec confusae sunt inter se aut naturae ipsae aut earum ἰδιώματα: id est proprietates, aut actiones aut Voluntates. Nec facta est alterius in alteram conuersio cum aliqua mutatione earum in naturis ipsis quae cuiuslibet sunt propria: sed retinuit Vtraque & essentiam suam & essentiae proprietates, τὰ ἰδιώματα χαρακτηριστικὰ καὶ ἀχώριστα τῆς οὐσίας, ac voluntates, & actiones. Ex proprietatum autem numero sunt in essentia diuina, Aeternitas, Immensitas essentiae spiritualis & lucida, Immortalitas, Immentum [illegible] &

infinitum essentia, sapientia, scientia, potentia iustitia, bonitate &c. Immutabilem esse, ἀπερίγραπτον εἶναι, non esse circumscriptum loco, ubique esse, implere omnia, & alia. Haec omnia inseparabilia sunt ab essentia divina, quia in Deo nullum est accidens. Idiomata humanae naturae sunt duplicia. Alia sunt inseparabilia, & ex his quaedam essentiae propria, χαρακτηριστικὰ τῆς οὐσίας. E quorum numero quaedam sunt communia creaturis omnibus, ut finitum esse. Quaedam sunt propria universis corporeis creaturis secundum tres gradus & differentias dimensionum corporibus proprias. Corpus enim est quod longum, latum & profundum est. Cuiusmodi sunt circumscriptum esse magnitudine certa: in loco esse seu occupare spacium magnitudini symmetrum conveniens. Quaedam propria quidem sunt animantibus, sed homini communia cum brutis, ut vita sensus & motus. Quaedam denique homini propria separent enim ab alijs creaturis irrationalibus & brutis ut ipsa anima rationalis cum suis proprietatibus. Alia vero idiomata humanae naturae sunt separabilia: non quidem in hac vita penitus. Dum vivit enim animal nutritione non bene carere potest, etsi non ex solo pane vivit homo sed ex omni verbo quod egreditur ex ore Domini, ut ostendunt exempla Moysi, Eliae, Christi: Sed in vita futura & aeterna penitus separabuntur, veluti sunt potentiae vegetativae seu nutritivae, & terrenae molis, obscuritatis ac

sordium

sordium, glorificatae naturae proprietatibus contraria. Cessabit enim Vegetatrix potentia in Vita aeterna, Et corpora iustorum efficientur immortalia, mutationum expertia, levia, lucida. Praeter haec quaedam per accidens peruasserunt in humanam naturam post peccatum, ut Mors & infirmitates

V

In Unione ergo hypostatica manet natura divina assumens expers mutationum secundum sese per omnia, & in assumta natura simul assumsit omnes proprietates humanae naturae tam essentiales quam accidentarias, tam communes alijs creaturis, quam ipsi soli proprias: praeterea mortem & infirmitates eiusdem, sed absque omni labe & peccato: nimirum ut in natura sanctificata ante τοῦ λόγου à Verbo assumente per spiritum sanctum. Mansit vero & ipsa humana natura expers mutationis secundum sese in omnibus quae humanae naturae propria sunt. Nam ex assumptione in unitatem personae, neque conversa est in divinam, neque ei exaequata est: sed intra metas essentiae & proprietatum humanae naturae, adeoque & infirmitatum eiusdem, toto tempore humiliationis (Cuius statum & conditionem à statu & conditione glorificationis & exaltationis semper oportet discerni.) intra has ergo metas copulata est & unita τῷ λόγῳ seu filio Dei & eius divinae naturae vinculo inseparabili & aeterno, & facta est ut propria & inseparabilis caro filij Dei in unitate personae: sic socia & particeps regni, gubernationis, omnipotentis honoris, gloriae, adorationis filij Dei etc. sed ut in stati

statu humiliationis, dum fuit in terris, cum praerogativa donorum divinorum ex sanctificatione per spiritum sanctum in eo gradu excellentiae, qui antecellit omnes creaturas, citra tamen omnem suarum proprietatum mutationem, aut cum divina confusionem. Unio ergo hypostatica constituit in Christo unam personam compositam nexu inseparabili ex duab. diversis & differentibus naturis inter se non confusis. Et ad hanc unam personam refert et accomodat in Christo omnia, servato in unitate personae immoto semper discrimine naturarum. Nec facit naturam humanam ὑφιστάμενον, tanquam aliquid per se subsistens in quo divina natura velut in domicilio habitet: sed e contrario tanquam assumptione insertam in divinam, quae est ὑφιστάμενον per se subsistens ac persona, sustentari ac gestari in illa statuit. Atq. hoc modo filius Dei λόγος factus id quod non erat, mansit quod fuit: sicut canit Ecclesia, simul existens verus & aeternus Deus ὁμοούσιος id est consubstantialis patri secundum divinam naturam, et verus homo ὁμοούσιος consubstantialis nobis secundum naturam humanam; Idem Iesus Christus est filius Dei, & filius Mariae Virginis: etiam in una persona utrumq. est inconfuse & perfecte: natura & essentia Deus, & natura & essentia Homo. Hanc unionis hypostaticae descriptionem & explicationem desumsit Ecclesia cum ex innumeris alijs testimonijs scripturae sacrae demonstrantibus in Christo naturarum distinctas proprietates, actiones & voluntates: tum ex his Pauli dictis ex quibus & formam loquendi de unione, & modum ipsius

unionis

Unionis per assumptionem accepit. Inquit .n. Paulus ad Philipp: 2 : Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi assumens, in similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Epta ad Ebreos cum in primo capite divinitatem filij descripsisset, Est splendor gloriae & character substantiae patris: Postea in secundo capite addit de incarnatione filij: Nusquam Angelos assumpsit, sed semen Abrahae assumpsit, Unde debuit per omnia fratribus assimilarj, ut misericors fieret & fidelis pontifex ad Deum, ad expianda peccata populi. Et Rom: 4 Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: Tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. In epta ad Colos. cap 1. Christus est imago patris & primogenitus omnis creaturae: Et in illo placuit habitare omnem plenitudinem divinitatis. Ergo Christus natura & essentia est verus & perfectus Deus, coaeternus patri & substantialis imago patris. Idem, ut sequitur, reconciliavit nos Deo per corpus carnis suae, per sanguinem crucis: Ergo idem est natura & essentia verus homo cum proprietatibus naturae humanae cum infirmitatibus. Sunt ergo in Christo duae perfectae & distinctae naturae, essentia & proprietatibus. Sed quomodo sunt unitae? Modum ostendit Paulus in cap 2 sequente: In ipso inquit, habitat omnis plenitudo divinitatis σωματικῶς: id est, Christus est una persona in ...

duab. differentibus naturis et diversis. In ea habitat plena et perfecta di
vinitas σωματικῶ, id est Sola divina natura est σῶμα seu persona,
& humanam naturam assumpsit in unitatem personae. Atq. hoc est naturā
divinam in Christo habitare σωματικῶ, secundum perpetuam & consenti-
entem declarationem Ecclesiae. Etsi enim adverbium σωματικῶ si ad
verbum reddatur, sonat latinis corporaliter: tamen tota antiquitas uno con
sensu declaravit id per adverbium personaliter, & σῶμα non de essentia
sed de persona. Nam sive essentia sit spiritualis sive corporea: persona
est subsistens, individuum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum in alio.
Et inhabitationem divinitatis in christo (persona enim demonstratur, non
humana natura Christi) de unione hypostatica naturae utriusq. est inter-
pretata. De natura humana autem assumpta & sanctificata a filio Dei
per Spiritum sanctum inquit scriptura expresse Matth: 1 Quod in ea natum
est, de spiritu sancto est. Luca 1. Spūs sanctus superveniet te, & virtus al
tissimi obumbrabit tibi: Ideo quod nascetur ex te sanctum, vocabitur fi-
lius Dei. Et cap 9 ad Ebr. Quanto magis sanguis christi qui semetipsum
per S Sanctum obtulit immaculatum Deo &c. Lucae 2 Puer autem
crescebat & confortabatur spū, plenus sapīa, & grā Dei erat cum illo. Lucae
10. In illa hora exultabat in spū. Lucae 4 Jesus plenus spū sancto. Ductus
a spiritu in desertum. Denique symbolum: Conceptus de spiritu sancto.

Nec dictum Joannis 3 Dat ei Spiritum non ad mensuram: quod ut omnia alia similia dicta scripturae de persona tota, sed de toto Christo loquitur in concreto; Ei inquit, id est Christo, non eius humanae naturae. Hoc ergo dictum, si ne mensura Spiritus, de ipsa natura diuina intelligamus in persona Christi; siue de donis per Spiritum sanctum effusis in humanam naturam sanctificatam: Nullam infert uel conuersionem humanae naturae in diuinam, uel mutationem proprietatum humanae naturae. Nam mutationem nullam naturarum aut confusionem esse factam, totius scripturae testimonijs euidentissime constat. Dona diuina uero quae per Spiritum S. in naturam humanam effundit filius Dei actione liberrima multo minus mutarunt uel essentiam finitam in infinitam, uel exaequarunt inter se utramque. Sed si de sanctificatione humanae naturae per Spiritum sanctum, seu de donis Spiritus sancti interpretari dictum volumus: opponamus τὸ ού κατὰ μέτρον non secundum mensuram: mensurae donorum in sanctis κατὰ μέτρον τοῦ δωρεᾶς Χριστοῦ secundum mensuram donationis Christi apud Paulum. Etsi Christus non habet definitam mensuram donorum diuinorum in natura assumpta, ut sancti habent: non sequitur tamen Ergo humana natura est infinita, et per omnia aequalis diuinae, Sed praerogatiua significatur donorum in gradu tali qui superat et excellit omnes creaturas. Denique natura Christi humana tantum habet donorum diuinorum ex attinente per Spiritum sanctum, quantorum ut humana natura finita, et simul ut caro propria filij Dei, longe perfectior omnium

omnium aliorum hominum nativis pro modo naturae suae est capax. Si de natura divina in persona Christi, seu de persona Christi secundum naturam divinam, & non de sanctificata natura humana, seu de donis in naturam humanam per Spiritum sanctum effusis intelligatur τὸ οὐ κατὰ μέτρον: sola unio significatur totius naturae cum toto.

VII.

Ut autem naturae manserunt distinctae, nec confusionem ullam aut conversione invexit nexus unionis: sic retinuit etiam natura utraq. suas actiones, & agit quaelibet quod suum est ac proprium, cum alterius non confusione sed cōmunione, tamq; in una inseparabili persona, in qua propter indissolubilem nexum unitatis quae unius naturae propria sunt, recte totius compositi ēē censent. Idq. pia antiquitas declaravit exemplo non ignis in fornace sed societatis & copulationis animae solis cum corpore in homine, addita tamen commonefactione, quod similitudo non per oia congruat. Ut ergo actiones sunt distinctae, sic necesse est retinere discrimen inter actiones & effectus, cum hos quos efficit ac perficit quaelibet natura per se, tum illos ad quos concurrit actio utriusq. Inter κοινωνίαν & κοινοποιίαν id est inter communicationem & communis operis effectionem. Actiones naturae divinae tantum immediate sunt creare, omnipotenter gubernare, & conservare omnia, introspicere corda, vivificare, sanctificare, ubiq. adesse, vincere Diabolum & mortem & alia similia. Actiones humanae naturae tantum immediate sunt cogitare & ratiocinari mente & animo, videre oculis, auribus audire, ore loqui,

ingredi

ingredi prohibitus, & q̄ affectiones potius sunt q̄ actiones etsi sine actionibus non fiunt, ut dormire, esurire, sitire, tristari corde, pati, mori &c. In his ergo & similibus etsi semper agit una natura cum alterius communione: non tamen semper unum & idem agit; neq̄ humana natura in omnibus est di una organon. Ac longe aliud est κοινωνία, communio actionum, cum dicitur una natura nihil agere seorsim ac separatim, sed cum alterius communione, ut in societate unius personae; q̄d fit cum q̄libet natura per se aliquid agit, q̄d sibi proprium est immediate: Aliud est κοινοποιία, id est, communis operis effectio, cum dicitur, utraq̄ natura unum & idem agere, vel utriusq̄ naturae actio ad unum & eundem effectum coniunctim concurrere, utraq̄ tamen agente quod suum ac proprium est, & manente immoto dis crimine ut naturarum & proprietatum, ita actionum. Cum ergo ad unum & eundem effectum concurrit actio utriusq̄ naturae: fit opus commune utriusq̄ & commune ἀποτέλεσμα ut vocant Graeci: Actio autem ipsa vocatur θεανδρικὴ, id est actio composita ex actione gemina, una Christi ut Dei, altera Christi ut hominis. Fit enim ex utraq̄ actione una composita actio: ut cum homo numerat; oculus videt, manus ordine locat, mens visa dis cernit & numerat, utraq̄ actio in unam coit operis & aci, quae vocatur Numeratio. Atq̄ hoc est proprie κοινοποιεῖν, utraq̄ actiones suas in[?] natura [illegible] differentes, coniunctim tamen in unum & communem effectum. Tales sunt actiones Christi, cum resuscitat mortuos, eiicit daemonia, sanat ae grotos, restituit caecos surdos claudos, ambulat super aquam. Humana

nā

natura inserit digitos in aures surdi, expuit in linguam eius, format ex sputo et luto pugillum, quo illinit oculos caeci: Diuina sanat. Humana ambulat super aquam, Diuina sustinet eam ne mergatur. Talis actio est redemptio humani generis per passionem, mortem & resurrectionem Christi: Humana natura patitur, crucifigitur, moritur, resurgit: Diuina sustentat eam ne absorbeatur a morte, & ne experiatur corruptionem, & resuscitat eam a morte, vincit mortem & Diabolum. Ex his distinctis actionibus vtriusq. naturae agentibus ad unum effectum oritur & existit commune a- potelesma Redemptio nostra. At cum qualibet natura agit quod suum ac proprium est per se ad certum & peculiarem effectum, etsi hoc non facit se- orsum ac separatim, quod proprie est κοινωνικῶς & cum alterius commu- nione agere: non facit id tamen omne aut per alteram tanquam organum, aut cum alterius seu praesidiaria & socia opera. Alias enim sola diuina, Alias sola humana, Alias utraq. simul actione coniuncta effectum aliquem absoluit ac complet. Alias humana se habet ut organon, ut cum Christus ex sua humana natura effundit Spiritum Sanctum afflatu seu spiritus seu halitus in Apostolos, inquiens, Accipite Spiritum Sanctum: etsi non tunc e vestigio efficaciam Spiritus Sancti manifestis miraculis exse- ruerit, quem deinceps oportuit eum spectaculo publico ac specie visibili in eos effundi. Haec discrimina actionum nosse & ubi locum habeant considerare necesse est. Nisi enim hoc modo discernantur tum actiones

seu ἐνέργειαι

seu ἐνεργείας θεανδρικάς tantum composita ex concursu duarum actionum naturae utriusque ad unum apotelesma commune, tum illae in quibus se habet natura humana velut organon; ab actionibus quae sunt immediate tantum alterius naturae propriae sunt, sic effectum aliquem per se edunt ac perficiunt: non minores confusiones inferuntur quam ipsarum naturarum et proprietatum confusiones. Neutiquam enim agit divina natura omnia per humanam tanquam organum, sicut ignis per fornacem: quod Ephesina synodus contra Nestorium ex scriptura evidenter demonstravit.

VIII.

Necesse est etiam accurate observari discrimen inter appellationes essentiales, ut, Deus et Homo, Divinitas, Natura humana: et inter appellationes officii quae sunt communes totius personae, quia officium Christi, cuius ea nomina sunt, pertinet ad utramque naturam: Huiusmodi sunt, Rex, Sacerdos, Pontifex, Mediator, Pastor, Redemptor, Salvator etc. Christus est Mediator secundum utramque naturam, qualibet agente quod suum est. Praeterea retineri oportet et discrimen inter tempus, statum et conditionem glorificationis et exaltationis, et inter statum humiliationis: Nam et in statu humiliationis de sua omnipotente gubernatione cum patre inquit: Pater meus usque modo operatur, et ego operor: etsi omnipotentiam tum non ita exeruit. Denique oportet considerari et distingui ubi loquatur de sese tanquam deo, ubi tanquam de homine: ubi ut de persona mittente, ut cum inquit Ego et pater unum sumus, ubi vero ut de persona missa

ut

Vt pater maior me est? Idem observandum in dictis, quae de distinctis voluntatibus in Christo loquuntur, vt cum secundum humanam naturam de humana voluntate loquitur, Descendi non vt faciam voluntatem meam sed voluntatem eius qui misit me. Item: Pater si vis transeat a me calix iste: Verum non quod ego volo, sed quod tu vis fiat &c.

IX

Ex istis hoc modo recte & perspicue constitutis & explicatis extruxit & tradidit Ecclesia doctrinam de communicatione idiomatum, quae neutiquam confundit naturas inter se aut naturarum proprietates, sed ostendit rationem & formam de diversis quidem in infinitum sed unione hypostatica tamen copulatis naturis in una persona Christi discrete ac distincte loquendi, ne illae inter se commisceantur, & ne veritas rerum obscuretur aut obruatur confusione sermonis. Communicatio Idiomatum itaque, κοινωνία ἰδιωμάτων, τρόπος ἀντιδόσεως, περιχωρήσεως consuetudine loquendi tribuit toti personae τῷ συνόλῳ & in concreto proprietates naturae utriusque, & propositiones illas veras esse pronunciat, quibus hoc fit. Fundamentum autem veritatis est res ipsa vera, nimirum unio hypostatica vera, essentialis, inseparabilis & inconfusa diversarum naturarum. Sic communicatione idiomatum propter unionem hypostaticam verae sunt hae propositiones: Antequam Abraham fieret Ego sum. Pater meus usque modo operatur & ego operor. Nemo ascendit in caelum, nisi filius hominis qui descendit. In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis σωματικῶς. Deus crucifigitur, moritur, resurgit.

Virgo

Virgo Deum genuit, Maria est Θεοτόκος quod Nestorius per negabat, quia unionem hypostaticam negabat, & definiebat eam inhabitationem naturæ divinæ in humana, seu ut ipse loquebatur assistentia. Rursus eadem communicatio idiomatum unius naturæ proprietates alteri seorsum & absolute atque in abstracto ut dici solet non tribuit, & propositiones quibus hoc fit pronunciat esse falsas. Ratio est: quia naturæ nec transmutatæ nec confusæ sunt inter se: sed manet utraque quod est & retinuit suas proprietates. Falsum est igitur cum dicitur: Divinitas est mortua: Humana natura Christi est immortalis. Divina natura in Christo est creatura: Humana est ab æterno: Divina natura patitur, esurit sitit. Humana natura est ubique, videt, audit, intelligit omnia, introspicit omnia &c. Hæ propositiones falsæ sunt. Quod enim non est: etiam vere dici non potest. Non sunt autem confusione aut permutatione unius naturæ proprietates in alteram translatæ: Ergo hoc affirmare & falsum & impium, imo blasphemum est. Ac multo magis impium & blasphemum est contra tum Apostolica testimonia scripturæ pertinaciter contendere quod sint in humanam naturam essentia & proprietates divinæ naturæ effusæ, & hoc esse quod non est. Quæ vero sunt officii Christi & propria personæ missæ, ea cum naturarum ipsarum idiomatis confundi minime debent: Non sunt alterutrius naturæ vere propria, sed utriusque communia, adeoque totius personæ secundum naturam utramque, in quibus agit utraque quod suum ac proprium est ad effectum & opus unum commune, ut ostensum supra est in actione Theandrica. Eo pertinent

quæ

quae sunt officij: Et citra ullam controversiam, ut competunt ex natura & veritate rej, ita recte tribuuntur toti personae in concreto, non singulis naturis seorsum in abstracto. +
Christus totus secundum utramque naturam est Rex & sacerdos aeternus, Mediator, Salvator, Redemptor, Pastor bonus etc. Haec tota δ ρῶ communicationis Idiomatum in Ecclesia, quemadmodum, orthodoxa & tradita & conservata est.

+ Utroque modo in abstracto & concreto. Christus est pastor noster & redemptor utraque natura. Itaque utraque natura recte dicitur Redemtrix, suo loco, suis actionibus, intra suas metas: & operatur utraque ad commune opus quod suum est & proprium, fitque una & communis actio in opere & effectu quod vocatur θεανδρικά.

X.

In Synodi Chalcedonensis decreto, cum dicitur Unio facta esse indivisibiliter & inseparabiliter, verus, aeternus, indissolubilis & inseparabilis nexus naturae humanae cum divina indicatur: quae nostra summa consolatio est. Etsi enim incomprehensibilis est & inexplicabilis modus Unionis, quo natura infinita, spiritualis adiungit & copulat sibi finitam naturam, constantem anima & corpore: tamen nobis satis est quod ex verbo patefacto certo scimus ita esse, nihil obstante infinitatis diversitate, & quod naturam quam assumsit ὁ λόγος nunquam deponit in tota aeternitate. ὃ ἔλαβε, ϐεν ἂν ἀφῆκεν inquit Athanasius. Quod assumpsit non deposuit.

XI.

Sequitur D. Jacobi Andreae contra opinio.

Contra hanc doctrinam inquit D. Iacobus Andreas: Unio hypostatica est

q

quod omnis plenitudo divinitatis habitat in natura humana Christi σωματικῶς id est essentialiter, sicut ignis in fornace. Et (inquit) in alijs sanctis etiam habitat essentialiter. tamen hoc interest, quod in Christo habitat omnis plenitudo divinitatis essentialiter, & non secundum mensuram: in Sanctis non omnis. Omnia omnia divinae naturae sunt communicata humanae naturae in Christo. Haec sunt verba D. Jacobi Andreae, quae meis auribus audivi ab ipso coram.
Has fanaticas opiniones haereticis utriusque Nestorij & Eutychis (inquit) contrarias & ex diametro inter se pugnantas confundi inter se & quasi conflari in unam, si modo coire possent, adeo manifestum est, ut mirari satis nequeam, quomodo toties convictus de his erroribus tam pertinaciter in eis perseverare, & tanto eas conatu defendere audeat. Primum manifeste iniuriam facit Paulo Apostolo, interpretans dictum ad Coloss. de natura humana in abstracto, quod de tota persona loquitur, & de toto Christo in concreto. Paulus inquit omnem plenitudinem divinitatis habitare in Christo, personam demonstrans & concretum: Non inquit habitare eam in natura humana Christi, Nec meminit abstracti aut naturae humanae absolute & separatim consideratae, imo ne exprimit eam quidem hoc dicto, sed deinde de ea loquitur, itidem ut in concreto. Reconciliavit nos per corpus carnis suae: personam & naturam simul demonstrans. Deinde vim facit Paulo & toti contextui scripturae ac recte sentientis Ecclesiae, adverbium σωματικῶς interpretans essentialiter: in quo etsi res ipsa per se vera est, Christum essentia divina adesse, Interpretatio tamen ab

hoc

hoc loco aliena est. Et nolit nolit cogitur fateri totam sinceram antiquitatem vno consensu intellexisse & declarasse id, personaliter: de quo & collega ipsius D Selneccerus coram reprimens eum monebat. Cum itaque Paulus omnium orthodoxorum consensu hoc velit ut supra ostensum est, Omnem plenitudinem diuinitatis habitare in Christo personaliter hoc est Christum & naturâ atque essentia verum & perfectum Deum, & personam seu ἰδιαζόντως distinctum a patre, personali proprietate (ut sic loquar maioris perspicuitatis causa) assumpsisse humanam naturam cum diuina copulatam in personae vnitatem &c: D Iacobus contra vult diuinam naturam Christi habitare in humana eiusdem essentialiter quidem, sicut in aliis sanctis. Sed hac una re faciente discrimen inter utrosque, quod perfectius se exerat in Christo quam in sanctis. Hoc per omnia & perfecte est dogma Nestorii, si naturam humanam non destruit, ut iam ostendam. Nec unquam hoc inficiando eludet. Quid fuisset opus Paulo hac determinatione σωματικῶς in secundo capite, quam in primo cap. eiusdem non adiecerat, cum natura diuina per sese intelligatur sua essentia aliter quam essentialiter non adesse. Sed modum vnionis duarum naturarum exprimere ac definire voluit, quod sit hypostaticus & personalis, Inde, quia in hoc Christo Deo & homine habitet diuinitas σωματικῶς seu personaliter, Nimirum quia persona filii Dei λόγου, ut persona suae essentiae seu naturae diuinae iunxit & copulauit in personae vnitatem naturam humanam

quae

quae per se natura non est. Sed D. Iacobo omnis causa huius erroris inde extitit quod ab unione hypostatica scripturae & orthodoxae Ecclesiae discedit ad inhabitationem Nestorij. Si unio hypostatica est, sicut D. Iacobus eam definit, quod Christus sua natura divina habitat in humana, & quidem communicatione totius essentiae cum natura humana, vel omnibus quae sunt divinae naturae in humanam effusis, necessario & irrefragabiliter sequitur humanam naturam esse deificatam, seu conversam in divinam, secundum Eutychis & Suenkfeldij delirium: de quo paulo post. Impossibile est enim hanc communicationem fieri posse, nisi fiat Deus illa res cui fit communicatio talis. Una est enim essentia divina indivisibilis quae tota communicata ab aeterno tantum filio unigenito quidem a patre generatione: Spiritui sancto autem ab utroque, a patre & filio processione: ἀμερίστως καὶ ἀδιασπάστως ut Basilius inquit, impartibiliter & indivisibiliter. Et de solis his tribus personis docet ac testatur sacra scriptura, credit orthodoxa Ecclesia, quod sint unum essentia, & unus Deus in tribus personis. Iuxta hanc sententiam D. Iacobi necessario amittemus Christum natura & substantia verum hominem. Natura humana enim absorpta in divinam desinit esse, & sequentur alia non minus absurda. Rursus si unio hypostatica est inhabitatio in humana, non communicatione totius essentiae, quam fieri salva & constante humana natura impossibile est: sed communicatione donorum divinorum ex essentia divina tantum, quantum capere humana

mana natura Christi finita potest: irrefragabiliter vicissim & necessario
sequitur Christum nihil differre à sanctis alijs nisi gradibus & perfectione
donorum divinorum, secundum delirium Nestorij & furores Mahometicos. A-
mittimus ergo ex hac sententia Christum, natura & essentia verum De-
um. Id ergo quia sancta & orthodoxa Ecclesia vidit & intellexit, ideo se-
cuta testimonia Scripturae & Pauli Apostoli inprimis, recteque vnionem
hypostaticam definit inhabitationem naturae divinae in humana, cum com-
municatione vel totius essentiae, vel divinorum donorum sicut D. Iaco-
bus: Sed contra Nestorium assumptionem inseparabili humanae naturae à
Christo in vnitatem personae citra ullam confusionem assumentis naturae
cum assumpta, & vtraque in ea persona manente integra & absque mutatio-
ne in sua essentia & proprietatibus, ut discernit toto genere sanctificatio-
nem humanae naturae assumptae a divina, quae sit filio Dei, verbo in
hoc inseparabili nexu in ea per Spiritum sanctum habitante: Atque ita
& habet & credit ac profitetur & colit Christum essentia & natura Deum
& hominem in vna persona inconfuse & inseparabiliter. At D. Iacobus
dum vnionem hypostaticam contendit esse inhabitationem cum commu-
nicatione omnis essentiae & proprietatis: Talem autem fieri impossibile sit
salva & constante humana natura, aliter quam secundum modum finitae
naturae convenientem, vt mox ostendam: evidentissime & irrefraga-

biliter

biliter aut humanam naturam conuertit in diuinam, si in his perstat. Tolli

essentiam aut omnia naturae diuinae secundum immensitatem & infinitatem

humanae nunc communicans: aut Christum non essentia & natura Deum, sed

tantum diuinitatis domicilium et θεοφόρον constituit in gradu perfectiori do-

norum diuinorum, quam alios sanctos: nimirum, si humanam naturam in

Christo conseruare vult integram in sua essentia & proprietatibus. Haec sunt

tam euidentia, perspicua, & certa, ut non uerear dicere, stultum fascina-

tum aut excaecatum esse qui uidens, legens considerans, intelligere ea

non uult: Neque in tota aeternitate haec quisquam euertet. Necessario

igitur D. Iacobus si cum sua inhabitatione & communicatione diuinitatis

integritatem naturae humanae nulla sui parte mutilae retinet, Nestoria-

nus est & Mahometanus: Si communicatione totius diuinitatis destruit

humanam naturam absorptam in diuinam, fit Eutychianus & Swenk-

feldianus: quod paulo post ostendam. Utramque enim haeresin, quia

contradictoriae sunt in unam conflari non posse, supra dixi; etsi ab ipso

mirifice confundantur. Nunquam hoc resudabit nisi si rumpatur. Ter-

tio D. Iacobus manifeste constituit in Christo duas personas. Inhabi-

tantem diuinam, & humanam tanquam ὑφιστάμενον per se subsistens

& diuinae habitaculum ac domicilium prorsus eodem modo quo Nestorius:

& humanam naturam facit diuinae organon tanquam illa per eam

omnes suas actiones exerceat & perficiat, sicut ignis calorem dif-

fundit ex fornace. Denique unionem hypostaticam prorsus abole-

& vij

et vni soliq. Christo propriam quartum modum præsentiæ Dei, cuiq nullū simile ~~extat~~ extat in tota rerum natura prorsus tollit: Cumq. omnia diuina contendat in humanam effusa esse: necessario facit inhabitationem suam illam etiam separabilem, cum pati humana natura non potuerit, nisi diuina natura proprietatibus ab ea separatis, quia Diuina pati & mori non potuit. Christus autem carne passus, carne mortificatus est, Spiritu resurrexit, sicut Petrus inquit. Horum aliqua in Nestorio damnauit Synodus Ephesina, aliqua in Eutyche Chalcedonensis. Adhæc communicationem idiomatum quæ est tantum modus recte loquendi de Christo conuertit in confusionem physicam naturarum diuinæ & humanæ, nouā inaudita hactenus, & cum rei veritate ex diametro pugnante speculatione. Quarto non discernit inter vnionem hypostaticam naturæ vtriusq. vni soliq. Christo propriam, quâ assumpta in assumente substentatur & existit: & inter sanctificationem seu dona diuina quibus ὁ λόγος suam illam massam seu carnem assumptam sanctificat per effusionem in eam Spiritum Sanctum, à prima origine & formatione, sicut docet Scriptura, quæ Christo communis cum electis & sanctis, sed in prærogatiua donorum tali quâ exsuperat omnes creaturas, ostendit quomodo per eundem Spiritum Sanctum credentes sibi insertos sanctificet, cum summa nostra consolatione. Quod si intelligeret & vellet intelligere & considerare: non tam contumeliose, tam blasphemum in modum hanc certissimam veritatem cœlestem compa-

raret

rarent Alcorano Turcico aut Mahometico: de qua tam manifeste falsa & atroci calumnia quid sit responsurus filio Dei, & toti Ecclesiae Sanctae ante tribunal Christi, ipse viderit. An hoc est Christum Mahometicum fingere? talem describere Christum ex ipsius verbo & patefactionibus, qui in una persona verus & aeternus Deus est, quantum ad naturam divinam assumentem: quantum ad assumptam autem humanam verus homo & in humana natura ex Spiritu Sancto totus sanctus cum praerogativa donorum divinorum tali, qua gradus omnes naturas antecellit? Sed viderit ipse, quid sit de hac calumnia responsurus filio Dej, & de suo ipsius dogmate, quo ipse facit hoc ipsum evidentissime, quod in alios falso & calumniose detorquet. Nam ipse cum Nestorio Christum talem describit, qualem Alcoranus Mahometicus: & perfecte talem, id est divinum hominem, perfectiorem in donis quam sunt alij, non natura & essentia Deum, ut ostensum est. De utroque igitur quid sit responsurus viderit. Quinto, cum immensitatem & infinitatem tribuit humanae naturae eorum omnium quae sunt divinae: penitus cum Eutyche & Schwenckfeldio, ac penitus abolet naturam humanam in Christo, quomodocunque hoc inficietur. Cum confundens proprietates utriusque confundit naturas ipsas: Tollens proprietates, destruit naturas. Id immutabiliter & in omni aeternitate verum est & erit. Si natura divina essentiales suas & characteristicas proprietates communicat naturae assumptae, id est omnia

secundum

secundum immensitatem & infinitatem: irrefragabiliter & immutabiliter sequitur ut dixi, quod humana natura sit conversa in divinam, & desierit esse. Minime dubium est, quod pueri in scholis norunt, Essentiam esse communicabilem, Personas esse incommunicabiles. Sed respondeat ad hoc: Utrum sit idem communicationis modus? primum cum pater generans filium ab aeterno, communicat ei essentiam suam, & cum eadem essentia communicatur Spiritui Sancto procedenti ab utroque. Deinde cum iste dicit divinam naturam humanae in Christo communicatam esse per omnia: Si concesserit eundem esse modum communicationis, nunquam effugiet conversionem Eutychianam & Deificationem Schwenckfeldianam. Necessario fatebitur naturam humanam esse conversam in divinam. Cum impossibile est talem fieri posse, quin fiat Deus illa res, cui fit talis communicatio quemadmodum paulo ante ostendi; exemplo communicatae unicae essentiae divinae & aeternae cum filio & Spiritu Sancto. Sed in quos tetros impingit scopulos? Cum non modo humanam naturam penitus destruit, sed in divinitatem invehit quartam personam. Denique sequuntur & alia horribilia & absurda quae taceo. Si negaverit eundem esse modum communicationis, vel si verum palam fateri cogetur fieri communionem ut dictum est paulo ante, secundum modum naturae similiter convenientem, quantam scilicet haec capit pro modo naturae suae, ut caro filii Dei, atque ita Nestorianus erit & Mahometanus: Haec sunt irrefutabilia Praeterea, si omnia divinae naturae effusa sunt in humanam: quis locus

erit

erit non modo proprietatibus, sed multo magis infirmitatibus humanae naturae secundum quas oportuit Christum fratribus per omnia assimilari, & pati iustum pro iniustis, & secundum quas tentatus est etiam per omnia pro similitudine absque peccato, teste Epistola ad Ebreos. An vero & eadem humana natura in Christo simul erit infinita, omnipotens, immortalis ex divina virtute inhabitantis proprietatibus immutabilibus: & finita, infirma, mortalis ex sua natura? Aut: cum hoc esse nullo modo possit: An fingemus Christum non fuisse vere natura & substantia hominem? nec vere passum ac mortuum esse, sed φαντασίᾳ καὶ δοκήσει, id est imaginatione & opinione, ut Spectrum? et ostendisse se tantum umbratili specie humana? Quo tetro delirio fuisse iam infectos aliquos Apostolorum aetate, docent Epistolae Ioannis & Ignatii. Denique si, quod maximum est, naturam humana transsumpsit & induit ex divina inhabitante omnia illius, & facta est omnipotens, omniscia, ubique & reliqua quae D. Iacobus ei tribuit: quod erit discrimen in Christo inter naturam finitam & infinitam? inter creatorem & creaturam? inter Deum & hominem? inter formam Dei qua se Christus aequalis Deo, & inter formam servi qua exinanivit seipsum factus in similitudinem hominum secundum Paulum? Oportet autem in omni aeternitate in ipsa persona Christi discrimen inter naturam assumentem & assumptam, inter infinitam & finitam, inter creatorem & creaturam, inter Deum & hominem: & tamen retineri inseparabilem & aeternam naturae assumentis & assumptae

unionem

Unionem, quod qui non facit, implicatur Eutychianis, Swenkfeldianis & aliis tetris ac blasphemis haeresibus, & fit idolatra. Haec adeo manifesta sunt, ut mirari satis pertinaciam tam obstinate adversantium nequeam. Si, quod et in praesentia dixi, unum testimonium ex scriptura sacra protulerit, unum dico, unicum, in quo quae sunt naturae cuiusque propria, tribuuntur permutatione & vicissim naturis ipsis: id est in quo quae sunt divinitatis tribuuntur absolute & in abstracto humanae naturae, & non ~~[illegible]~~ respectu sui in concreto toti personae, vel econtrario: acquiescam & cedam. Sed nunquam hoc faciet in omni aeternitate. Haec me de D Iacobo non fingere, sed ex ipsius ore audivisse & vera esse: scit et testabitur Deus vindex veritatis & gloriae filii sui Iesu Christi, quibus, cum jam multo ante, imo ante annos circiter mille decentos judicata & condemnata sint Ecclesiae judicio & authoritate, & pro condemnatis habeantur sine dubio: quomodo assentiri ego possum?

XII.

Argumentum quod hic reperi mensae inscriptum pro ubiquitate, cuius principale est: Λογος est ubique. Humana natura est in Λογῳ. Ergo est ubique. Respondeo, Non valet consequentia, mutato genere praedicationis, cum syllogismus habeat quatuor terminos: quod in hoc argumento manifestissimum est. Maior loquens de infinitate essentiae Verbi, filii Dei, opponit eam physicae locationi corporum essentia finita occupantium definita spacia. Minor loquitur de unione hypostatica naturae utriusque cum vera assumente, quae nequaquam

est locatio

est locatio physica naturae finitae in infinita, sed inexplicabilis nobis, verus tamen atque
inseparabilis nexus & copulatio naturae utriusque in Christo, cuius beneficio natura hu-
mana gestatur & sustentatur in divina. Nisi enim hoc modo fuisset sustentata
a divina, redacta fuisset in nihilum, absumpta magnitudine irae Dei adversus peccatum,
oppressa a Diabolo, absorpta a morte, ut ostendit dictum Irenaei. Et multae sunt
aliae causae gravissimae, quare Mediatorem inter Deum & homines, & generis
humani redemptorem oportuerit esse Deum & hominem, quas hic recitare nimis
foret longum. Magnitudinem irae Dei adversus peccatum nulla potest sustinere
creatura sola etc. Atque ea copulatio facta est non exaequatione naturarum,
sed utraque manente salva & integra & suas proprietates conservante. Ideo neque hoc se-
quitur: Divina natura est ubique. Ergo propter unionem inseparabilem etiam humana
est ubique. Nam ubique esse proprietas est solius naturae divinae. At unione hy-
postatica non est exaequata humana natura divinae proprietatibus: Neque eius
facta est per partes extensio iuxta divinam seu extensio in infinitum. Unio
enim non mutavit naturam, sed ipsa modum & proprietates suas essentiales per om-
nia immutabiliter retinuit. Ideo est in loco, quocunque vult esse, divina natura, sua
immensitate nihilominus omnia complente. Nec divellit aut distrahit unio-
nem naturarum diversitas, quemadmodum e diverso Unio easdem non con-
fundit. Praeterea plus est in conclusione primi argumenti quam in praemissis. Non
sequitur enim: Ergo humana natura est ubique; Sed humana natura est in eo
quod est ubique. Id vero totum concedo. Quocunque enim loco est humana

natura

natura assumpta, est in verbo quod ubique est: sed non e converso, Ubi λόγος ibi est & natura assumpta, Cum haec finita, Illa infinita est essentia

XIII.

At vero nec glorificatio, nec exaltatio christi ad dextram patris mutavit essentiam & proprietates humanae naturae in Christo, quod ostendunt plurima testimonia scripturae. Zachar. 12 Videbunt quem confixerunt. Math. 24 Statuet oves a dextris, hedos a sinistris. Christus ipse inquit: Amodo videbitis filium hominis sedentem ad dextram dei, & venientem in nubibus. Angeli post mulieres ad resurrectionem: Surrexit, non est hic. Act. 1. Hic Iesus qui a vobis assumptus est in coelum sic veniet, quemadmodum vidistis eum ascendentem. Ostendens autem Christus ipse sese paulo ante discipulis inquiens: Spiritus carnem & ossa non habet sicut videtis me habentem. Act. 3 Quem oportet quidem caelo suscipi usque ad tempora restitutionis omnium. Philipp. 3. Nostrum politeuma est in caelis, unde expectamus etiam salvatorem D N I C, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae, secundum operationem virtutis suae, qua possit sibi subijcere omnia: Et plura alia. Proprietates glorificati corporis intelligi possunt ex Pauli doctrina 1 Cor. 15. Seminatur corruptum corpus, surgit incorruptibile. Seminatur ignobile, surget gloriosum. Seminatur infirmum, surgit perfectum viribus. Seminatur animale: surgit spirituale etc. Item, Oportet corruptibile hoc fieri incorruptum, Mortale hoc induere immortalitatem. Sed hae proprietates essentiam & proprietates essentiales corporis christi nec mutarunt nec aboleverunt: Nec cum glorificatione corporis sui, naturam etiam

illius

illius exuit & abiecit Chrs: Verum corpus ex mortali, infirmitatibus & muta
tionibus obnoxio, terreno, gravi factum est immortale, expers mutationum, vegeta
tricis potentiae & omnium infirmitatum, perfectum reliquis viribus atq, leve, lu
cidum, spirituale, quod non vita tantum animali vivit sed spirituali. Huic
glorificato corpori Christi efficientur conformia in resurrectione corpora Electorum,
non mutatione essentiae, sed glorificatione simili: quae summa nostra consolatio est,
& summum futurum est gaudium nostrum, in quo exultant sancti visuri
Christum indutum carne mea, ut S Job inquiens, Videbo Dominum meum in
carne mea. Daniel: Aspicis me in forma hominis qui es Jehovah in excelsis Deus.
Deniq summa futura est tum gloria nostra, qua anteibimus Angelos ipsos. Verum
eo graduum ordine, ut summa sit futura gloria glorificatae naturae Christi tan
quam capitis: caeterorum inferior tanquam membrorum, suo singulorum loco atq ordine,
discrimine multiplici, quod exemplo stellarum Daniel & Paulus exprimunt:
Alia claritas solis, Alia lunae, Alia stellarum. Stella n. a stella differt cla
ritate: Sic in resurrectione &c. Haec omnia auferuntur, quando Christus
proprietatibus naturae humanae exuitur.

XIIII

Sessio vero ad dextram patris absq omni controversia orthodoxis omnibus
significat exaltationem Christi ad regnum & sacerdotium aeternum, qua
itidem nullo modo natura humana aut mutata est in divinam, aut po
tentia vel essentia divina exaequata, sed evecta in caelum ubi antea
non fuerat, & glorificata in unitate personae, aequali potentia regnantis

cum patre

patre, effecta est socia & particeps in statu exaltationis & glorificationis, ut vic-
toriarum de Diabolo & morte, sic regni, sacerdotij, honoris, gloriae & adorationis
cum praerogativa utriusque donorum ex glorificatione tanta quae antecellit non solum
omnia corpora glorificata sed & omnes creaturas, & cum splendori patris aeterni
conspectui in lucis inaccessa creaturis. Nimirum quod haec persona Christi Deus &
homo regnat aequali potentia cum patre, ingreditur in sanctum sanctorum inter-
pellans pro nobis, sistitur parenti conspectui & colloquio patris, colligit sibi aeter-
nam Ecclesiam in genere humano, ministerio verbi & sacramentorum: adest
ubique Ecclesiae suae, est efficax in ea, sanctificat eam spiritu sancto, est caput glo-
riosum Ecclesiae, gubernat, alit, protegit, servat, defendit liberat & salvat eam,
destruit Diabolos & hostes alios, adoratur ab angelis & omnibus creaturis: sed ma-
nente immoto & inconfuso discrimine naturarum etiam post exaltationem &
glorificationem, & qualibet natura in hoc regno & sacerdotio agente quod suum
est, cum alterius communione, ut supra dictum est. Nec humana natura
per se seorsum adorabilis est, tamen ut Ephesina synodus docuit & decrevit
ex scripturae testimonijs, nec quidem coadorabilis est aut conhonorificabilis:
sed cum divina natura in unitate personae colitur una λατρεία, sicut ve-
tustas locuta est. & fit particeps omnis honoris, gloriae, adorationis & cultus
qui debetur ac competit Christo per se toti vero deo. Dominum Deum
adorabis & illi soli servies: inquit scriptura. Item: Aemulator Dominus Ego
sum. Gloriam meam alteri non dabo. Solius dei proprius est
cultus

cultus inuocationis, quae est compellatio absentis, tribuimus ei ad quem dirigitur quod audiat omnia, quod introspiciat intimos cordis recessus, quod uideat & intelligat anxietates, pericula, difficultates, aerumnas nostras, quod sit omnipotens & possit opitulari: quae omnia soli Deo competunt. Praeterea est primus & proximus fructus fidei & effectus Spiritus sancti in reconciliatis, sicut inquit Propheta, Effundam super domum David spiritum gratiae & precum. Et Paulus ad Rom. & Gal. Quoniam estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda uestra, clamantem Abba pater. Adhaec inter praecipua testimonia demonstrantia diuinitatem Christi, quod sit uerus Deus est adoratio: Quapropter Ephesina Synodus omnem qui naturam humanam non in persona Christi; sed secundum se et seorsum adorat cum coadorat, honorat cum cohonorat Idolatram declarat. Extat haec sententia Synodi apud Cyrillum expressis & claris uerbis in Anathematismis Synodi Ephesinae

XV

Argumentum autem quod de dextra Dei obijcitur: Dextra Dei est ubique. Christus sedet ad dextram Dei. Ergo est ubique: concedi totum potest recte & dextre intellectum de persona Christi sicut uerba sonant, communicatione idiomatum: sed seruato aeterno & immoto discrimine inter naturam infinitam & finitam: inter creatorem & creaturam: inter Deum & hominem. Si uero accommodetur ad naturam humanam secundum se in abstracto, perinde ac superius argumentum, constat quatuor terminis. In maiore Dextra Dei signi-

ficat

ficat immensitatem seu infinitatem quod τὸ ἀπερίγραπτον essentiae diuinæ
& potentiae: & opponitur finito & locali. In minore significatur regnum se-
dere ad dexteram patris significat filium regnare æquali cum potentia cum
patre, quæ potentia etsi propria est solius naturæ diuinæ, quâ & subijcere sibi potest
omnia, secundum operationem qua subijcit ei omnia: tamen regni & potentiae huius est
natura humana assumpta propter unionem hypostaticam, sed intra metas suæ
essentiae suæ & proprietatum, tum uero & suarum actionum, denique, ut
dictum est in ijs quæ sunt regni & sacerdotij, agente utraque natura quod suum
est sic una communi actio, & communi ἀποτέλεσμα. Praeterea ut in
superiori argumento plus est in conclusione quam in praemissis. Non recte enim
infertur: Ergo Christus est ubique. Sed inferri debebat Ergo Christus sedet ad id
quod est ubique. Hoc enim vult praedicatum maioris. Inde uero quid ex-
struitur? nihil. Confundat Deus illos qui in Catechesi Witte-
bergensi calumnia partim malitiosa partim insulsa plena non disting-
uentes inter locum physicum & proprium corporum localium, & in-
ter locum communem multis, carceris aut alium quemlibet, ueram
sententiam de vero & naturali corpore Christi certum locum occupante
non verebantur spacioso praetextu traducere ad vulgus, tanquam Christum
carceri includat. Ulciscatur eos Deus.

Hanc de priore articulo confessionem meam, imo non meam tantum
sed perpetuam & consentientem orthodoxæ Ecclesiæ omnium temporum

dum

doctrinam et sententiam certus sum, certus sum, certus sum esse doctrinam Christi, Apostolorum & prophetarum. Hanc quasi per manus traditam à Christo ipso & Apostolis Deus conservavit mirandis modis vindicatam à flagitijs & ab insultibus & oppugnationibus haereticorum: contra hanc non praevalebunt portae inferorum: Et declarabit Deus aeternum iudicium de ea suum etiam in hac vita. Nihil ex me genui: recitavi quae sunt scripturae sacrae & probatorum conciliorum & scriptorum: Ex quibus evidentissimum est ea quae ex DD Iacobo & Selneccero audivi haereses esse reiectas & condemnatas testimonijs scripturae, sententia Ecclesiae, iudicio Dei: quas cum me Deus ductu Spiritus sancti agnoscere & intelligere docuerit: oro Deum ex pectore ardentissime per & propter gloriam filij sui Iesu Christi, de qua agitur, ut me deinceps etiam regat, confirmet & custodiat: ne abductus a via veritatis his & similibus alijs haeresibus implicer. Amen.

Casparus Peucerus D.

ORTHODOXAE ECCLESIAE PRIMA

verissima & antiquissima sententia & doctrina de vera praesentia corporis & sanguinis Christi in sacra Coena

I.

Tota haec controversia de praesentia corporis & sanguinis totius Christi in Coena sacra nata est ex crudis & intolerabilis erroribus, superstitionibus abusibus & idololatria Ecclesiae Romanae. Et fuit haec idololatria nervus regni & potentiae Romani pontificis praecipuus & validissimus: perinde ut cultus aureorum vitulorum in Bethel & Dan fuit nervus regni Israëlitici adversus Iudaicum regnum & templum Hierosolimitanum. Summa totius controversiae consistit in hac quaestione: Utrum Christus coniungat sese corpore suo & sanguine substantialiter ut vult transsubstantiatio, vel corporaliter ut vult consubstantiatio, primum symbolis externis sacrae Coenae pani & vino, deinde sumenti symbola promiscue & indifferenter, seu fide sumat, seu absque fide & poenitentia? Hic status est totius controversiae. Nititur autem totum fundamentum veritatis in hac controversia solo vero sensu & intellectu verborum institutionis. de hoc lis est & tergiversatio. Ex alio sensu enim alii alia extruunt. In eo quaerendo & explicando si si sepositis ab omni parte affectibus, sinceris oculis intueremur & consideraremus verborum Christi interpretem Paulum, & doctrinam ab ipso plane

perspicue

edit p. 524

perspicue & distincte traditam si amplecteremur & sequeremur: contentiones istae jam olim finem habuissent. Sed haud dubie orbis terrarum dat poenas horribilis idolatriae quae ex corrupto vero usu [sacramenti] sacrae coenae introducta vere est idolum vastans & Deus Maozim de quo vaticinatus est propheta Daniel cap. XI. Deum Maozim in loco suo venerabitur, & Deum quem ignoraverunt patres eius colet auro & argento & lapide precioso, rebusque preciosis: Et faciet ut muniat Maozim cum Deo alieno quem non cognovit, & multiplicabit gloriam, & dabit ei potestatem in multis, & terram dividet gratuito. Haec Danielis verba depingunt evidenter cum totum cultum consecrati, repositi & circumgestati panis in Ecclesia Romana, tum potestatem & autoritatem a Pontificibus usurpatam in eo stabiliendo ac defendendo: ad quam haud dubie respiciat Paulus in secunda ad Thessalon. cap. 2, ubi Romanum Pontificem describit. Istius idolatriae dat poenas orbis Christianus his dissidiis, dimicationibus, odiis, contentionibus, bellis intestinis. Quae ut avertat filius Dei, Dominus noster Jesus Christus a nobis, & conservet in his terris veritatem & pacem, quantis maximis possum & ardentissimis votis intimi cordis mei precor. Nunc venio ad rem ipsam. Verba institutionis etsi non eodem modo referuntur ab Evangelistis & Paulo: tamen omissa illa discrepantia in verbis, de re dico, quis fuerit in orthodoxa Ecclesia usque receptus & fidei analogus sensus horum verborum: Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus etc.

II

Tres sunt in universum de hac controversia sententiae: Una eorum qui

sum

Christum corpore coniungi et symbolis pani & vino, & sumentibus seu digne su-
ment seu indigne. Altera eorum qui non corpore sed spiritu in fide Christum
coniungunt cum symbolis in usu & sumptione, tum vero maxime sumentibus
symbola ore et fide. Tertia denique iam olim a prioribus utrisque reiecta &
condemnata est opinio fanatica Carolstadij, Swenckfeldij, Anabaptistarum & si-
milium Enthusiastarum, qui Christum corpore & spiritu Sacramento coenae
penitus excludunt. Hos ergo relinquam.

III.

Prima sententia rursus est bipertita. Una enim Transsubstantiationis est:
altera Consubstantiationis. Utraque tamen ex uno eodemque deducitur funda-
mento, nimirum ex verbis & omnipotentia Christi, sed neutri eodem usu
verborum, nec eadem interpretatione, nec eodem sensu. Transsubstantia-
tionem Pontificij sibi fecerunt propriam, & pro ea sola pugnant. Vocabulum
cum reipsa primae & puriori Ecclesiae ignotissimum natum est in Ecclesia
Romana, & autoribus Sententiarijs & Scholasticis introductum atque usur-
patum. Recentiores Graeci cum huius opinionis ex Romana Ecclesia pro-
fecto meminerunt, μεταβολὴν ut ostendunt Canones graeci scriptores
& Damascenus, & μεταστοιχείωσιν id est mutationem & transelementa-
tionem vocant. An μετουσίας seu transsubstantiationis vocabulo utantur
dubito. Μεταβολῆς appellatio inde est, quia primi autores huius
sententiae finxerunt conversionem physicam simplicem panis & vini in
corpus & sanguinem Christi: Eandem posteriores Romani & Scholastici

manentibus

manentibus accidentibus panis & Vini cum defendere non possent, commenti sunt μετουσίαν seu transsubstantiationem. Hanc an graeca Ecclesia per omnia probarit recentior, cum scripta non legerim, dubito. Consubstantiales eosdem autores Pontificios habet, eosque perpaucos & privatos: sed autoritate publica recepta & approbata adeo nunquam est, ut a plerisque repudiata & explosa sit tanquam haeretica, eo quod discedit a verbis institutionis, & testimonia Scripturae non tibi & evertit articulos symboli. Hanc amplectuntur qui videri nolunt a Pontificiis dissidere, reipsa tamen in eo quod Pontificiis in hac causa caput est consentientes: quia ut corpori ita substantiae etiam Christi praesentiam statuunt. Ceteris vero omnibus ut interpretatione & fundamento discrepantes. Nam probationibus utuntur iisdem cum tamen in fundamento dissentiant.

IIII

Pontificii itaque affirmant Christum sola substantia corporis & sanguinis sui inesse pani & Vino, eo quod dixerit: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Idcirco ad pronunciationem Verborum, & quidem horum Vi atque efficacia ~~fidei~~ fieri Conversionem substantiae panis & Vini in substantiam corporis & sanguinis Christi. Fieri autem Conversionem non physicam & naturalem totius secundum accidentia & subjectum, sed miraculosam & momentaneam solius substantiae unius in alteram, eamque durabilem & permanentem, Unde & nomen est Transsubstantiationis sine ulla mutatione accidentium. Propterea manere in sacra Coena magnitudinem, figuram, colorem, saporem & reliqua accidentia panis & vini quae sensus percipiat, & his quamquam alienis

à naturâ corporis Christi, vestiri tamen latentem intus & proprijs suis acci-
dentibus carentem substantiam corporis & sanguinis Christi, & sumi hanc
sub specie panis & vini. Hoc ad stabiliendam missae & totius consecrati
panis idolatriam commenti sunt Pontificij, affirmantes cogi se verbis Christi,
quae accipi oporteat sicut sonant: Christum esse veracem, nec consentaneum esse
ambiguitate aliqua aut obscuritate verborum ludere cum voluisse in testa-
menti sui ultimi institutione. Idcirco oportere verba Christi [illegible] de-
monstrative & identice intelligi de hoc ipso visibili pane & vino. Id vero,
quia verum esse nullo modo possit, substantia panis & vini manente: fieri
ergo necessario conversionem substantiae panis & vini in substantiam corporis &
sanguinis Christi: & fieri illam vi & efficacia verborum Christi dum fit
consecratio, sed tamen à sacerdote rite ac consecrante: nimirum Christo id
etiam perficiente quod dixerit, cui nihil sit impossibile, cum sit omnipotens.
Haec summa est transsubstantiationis pontificiae, quam seu novam creatio-
nem tribuunt virtuti consecrationis per verba institutionis dum pronuncian-
tur, affingentes & verbis & sacerdoti recitanti verba vim magicam & alia
manifesta blasphemia quae nolo referre. Cumque totam miraculosam faci-
ant, non moventur absurditate & falsitate manifesta qua involvitur
commento in eo, quod introductam corporis & sanguinis Christi substantiam
accidentibus eorundem panem & vinum contra sua substantia spoliant.
Aliter enim retinere verba Christi sicut sonant non possunt. Retinet
tamen

tamen in absurda physica impingere (quam in articulis fidei symboli violare analo
giam fidei: Idcirco non caelo detrahunt corpus Christi: nec inclusione defini
tiva aut locali coniungunt duas essentias corporeas: panem & corpus, vinum
& sanguinem, quod a verbis institutionis dissentit, eoque consubstantiationem re-
iiciunt. Substantiam panis & sang. vini fingunt ipsi evanescere, & in eius
locum succedere substantiam corporis & sanguinis Christi. Nec corpus Christi
exutum proprietatibus humanae naturae extendunt in infinitum ad omne lignum,
corpus, lapidem, truncum: sed constanter hac in parte de natura veri corporis
Christi retinent ac tuentur veritatem scripturae sacrae, articulos symboli, &
consensum orthodoxae Ecclesiae omnium temporum. Si urgeantur autori
tate Apostoli Pauli & aliis testimoniis, confugiunt ad potestatem & au
toritatem Ecclesiae, quae hoc ita definiverit, quasi liceat Ecclesiae, ut &
supra dictum est, mutare aut corrumpere quae Paulus a Domino accepta
se Corinthiis tradidisse affirmat. Atque ita tandem hoc commentum fun
damento falsum, usum prophanum partim, partim superstitiosum, sine vero
idolatricum, sua vanitate evanescat, etiamsi magnopere non refutetur.

V

Alteri Synusiastae, nullam faciunt mutationem substantiae panis & vini,
quam videre ex diametro pugnare cum verbis Pauli Apostoli: sed coniun
gunt corpus & sanguinem Christi pani & vino inclusione locali, vel
potius ut multiplicem absurditatem declinent, inclusione aut consubstantia
definitiva

definitiua, quae similis naturis spiritibus propria est, ut Angelis non corporibus. Huius sententiae autor est Petrus de Aliaco & meminit eius Gabriel Biel, Scholasticorum Rhapsodus. Ita copulant cum Christi physico & reali, non physice tamen & localiter, sed definitiue contra naturam physicorum corporum vel substantiarum duas substantias corporeas, unam visibilem alteram invisibilem, & utramque affirmant ore percipi, promiscue & pariter a credentibus & incredulis, quod commune cum pontificijs habent: nullo tamen alio fundamento quam pontificiorum, ex veritate verborum institutionis, & omnipotentia Christi: sed longe alio usu, alia interpretatione, alio sensu verborum. Re ipsa enim fundamentum destruunt: cumque negare nequeant verba retinere ut sonant, & [illegible] atque identice interpretari, duabus positis substantijs diversis, nisi faciant earum unionem hypostaticam qualis est in Christo, ut recte iudicat [illegible], necessario, quomodocunque hoc inficientur, per tropum & synecdochen ea suae sententiae accommodant. Hoc est corpus meum: id est, cum hoc visibili pane, vel in hoc, vel sub hoc est corpus meum: Quid enim manifestius est, hanc interpretationem esse tropicam & synecdochicam! Hos ergo verba institutionis nec retinere nec accipere sicut sonant meridiana luce clarius est. Cum ergo veritas primae sententiae ex tribus propositis tota in hoc momento versetur & nitatur, quod oporteat verba accipi sicut sonant (Nam omnipotentiae praesidium postea adstruitur) synecdochica interpretatio fundamentum hoc penitus

evertit

euertit, eoq ipso simul totam contubstantiationis rationem, cui locus esse non potest, cum toto caelo discrepent hae propositiones Hoc est corpus meum; si accipiatur ut sonat, et, cum, in, vel sub hoc pane est corpus meum. Verba sonant ἐντελῶς, esse non συνεκδοχικῶς. Si ergo tantum ἐντελικῶς vera sunt, quod vult hypothesis fundamenti: συνεκδοχικῶς simul vera esse impossibile est, nisi contradictoria simul vera esse statuamus. Nec habet praeterea haec interpretatio ullum testimonium scripturae: neque est analoga fidei, et rationi ac naturae Sacramentorum: imo euertit articulos fidei. Vniuersi enim patrocinantes contubstantiationi exuunt Christum penitus omnibus proprietatibus corporis humani, et affingunt ei corpus phantasticum et imaginarium, quod nusquam est, et nihil est. Aliqui vero id diffusum seu extentum in infinitum penitus obtinuerunt cum Eutyche et Schwenkfeldio, et hoc modo doctrinam et articulum fidei de incarnatione Christi et unione hypostatica duarum naturarum in una persona Christi, seu de Christo natura et essentia tam vero homine quam Deo vero penitus delent. Quomodo ergo verum reale et substantiale corpus Christi in caena sacra distribuitur? Aut quid contendunt hi tale corpus Christi adesse in caena quod Christum habere negant? Si credendum est nos verum corpus Christi in caena sacra manducare, prius hoc certo constare oportet Christum in vero suo corpore adhuc esse et vivere. Propter has causas ipsi etiam Pontificij hanc de contubstantiatione opinionem nunquam approbarunt autoritate publica. Si utrorumque Pontificiorum et Vbiquistarum examinentur fundamenta, res ostendit et rei veritas evidenter conuincit solos ex utrisque Pontificios

relinere

retinere & verba institutionis sacrae Caenae sicut sonant, & doctrinam de vera natura humana in Chro: Synusiastas vero & a verbis institutionis dis-cedere, eoque ipsos & suum dogma evertere: Aliud .n. fundamentum non ha-bent; & delere doctrinam de vera natura humana in Christi persona. Vtrosque autem evidenter refutat Paulus ad Corinthios.

VI.

At qui Christum Spiritu & fide coniungunt symbolis in tempore & usu, & Symbola ore & fide sumentibus: hi affirmant Christum vere & essentialiter adesse in usu panis & vini instituto, non carne sui corporis sed divina sua natura & corporis sui spiritu, & credentibus sese communicare hoc suo spiritu: totius scripturae perspicuis & consentientibus testimonijs: ac per eundem in eis habitare, pascere eos suo corpore, abluere sanguine, et participatione reali ut Cyrillus ait, hoc est inchoatione per Spiritum Sanctum effectum ex suo corpore, illorum ipsorum quibus vivificat & sanctificat suam massam quam ex Virgine Ma-ria assumpsit, ut fiant credentes caro de carne, & os de ossibus ipsius. Hi verba Christi interpretantur μεταφορικῶς: nec mutant naturam panis & vini ut pontificij: nec corpus & sanguinem Christi alligant ad symbola, inclusione aut copulatione physica locali aut definitiva ut Synusiastae: nec Christum natura humana spoliant; sed omnes ei, quas scriptura sacra, pro-prietates tribuunt: & doctrinam de unione hypostatica duarum naturarum integre conservant atque incorruptam, sicuti tradita est ac propagata a Christo & Apostolis, cum ipsis articulis Symboli

VII.

Cum ergo

Cum ergo ex vero sensu verborum institutionis pendeat finis totius litis: quaeren-
dum ergo veritas verborum Christi, quae non ex humanis speculationibus aut
commentis sed ex scriptura sumi debet. Seponatur ergo omnis autoritas
humana: omnia removeantur praeiudicia, et puris oculis aspiciatur doctri-
na Pauli ad Corinthios. Si ut sonant verba panis est corpus, vinum &
sanguis Christi: erit hoc utrumque alterutro modo ex his duobus: aut sub-
stantia aut relative. id est: panis erit corpus aut naturale et substantia-
le, aut sacramentale et mysticum: neque est inter haec duo tertium et medium,
quemadmodum ipsi pontificii affirmant, Lanfranco teste et aliis. Synusiastae
enim verba nec retinent, nec accipiunt sicut sonant. Sed panis et vinum
non sunt corpus Christi et sanguis substantia. Ergo necessario sequitur et
irrefragabiliter quod sint corpus et sanguis Christi relative, seu ut typo,
aut symbolo, aut antitypo ut Graeci loquuti sunt: aut figura et signo, ut
loquuti sunt latini, Tertullianus, Augustinus etc. Quod panis et vinum
non sint substantia corpus et sanguis Christi, evidenter demonstrat tota Pauli
doctrina ad Corinthios. Inquit Paulus: Calix benedictionis cui benedicimus
nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne
communicatio corporis Domini est? Si sunt ergo communicatio seu com-
munio, seu ut vocabulum graecum sonat, κοινωνία corporis et sanguinis: non
sunt corpus et sanguis substantia. Vocabulo autem κοινωνίας significari con-
sociationem cum Christi corpore: et panem ac vinum esse res illas quibus
fit consociatio cum Christi corpore vero et reali, et mystico quod est Ecclesia,

ostendit

ostendit praeter vnum vocabulj in sermone graeco, totus contextus illius loci. Se ipsum
enim perspicue & euidenter declarat Paulus iis q subiungit de idolothytis.
Et quidem significatur consociatio non otiosa aut inefficax: sed ut vera sit vi,
ua, efficax, & fructuosa, q fit viua insertione credentium tanquam membrorum
in ipsius corpus, de qua clare & euidenter Christus ipse sua nos voce docet, inquiens
Ioann. 15 Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & Ego in eo, hic fert
fructum multum: Sine me nihil potestis facere. Sicut palmes non potest ferre
fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis.
Hac illustri similitudine ostendit Christus ex ipso nos haurire lucem & vitam
aeternam, sicut palmes ex vite, aut surculus ex arbore sugit vitam & alimo
niam. Ergo consociatio cum corpore Christi est insertio in eius corpus. At haec
insertio quomodo fit? fide fit per spiritum sanctum, quem ex suo corpore
Christus effundens in credentes viuificat eos sicut spiritus vitalis e corde effu,
sus singula membra totius corporis viuificat. Etsi enim insertio declara,
tur similitudine sumpta ab exemplis in natura palmitum & vitis, & aut
surculorum in arborem insiti, aut corporis & membrorum: non imaginemur
tamen corpora nostra connexu physico aut naturali commisti atque coalescere
corpori Christi, qualem conspicamur esse in rebus exempli causa positis. Non ima,
ginemur Christum de caelo descendere aut extendi corpore suo deorsum ut ipsi
agglutinemur. Nullo tali contactu aut coalitu physico opus est. nec ullum
de eo in tota scriptura reperitur verbum, nulla syllaba; aut de ulla inha
bitatione Christi in credentibus per suum corpus: multo minus de veri,
fructu

fructu & efficacia, deq. modo praesentiae corporeae & duratione uel in symbolis pane & vino, uel in homine: quae si seruire & prodesse saluti nostrae voluisset Chrs autor & causa salutis nostrae, praeteritiuus non fuisset, cum nostra causa fecerit oia. Sed tota scriptura uno consensu ubiq. testatur insertionem in Christum & Christi corpus, & communicationem cum eo fide fieri per Spm S. Qui Domino adhaeret, unus est cum eo spiritus inquit Paulus 1 Cor. 6. Et Christus ipse: Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat in aeternum vobiscum, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum, Vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Testimonium perhibebit de me, docebit vos, suggeret vobis omnia. Et cap. 6 Ioannis in quo hoc de cena per S S inhabitatione in sanctis & efficacia quanti [illegible] profecto tractans, ut adimat hominibus imaginationem de manducatione carnali & praesentia atq. efficacia carnis naturali & physica diserte carni opponit Spm. Caro non prodest quicq; non quod non prosit caro Christi q tradita est propter peccata nostra & resurrexit propter iustitiam nram: sed non prodest effectu physico. Spiritus est qui vivificat, inquit. Verba quae loquor vobis Spus & vita sunt. Paul. ad Rom. 8 Vos non in carne estis sed in Spu, si tamen Spus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spm Christi non habet, nec est eius. Et paulo post: Resuscitabit mortalia vestra corpora ppt inhabitantem Christi in vobis Spm. Ibidem: Qui Spu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. 1 Corinth 6. An nescitis quod membra vestra sunt templa Spus Sancti

qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri. Templi estis pretio mag-
no. Item 1 Corinth: 3 Nescitis quod templum Dei estis, et Spūs Dei habitat
in vobis. Galath: 4. Quoniam estis filij Dej, misit Deus Spūm filij suj in corda
vestra clamantem Abba pater. Ephes. 5 Coaedificaminj in habitaculum Dej in
Spū sancto. 1 Petri 2. Aedificamini in domos spirituales. 2 Cor. 1 Dedit
pignus Spūs in cordibus nostris. 1 Joan. 3 Ex hoc scimus quod manet in nobis
quoniam de suo Spiritu dedit nobis. Omitto testimonia prophetarum brevita-
tis causa quae Paulus Apostolus recitat ad Corinth. Per Spūm sanctum ergo
habitantem in cordibus, sed effusum in corda per filium Dei, quia missio Spūs
sancti est donum patris per et propter filium, fit insertio credentium seu con-
iunctio et consociatio cum corpore Christi. Atque ut idem repetam clarius. Hoc est
corpus meum: Hic est sanguis meus, scilicet secundum mentem, consilium, vo-
luntatem et institutionem Christj autoris et testatoris. De intellectu ergo verborum
testatoris est quaestio: Utrum nomina sint interpretatione Paulina, an Pontificia?
id est, Utrum panis sit corpus Christi substantia ut Pontificij commenti sunt,
an communicatione seu memoria ut Paulus loquitur, et ut in scholis usita-
tum est loqui, relative? seu ut purior antiquitas loquuta est, Graeca: ut
symbolum et antitypum et typus; Latina, ut signum et figura. Sit igitur
argumentum: Panis est corpus Christi, Vinum est sanguis Christi, secundum
mentem consilium ~~et~~ voluntatem [& institutionem Christi] testatoris. Sed ex doctrina Pauli et
ipsius Christi ac totius Scripturae de ascensione eius in caelum in suo vero
corpore, et inhabitatione in Sanctis || non secundum carnem sed Spiritum
suum || non per cor. 19

Mens & consilium testatoris est ut panis sit κοινωνία corporis, Calix sit κοινωνία sanguinis Christi: non substantia quemadmodum multis seculis post finxerunt Pontificij. Ergo panis non est corpus, Calix non est sanguis Christi substantia, sed relatione & communicatione: Neque est inter haec duo medium. Si ergo panis est communicatione corpus Christi non substantia: Igitur non est ipsum verum, reale, substantiale corpus Christi, sed Sacramentale & mysticum: ac veri naturalis & substantialis, vivique veri existentis corporis Christi symbolum & antitypum, signum & figura: cuius in instituto, vero & legitimo usu efficimur participes & socij veri corporis Christi, omniumque eius beneficiorum, & inserimur in verum corpus Christi, viva insertione, fide per spiritum sanctum, Christo vere & substantialiter presente & efficace per spiritum sanctum, & pascente nos suo corpore, & alente nos sanguine suo, non corporaliter, carnaliter, Capernaitice, physice, sed spirituali sensu mystice & Sacramentaliter, vera tamen & viva alimonia animae. Et haec Christi praesentia non est physica conversio substantiae panis in substantiam corporis Christi, multo minus magica, qualem nempe finxerunt pontificij illa sua portentosa transsubstantiatione & consubstantiatione: nec est inclusio vel alligatio aut commixtio vel localitas physica aut magica corporis ad panem, vi verborum effectus, sed est praesentia voluntaria & pactionalis. Non detrahitur vi magica verborum Christus e caelo aut cogitur in panem,

Sed

Sed adest liberrima voluntate propter dominum non propter panem. Ex pro-
misso, pacto & instituto sicut spopondit se adfuturum esse ministerio Ver-
bi & Sacramentorum. Haec adeo manifesta sunt ut eum qui negat, fu-
rere non dubitem affirmare.

VIII.

Quod si, ut aliqui nunc ludunt, per κοινωνίαν seu communicationem in-
telligatur ipsum corporis communicatum: tamen eadem modo ut ante quae-
ritur, Utrum panis qui frangitur sit corpus Christi substantia vel relatione?
& eodem res redit quo antea. Sed non esse panem corpus Christi substan-
tia, nec vinum sanguinem, reliqua quae sequuntur in Paulo multo mani-
festius demonstrant. Uno consensu enim repetiti textus iisdem verbis ea-
dem modo distribui & manducari inquit panem, & bibi de poculo.
Nusquam dicit comedi corpus & bibi sanguinem: Et cum de sumptione in-
dignorum loquitur expresse inquit, Quicunque manducaverit panem,
& biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.
Quid potest his verbis evidentius & clarius esse? Indigni inquit
manducant panem & bibunt calicem: & indigne hoc sumentem fieri reum
corporis & sanguinis Domini. Ergo necessario panis ipse substantia cor-
poris non est: Poculum non est sanguis. Indigne tamen sumentem ait
manducare & bibere sibi iudicium, & fieri reum corporis & sanguinis
Domini. An ergo praesentes in corporali manducatione corporis? Veri-
tas quum panem non corpus Domini ore sumi clare affirmat utro-

loco

loco de manducatione indignorum. Necessario ergo sit reus absentis corporis, nimirum absentis quidem substantia seu carne corporis sui, sed spiritu corporis sui praesentis & efficacis. Sed quomodo fit reus? Hoc modo quo declarat Paulus: quia non discernit corpus Domini. Quid vero his verbis evidentius est, quibus toto genere distinguit inter haec visibilia symbola & inter corpus & sanguinem Domini? Quia hunc panem & hoc poculum destinatum & consecratum sanctissimo usui, nimirum ut sint symbola, & antitypa veri & vere absentis corporis Christi, & sigilla fidei, nostraeque consociationis & coniunctionis cum Christo, et quorum usu ac sumtione inserimur in corpus Christi: quod ergo hunc cibum animae non discernit ab alio physico ac profano cibo corporum: non cogitat cum cedit ad hoc institutam esse hanc coenam, & in hunc usum consecrari panem & vinum benedictione, ut sint in vero usu corpus & sanguis Christi mystice, seu ut in sacramento & mysterio, & testentur Christum pro nobis mortuum esse, ac resurrexisse: vere praesentem et efficacem esse in usu huius sacramenti per spiritum sanctum reficere & pascere nos suo corpore, ablutos sanguine, consociare nos vivifica insertione suo corpori tanquam membra, applicare nobis omnia sua beneficia, remissionem peccatorum, laetitiam, iustitiam & vitam aeternam. Hoc vult Paulus cum inquit, Indigne sumentes panem & vinum fieri reos corporis & sanguinis Christi. Fide enim & nulla alia re fit haec diiudicatio, quae discernit inter symbola nuda & symbola exhibilia rerum significatarum, quas Christus praesens distribuit & exhibet.

sed

sed et ordine, et modo quem ipse instituit & docet. Sed antiquum illa incredulorum ad
cenam & corpus Christi pertinet, quia afficitur hoc Sacramentum ab indigne sumentibus
& non discernentibus hunc sacrum & mysticum cibum ab alio prophano & physico cibo,
et quod sit instituta haec cena, cum ut sit μνημόσυνον memoriale & monumen-
tum passionis & mortis Christi, symbolum corporis pro nobis crucifixi, sanguinis
pro nobis effusi, sigillum fidei & promissionis omnium beneficiorum Christi, sicut in-
quit Paulus: Quotiescunque manducaveritis panem hunc & biberitis calicem: mortem
Domini annunciabitis donec veniet, Et verba institutionis. Quod pro vobis tra-
ditur, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum) & testimonium communi-
onis cum Ecclesia: tum ut sit κοινωνία & communicatio corporis & sanguinis Christi,
qua consociamur & inserimur Christo, vivifica insertione, non physico contactu &
coalitu corporis, sed in eodem Spiritu & fide; de qua inquit Christus Ioann. VI.
Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem: in me manet & ego
in eo. Sicut misit me vivens pater & ego vivo propter patrem: et qui man-
ducat me, vivet & ipse propter me. Nec sunt plures gradus sumentium quam
duo. Digne sumunt poenitentiam agentes & credentes, etsi sunt infirmi. Indigne
sumunt increduli & non agentes poenitentiam. Sed horum utrorumque magna est varietas

IX.

Ex his omnibus manifestissimum est, quod nec panis corpus nec vinum sangui-
nis Christi sit substantia; nec ore aliud percipiatur quam panis & vinum. Si
ergo non substantia, igitur necessario & irrefragabiliter relative, ut in typo, sym-
bolo & antitypo ut antiquitas locuta est, seu ut Paulus declarat, com-
municatione

municatione et consociatione in usu & sumtione. Ex iisdem multo magis patet quod nulla fiat copulatio corporis & sanguinis Christi cum pane & vino, sive definitiva statuatur sive localis presentia: quia consubstantiatio discedens a verbis institutionis suum ipsa fundamentum, suamque hypothesin evertit qua niti debebat, manifestissima implicatione contradictionis cum in interpretatione verborum institutionis, tum in doctrina de veritate corporis Christi, & Paulina typonomia simul absurda habet omnia, sicut Transsubstantiatio. Si ergo non cum pane & vino: Ergo nec in usu panis & vini cum sumente. Praeterea, ut dixi, nullum extat testimonium in tota scriptura, quod doceat physico connexu & coalitu corpora nostra iungi & conglutinari corpori Christi nec de modo, tempore, duratione, fine, usu & fructu ulla reperitur syllaba. Et, quod summum & maximum est, necesse est cum tota Scriptura firmiter hoc credi & statui, quod Christus carnem nostram intulerit in caelum, & manserit ac sit mansurus in omni aeternitate verus Deus & verus homo in omnibus proprietatibus essentialibus & inseparabilibus. Hoc est enim fundamentum salutis nostrae: In hoc consistit nostra summa consolatio. Joannis inquit 1 Ep 4. Cum confessus fuerit quod Jesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum venisse in carne, ex Deo est. Et omnis spiritus qui solvit Jesum ex Deo non est, & hic est Antichristus. At Synusiastae verissime & solvunt Christum, & in carne venisse negant, quia veritatem corporis Christi penitus destituunt

figmento

figmento corporis phantastici, siue fingant ubiquitatem siue non fingant. Nam etiam sine ubiquitate, dum exuunt Christum ijs proprietatibus quas ipse sibi tribuit cum se iubet tangi & palpari, quas etiam ascendens in coelum secum inuexit, ex humana natura Christi phantasma & spectrum faciunt. Nulla fit ergo Transsubstantiatio: nulla ergo Consubstantiatio, in sacra Coena

Si adhuc urgeas: Quid haec ad me, quae de modo praesentiae finxerunt hic vel ille, secundum Transsubstantiationem, aut Consubstantiationem? Modum inquirere non debeo, sed hoc credere simpliciter quod verba sonant. Qui non credit, mendacem facit Deum. Christus est verax: Ideo quod dicit hoc praestat. Idem & omnipotens: proinde id operari etiam atque perficere potest. Modum quo id perficit ipsi relinquo, & inuestigare non debeo. Qui scrutatur maiestatem: opprimitur à gloria. Respondeo: Lis & Controuersia tota est de vero intellectu verborum Christi. Hunc dixi ex scripturis sumendum esse, & analogia fidei in articulis eius cognatis. Non quaeritur, Utrum Christus sit verax & omnipotens, qui est via, Veritas, & Vita: & est potentia & Sapientia patris, tum creationis tum saluationis, ut docet Paulus ad Rom. & Corinth. Potest Christus quae vult omnia, &, ut Gaulterus inquit, est prima & antiquissima veritas: imo aeterna & immota veritas, cuique & hoc propriissimum est quod nec vult nec facit contradictoria: nec est sibimetipsi contrarius. De his vero non est controversia: Sed hoc quaeritur, Quid velit Christus, cum inquit:

Hoc est

Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus? quo sensu & intellectu verba insti-
tutionis vera sint? Ostensum autem est hactenus euidentissime: primum,
panem & vinum non esse corpus & sanguinem Christi substantia, nec illa inter
se copulari nexu physico, aut physica definitiua vel locali. Deinde esse
tantum percipi panem & vinum: tertio, Christum adhuc hodie esse & mansurum
esse in omni aeternitate verum hominem in assumpta natura humana & verum
ac naturale corpus suum intulisse in caelum. Quarto, Christum velle habitare in
credentibus non suo corpore sed spiritu. Haec ergo cum velit Christus ita esse
sicut verbo suo & per semetipsum & per Apostolos nobis tradidit, cumque sit
ut dictum est, immota veritas: non vult igitur horum contradictoria, quae
simul vera esse non possunt. Patefacta diuinitus & in verbo tradita
quaerere & credere debemus, non aliena quae non patefacta sunt, aut patefactis
sunt contraria, ut in hoc fidei articulo & priora ab iis quae a Paulo & scrip-
tura discedunt. Non vult Christus panem & vinum esse & non esse
corpus & sanguinem Domini sui. Non vult ipse esse & non esse in vero
corpore humano. Non vult & habitare & non habitare in nobis spiritu
sed corpore. Haec sane contra naturam aeternae & immutabilis veritatis.
Cumque tam illustribus & suis autoritatibus & testimoniis Apostolorum de-
monstrauit nobis quomodo per verbum & sacramenta velit in nobis
habitare spiritu, & nusquam corpore: scire & credere nos hunc modum voluit,
& non somniare, imaginari, quaerere alium siue corporeum cum Pontificiis
per corporis physicam, siue enthusiasticum qualem finxerunt Swenckfeldiani
&

Anabaptistae. Et hunc modum inhabitationis per Spiritum Sanctum vult ei se petere
scit inquit Christus Matth. 7. Quanto magis pater vester caelestis dabit Spiritum
Sanctum petentibus se. Removeantur igitur procul istae speculationes de praesentia
corporea, quia sunt sine fundamento, sine testimonijs scripturae, sine usu
& fructu, sine consolatione: pugnant cum analogia fidei & sacramentorum,
confirmant & stabiliunt multiplicem idololatriam & multiplices prophana-
tiones atque abusus Coenae Sacrae. Evidentissimum est omnes ex uno hoc falso
principio ac fundamento Ecclesiae Romanae interpretantis verba Christi litera-
liter identice & sentientis de hoc visibili pane & vino, contra expressam con-
trariam Pauli ac totius primae & prioris Ecclesiae doctrinam & interpretationem
& propter idipsum ut retineatur & excusetur: ortam esse & detextam to-
tam istam longam telam multiplicium errorum ac haeresium, de quibus
satis dictum est in utroque articulo. Denique cum non velit Christus
habitare corporis sui & sanguinis substantia, neque in pane & vino, neque
in homine sive per panem & vinum sive alio modo: cur quod non est
& non vult fieri Christus nos quaerimus, & contendimus quomodo sit
& fiat! cum Christi contumelia, veritatis amissione in multis articu-
lis fidei, iactura aeternae salutis, cum tanta acerbitate animorum!
nisi quod ut dixi initio, orbis Christianus his funestis & miserabilibus
dissidijs in hoc articulo luit poenas idololatriae commissae in adoratione
consecrati, repositi & circumgestati panis. Quanta est caritas, &

quanta

quanta miseria pugnare pro sententia & autoritate hominum in rebus caeteris, & hanc potius amplecti ac sequi quam doctrinam Pauli, qui immediate à Deo vocatus testimonium habet quod errare non possit.

XI.

Si quis autem omnino non potest deponere imaginationem carnalem de connexu & coalitu physico & corporeo nostrorum corporum cum Christi corpore, cur non potius salvis & integris articulis fidei de Christo conservatis credit corpora nostra per hoc sacramentum coniungi corpori Christi nunc quidem in caelo existenti, quo nos deducunt omnia scripturae testimonia, ut ibi quaeramus Christum, & inde expectemus reducem. Quae sursum sunt quaerite: inquit Paulus ad Coloss. 3: ubi est Christus ad dexteram Dei sedens. Quae sursum sunt, sapite. Item ad Phil 3. Nostrum politeuma in caelis est, unde & salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum. An dubitamus Christum non eadem sua omnipotentia posse hoc perficere, qua existimatur corpus suum dimittere & distribuere in terris? Si miraculum quaeritur, & testimonium omnipotentiae: tantum erit miraculi in hac quam in illa consociatione cum Christo. Sed non evertentur articuli fidei, & non stabilientur ista hac imaginatione, ut illa altera, Et idem obtinebit opinionem hominum tamen, non rei veritate, quia testimonia non habet alia quam quod fiat per spiritum quasi derivantem ex Christi corpore in credentium corpora initia lucis, iustitiae, & vitae aeternae. At Christus sacramentum & mysterium instituit, cum tradidit Ecclesiae sacram coenam, non edidit miraculum. Illa enim reparatio & instauratio humani generis

mira-

miraculorum plena est: tamen Sacramentorum, qualiacunque sacramenta: & miraculorum longe diversa ratio est. Sed huc ista non pertinent.

XII

De vera autem praesentia corporis & sanguinis Christi in sacra coena ita sentit tota prima & purior Ecclesia, quod consecratus panis & vinum sint symbola & antitypa, signa & figurae, non nuda sed exhibitiua, secundum institutionis ordinem & modum, verj & vere existentis corporis & sanguinis Christi in vero, legittimo, & mandato usu: Retinet et haec vocabula, symbola & antitypa adhuc hodie graeca Ecclesia in Canone Basilij. Et quod Christus in usu & sumtione eorum vere praesens & efficax, ut in toto ministerio Euangelij & Baptismo per Spiritum sanctum communicet suum corpus & sanguinem credentibus, consociet & coniungat eos sibi insertos tanquam membra, pascat eos corpore suo ad vitam aeternam, abluat sanguine: non carnaliter & physice, sed sacramentaliter & mystice, in Spiritu suo & fide, applicet eis sua beneficia, habitet in eis per Spiritum sanctum ex suo assumto corpore, & sanctificet ac vivificet eos per eundem Spiritum, quo & naturam humanam assumptam, quam gestat in unitate personae suae sanctificat & vivificat, sicut inquit Paulus: In eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam a Domini Spiritu. In natura assumpta enim quasi exemplo proposito ostendit quomodo credentes sibi insertos sanctificet, quos assumto ex eadem in eos Spiritu suo tanquam membra vivificat, sicut Spiritu vitali ex corde effuso vivificantur membra corporis humani. Atque

ita

ita per spiritum sanctum habitat in credentibus etiam participatione naturali, ut Cyrilli dictum habet: Sic fiunt caro de carne eius, os ex ossibus eius. Si autem Christus in nobis est, inquit Paulus ad Rom. 8: corpus quidem mortuum est propter peccatum: spiritus autem vivit propter iustitiam. Quod si Spiritus eius qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis, vivificabit et mortalia vestra corpora propter habitantem eius spiritum in vobis. Hic est ordo et modus sanctificationis ac vivificationis credentium, et consociationis atque copulationis cum Deo patre, et filio Iesu Christo in Spiritu sancto per ministerium verbi et sacramentorum, quod tradidit Christus ipse verbo suo: nec aliter sanctificat credentes pater et filius: sed iustificatos id est receptos in gratiam ex misericordia, et donatos remissione peccatorum propter obedientiam, iustitiam et merita filii. Filius ut est λόγος propitiator et mediator: sic et vitis est, credentes sunt palmites. Hos sanctificat et vivificat pater et filius per spiritum sanctum, quem pater dat in nomine filii et per eum, ut sit cum eis et maneat in eis in aeternum. Credentes sunt membra Christi et corporis Christi veri ac mystici quod est Ecclesia, templa dei vivi, templa et membra Spiritus sancti. In hoc cognoscimus inquit Ioan. 1 Ep.
4 quod in eo maneamus et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis.

Hanc certo scio esse veritatem Dei immutabilem et irrefutabilem in altera controversia de vera praesentia corporis et sanguinis Christi in sacra ipsius coena. Ab hac ergo quomodo discedere possim aut debeam, gravissimas et maximas causas quas supra exposui cogitans, nisi cum iactura

salutis

salutis aeternae & pacientes non video. Te ergo iterum fili Dei Iesu Chri-
crucifixe pro nobis & resuscitate toto precor pectore sanctifica me in
veritate tua: Sermo tuus est veritas. Non deseras, non confundas, non
consumas me: sed erue me propter nomen & gloriam tuam in testimoniu
tuu veritatis & tuae erga me misericordiae, in consolationem Ecclesiae
tuae, in confusionem pertinaciter contradicentium veritati tuae, ut libera-
tus serviam tibi ac celebrem te cum sancta Ecclesia tua omnibus diebus
vitae meae. Converte ad agnitionem veritatis tuae errantes, & Spiri-
tu sancto tuo rege eos, ut uno consensu te celebret Ecclesia tua per om-
nia saecula saeculorum. Amen

Caspar Peucerus D.

Haec scripta sunt testamentum meum: & — Non è dite
haereditas liberorum meorum, quam relinquo
eis ut sciant in qua confessione mortuus sim.
Ita quod ipsorum proprium est, id reddi eis
peto propter Deum in cuiuscunque manus
pervenerint

CP.

II TRIPLEX opinio de mutatione panis & vini

PRIMA eorum qui sub initia invectae huius novae doctrinae ammenti sunt μεταβολὴν & μεταστοιχείωσιν seu conversionem physicam simplicem secundum essentiam & accidentia. Haec antiquissima.

ALTERA scholasticorum, quos manentibus reipsa & testimonio Pauli & Antiquitatis, accidentibus panis & vini necessitas coegit comminisci Transsubstantiationem, tanquam miraculosam conversionem substantiae utriusque in alteram, absque mutatione accidentium alterutrius, & quidem consistentium sine subiecto.

TERTIA eorum, qui volentes defugere absurdissimum commentum Transsubstantiationis, finxerunt quid tertium, Consubstantiationis: copulantes duas substantias corporeas in Xro dissimilimo: & Christum exutum natura humana spoliant omnibus proprietatibus humani corporis.

¶ Verba Christi vera

- aut Identica praedicatione ratae
  - μεταβολὴν
  - μετουσίαν
  - ὁμοουσίαν: τρόπῳ τῆς ἑνώσεως ὑποστατικῆς, ἢ δὲ ἄλλως
- aut relatiua: ὡς ἐν τύπῳ ἢ συμβόλῳ ἢ ἀντιτύπῳ
  Vel ut latini: ὡς ἐν σημείῳ ἢ σχήματι

¶ Fundamentum harum opinionum omnium & Idolatriae Ecclesiae Romanae: ut ut illa dixisetur. Praetextus: verba Christi: quae retinent sicut sonant

- μεταβάλλεται ἢ μεταβολίζεται: conuersione simplici. Sed habent contra se Paulum, Antiquitatem, & Accidentia subiecta sensui.
- μετουσιάζεται: sua prodigiosa & magica conuersione substantiarum sine accidentibus: Sed habent contra se priora omnia, & plura.
- ὁμοουσιάζεται: aut
  - Vere: si fingunt panis & corporis unionem hypostaticum.
  - Falso: si aliter corpus pani copulant.

Ad Electorem Augustum

quia sine testimonio

Dauid &

Damit E. Churf. G. mögen endtlich im augenschein sehen vnd erkennen,
warauff der grund der gantzen gewisshaytt stehet in baiden artikeln,
So will Ich denselben E. Churf. G. für die augen stellen, yeden in den
artikell, mit wenig worten.

In dem ersten Artickel von der vereinigung beyder
naturen im Herren Christo,

Ist diss gar vnnd gantz gewiss, vnd jederman der etwas von dieser
lehr verstehet, bekant vnd wissentlich, dz in der gantzen heyligen
schrifft, kein zeugnuss, keyn, keyns durchauss zufinden ist, dar-
innen die wesentlichen eigenschafften der gottlichen natur im Herrn
Christo; in denen dass ewige gottliche wesen stehet, vnnd Gott allein
warer Gott ist, vnd von allen Creaturn abgesondert vnd geschieden ist:
allermassen wie die in Gott selber sinndt, der Menschlichen natur
im Herrn Christo, für sich selbst in sonderhaytt vnd in abstracto, wie
man pflegt zureden, zugemessen vnnd zugeeignet werden: wie
Doctor Jacob thut mit Eutyche vnd Schwenckfeld: Sondern
durchauss einhellig redet die heylige Schrift vom herren Christo,
als von eyner eynigen person, doch in zweyen vnterschiedenen, vnvermen-
gten vnd vnzertrennlichen naturn, als warem wesentlichem ewigen
Gott, vnd warem vnd wesentlichem menschen. Vnnd alle die aigen-
schafft eyner Jeden natur die gibt vnd zueignet sie nicht der andern

natur

natür für sich, sondern der gantzen person und dem gantzen herrn Christo in concreto, von wegen der unzertrennlichen vereinigung der unver-mengten und unvermischten natürn in der eynigen person. Dieses ist auff den dreyen generall Concilien zu Epheso und Chalcedon mit ubertrefflichem hohem fleyss unnd ernst durch die gantze heylige schrifft erforschet, erwogen unnd außgefüret worden. Und ist d gantze grund Unionis hypostaticae der beyden natürn im herrn Christo wieder die inhabitationem oder assistentiam Nestorij: und confusionem oder conversionem Eutychetis. Da auch eyner were zu finden gewest: würde sichs in dies-sen 1100 Jharen seyd der Concilien nit verborgen haben, biss auff diese zeyt. Was aber abstractum und concretum sey, wissen junge knaben auch in schulen, die etwas studirt haben.

In dem anderen artikell, von dem heyligen Abend-
mall des herrn Christi:

Ist gleicher weyss gar und gantz gewiss, und dergleichen außfürlichen verlangst erwisen, d auch in der gantzen heyligen schrifft kein zeugniss, keyns, keyns durchaus zu finden sey, das Christus die gleubigen leyblich unnd fleyschlich mit seynem natürlichen leybe speis-sen und leyblich unnd fleyschlich in Jhren wohnen und wirken wölle: Allein was sich die papisten erstlich unterstanden haben zu erzwingen auss den worten der einsetzung des abendmalls: wird die offentliche

warheyt

warheytt der lehr Pauli des Apostels, und den gantzen eynhelligen Con-
sens der heyligen Schrifft; Allayn ihre missbreuche und abgottereyen
zuuerbestetigen. Den die gantze heylige schrifft durchaus zeuget, dz der
ewige Gott vater und Sohn wollen wohnen unnd wircken in den glau-
bigen durch den heyligen geist: aber doch durch mittel seynes heylig
worttes und Evangeliums und d Sacrament, noch laut und ver-
möge der gottlichen verhaissungen unnd zusagen.

Diese beyde stuck sinnd unlengbar unnd unwiedersprechlich, und sind
doch der grund der gegenlehr. Darumb wollen den E. Churf. G.
Ihrem glauben, unnd Ihrer Seelen seligkeytt setzen auff menschen gedicht,
und zuuorn allbereyt sehr lengst verdambte Irthumb und Ketzereyen!
wieder die offentliche, klare, gewisse, wollgegrundete, einhellige war-
heytt der heyligen schrifft. Ach es wollen E. Churf. G. dess
zu hertzen und gemuet ziehen: Ich meyne es hertzlich und threwlich:
ja wie oben gesagt, Gott, der barmhertzige Gott und Vater, der mey-
net es ihr hertzlich und threwlich mit E. Churf. G.: den er den-
selben durch meyn bekentnuss den weg zur warheyt zeygen will.
E. Churf. G. schlahen Ihnen nicht auss: Das ist mein threwlichs
flehen unnd bitten

C. P.

trad. lat. de
la p. 652 de
p. 665

Haec scripta germanica & latina, quae misi in manus Illustrissimi principis Domini Saxoniae Electoris Augusti &c exponunt confessionem meam de Iesu Christo filio Dei vero Deo & homine in una persona: & de vera eius praesentia in Coena sacra, quam certissimus sum esse aeternam & immotam Dei veritatem, sicut est voce filij Dei & per prophetas & Apostolos patefacta. Propter hanc amisi omnia, quae in his terris habui carissima. In hac, Deo adiuvante, perseverabo usque ad finem huius miserae & aerumnosae vitae meae, & si ita Deo placuerit, obsignabo eam morte mea, glorificans patrem aeternum Domini nostri Iesu Christi in confessione filij Unigeniti, cui servio, solicitus passionum eius in Spiritu Sancto, ut placeam per omnia patri aeterno, per & propter filium; cui & destinavi atque consecravi vitam meam, meque ipsum totum, & commendo ac trado animam meam perpetuis gemitibus in horas & momenta expectans beatum, laetum, & salutarem exitum seu vitae seu carceris, sicut ipsi placuerit. Certus sum enim nihil mihi casu aut temere accidisse: sed omnia Dei voluntate sic evenisse, ut ipse glorificetur. Certus sum etiam me Deo curae esse, me diligi, regi, servari, custodiri, eripi, & liberari a solo Deo, sicut dixit animae meae voce Esaiae prophetae: Servus meus es tu, Ego elegi te, & non abieci te. Noli timere: quoniam tecum Ego sum. Ne declines: quoniam Deus tuus Ego sum. Confortavi; auxiliatus sum tibi; suscepi te dextera iusti mei. Ecce confundentur & erubescent omnes qui contradicunt tibi. Erunt quasi non sint. Peribunt omnes qui contradicunt tibi. Quaeres

eos

eos, et non invenies: quoniam Ego Deus tuus sum, apprehendens manum tuam & dicens tibi, Ne timeas quoniam Ego adiuvi te, Noli timere Vermis meus, quoniam ego auxilior tibi. Ego Redemptor tuus sum sanctus in Israel. Judicium itaque de causa, justitiam, & vindictam omnem commendo Deo justo judici & vindici, & filio dei dominanti in medio inimicorum suorum, cuius est & causa & vindicta. Ego vero inimicis meis ex animo condono injurias omnes quibus me oppresserunt, & oppressum affecerunt, Et oro Deum toto pectore ut & ipse has condonet eis, & convertat ac sanet eos. Si quos etiam offendi; peto & ut ipsi vicissim condonent mihi errata mea. Atque ita me Deo commendans Vobis dilectissimis liberis meis relinquo hanc Confessionem meam Testamenti loco, ut sciatis in qua fide clauserim finem vitae meae: Et Deo vos commendo per & propter filium unigenitum, ac praecipio vobis ut mandatorum meorum sitis memores. Benedicat vobis Dominus & custodiat vos: ostendat vobis vultum suum & benedicat vobis: Convertat super vos vultum suum, & det vobis pacem. Amen.

AD THEOLOGOS.

Vobis pastoribus gregis Domini opto precorque ut Deus aperiat tandem oculos vestros. Cur enim in tam clara & diuturna luce doctrinae caelestis caecutitis, & pergitis tanta rabie & atrocitate defendere doctrinas obruentes veritatem & gloriam filij Dei: & stabilire tam multiplicem idolatriam, tam multiplices abusus & prophanationes sacrae coenae? Cur enim contaminatis nomen

nomen, gloriam, autoritatem & mandata hominum, Domini, Gloriae &
Autoritati Christi, & Mandato aeterni summo patris de audiendo filio?
Eiusque pugnatis non pro Luthero, quia Lutherus autor non est, sed pro
commentis & idolis pontificijs contra Christum: & docetis homines colere de-
um mandato & doctrinis hominum, in manifestam contumeliam Christi.
Resipiscite. Osculamini filium, & fugite idola. Requiret Dominus animas
omnium suorum de manibus vestris, Aperite oculos.

DE MEA INNOCENTIA.

Inimicis meis de calumnijs, quibus oppresserunt & deformarunt me innocentem, respondeo: Non sum melior Domino & Redemptore meo Iesu Christo, & sanctis eius prophetis, Apostolis & Martyribus: qui ijsdem artibus eodem modo in confessione veritatis oppressi sunt. Deus scrutator cordium scit, me cogitasse, imo somniasse umquam seditiosum aut perfidum aliquid, nedum tentasse. Cum me inimici ita oderunt propter confessionem constantem veritatis, cuius consilij ferre me potuisent, cum me diligerent? Sed haec ita fieri oportuit, ut demonstraretur eis veritas confessione mea, in testimonium adversus pertinaces adversarios. Innocentiae meae iudex & vindex est Deus. De Consilijs vero ad me perdendum susceptis respondeo verbis Hieremiae prophetae. Ecce ego in manibus vestris sum: facite mihi, quod

bonum

non edito

bonum et rectum est in oculis vestris: Verumtamen scitote & cognoscite. Quod si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos & prouinciam hanc, & habitatores eius. In veritate enim misit me Dominus ad vos, ut loquerer in auribus vestris omnia verba hac. Idolatras, Nestorianos, Eutychianos, Vbiquistas, Transubstantiatores, Consubstantiatores, ꝑ iudicabit Dominus.

p. 654
voir la traduct. ci avant.

Das Schrybenn an mynem genedigsten herrn den Churfürsten zů Sachssen etc.

Durchlauchtigster, hochgeborner, genedigster Churfürst und herr: Von aller erstenn
danck ich von grund mynes hertzens dem barmhertzigen Gott und Va-
ter, durch synen lieben Sohn Jesum Christum, daß Er mein gebet erhöret,
und E. Churf. G. hertz dahin bewogen hat, von mir genedigst an zů
nehmen und zů erkennen die ursachen so mich zwingen und dringen bey
der erkanten warheyt zů blyben: und bitte mehr mit höchsten seufftzen
aller myner krefft. Er wöll ferner E. Churf. G. regiren und fhüren,
dise ursachen rechtschaffen und hertzlich, wie die warheyt im grunde an
sich selber ist, zů betrachten, zů erwegen, und zů beherzigen: so werden
E. Churf. G. befinden, was daruff stehet. Zum andern
danck ich auch E. Churf. G. zum underthenigsten und demüttigsten
alß ich immermehr vermag und kan, daß Sie mir dise genad er-
zeygen: und bitte abermals den barmhertzigen Gott von innigkeit
mynes hertzens, Er wölle dises sein werck, daruff die rechte er-
kentnuß und ehre synes lieben Sohnes ~~stehet~~ Jesu Christi fürnemb-
lich stehet, ußfhüren glücklich und seliglich, wie ers angefangen hat,
zů offenbarung, erklerung und bestettigung syner warheyt, zů
synem ewigen rhům, ehr und preiß: und zů vieler frommen
Christlichen

Christlichen hertzen trost und stercke, ewigen freudt, und seligkeyt. Amen.
Das Ich nichts anders ansehe und suche, den allein und bloss die ehr und die
warheyt Gottes, zu meyner selen seligkeyt, und vieler fromen hertzen trost,
daruber Ich auch alles verlassen hab was Ich auff erden gehabet habe, und
meyne arme kinder mutterloss worden, und inss armut und elend gedihen
sindt: das wird mir Gott der ein hertzkundiger ist am iungsten tage
zeugnuss geben: und zweyfel auch nicht er werde es noch in disem leben thun,
seyne warheyt zubestehen. Damit aber E. Churf. G.
rechtschaffen erkennen mugen den grundt der zwyspalt in beyden arti-
keln, die hochwichtigkeyt der sachen, die dringenden und zwingenden
ursachen meyner beharlichen vorsatzes: So hab Ich erstlich die ursachen
in eyne deutsche schrifft, schlecht und einfeltig mit erzehlung etlicher war-
hafftigen oder doch kurtzen historien gefasset. Darnach hab Ich eben
diese ursachen in eyner lateinischen schrifft erzehlet ohn die historien,
und kurtzlich: doch mit etwas mehr erklerung der hauptpunct:
Den Ich die historien furnemlich hab E. Churf. G. referiren wol-
len, wiewoll weitleufftiger davon zuberichten were. Zum dritten
damit E. Churf. G. sehen dz Ich nichts auss verstockter blindheyt,
auss angemaster vermessenheyt, oder aus mutwilliger halsstarri-
keyt thue, sondern das die warheyt in beyden Artikeln an Ihr
selbst so offenbar, klar und gewiss ist, dz Ich nicht daruber kan-
so

So hab Ich die puncte der dreitte, und die lehr in beyden artikeln aus
dem grund heraussgefüret kürtzlich, so vil mir Gott gnad verlihen
hat durch seynen heyligen geist, in diser meyner grossen und täglich zu
nehmenden leybsschwachheyt, einsamkeyt der gefängnuss, mangell vil
ler bücher, darauss Ich mich nötiger hülff hette erhohlen sollen. Und
habe von wegen der gegenlehr der beyden herrn Doctorn, D Jacobs und
D Velmeners zugedencken nicht umbgehen können: welchs Ich sonst
villieber hette wollen underwegen lassen. Darumb bitt Ich ~~E~~
Chürf. G. zum underthenigsten Sie wollen es nicht anderst den genedigst
verstehen: den es von mir nicht zu Ihrer verkleynerung, sondern zur er-
klärung der warheyt geschehen: und habe Ihre reden erhohlet wie sie ge-
fallen sind. Ob nun diese meyne schrifften nicht
so vollkomlich, auch nicht so fürsichtig und bedächtig mochten gestellet
seyn, alss es woll die wichtigkeyt der sachen erfordert, Meyner schwachheyt
aber zu thun unmöglich ist: so bin Ich doch dess gantz gewiss, so so ge-
wiss Ich bin dz der ewige Gott unser warer Gott ist, wie Er sich
durch seynen Sohn Jesum Christum offenbaret hat: Das es, sag Ich, die
ewige einfeltige, bestendige, unwandelbare, warheyt Gottis ist, da-
wider mit grund und warheyt nichts wird noch mag aussgebracht
werden auss zeugnuss der heyligen schrifft, die auch wider den

Teuffe

Teüfel und die pforten der hellen bestehen und blyben werdt. Den was ca-
uilliert, vbell gedeütt, verkert wirt: ficht mich nichts an. Es kann nichts
so woll geredt werden: man kans vbell deüten, verkheren, sophisticiren, als
wie Ichs nennen soll: Die warheyt aber bleybt dennoch und bestehet: man
versuche darwider was man wölle. Und da mir Gott meyn leben fristet
und durch E. Churf. G. meyner gefängnüß mich erledigt: darumb Ich
abermall E. Churf. G. zum vnterthenigsten flehe und bitte, das Ich mich
durch die hulffe Gottes erholen mag, beyder an schwacheyt meynes leybs,
mit wartung meyner kinder, und der gedachtnüß in buchern, wurdet
E. Churf. G. das befehlen: so will Ich diese warheyt in beyden arti-
keln von zeyten zu zeyten außfüren; anzufangen von Christo unnd den
Aposteln: den in beyden artikeln die warheyt hell unnd klar ist.
Der erste Artikel ist in der ersten kirchen hart gestritten und gefochten
worden, und darumb desto richtiger unnd fleyssiger erklert worden.
Der ander aber vom Sacrament hat in der ersten kirchen gar und gantz
kein zweyffel unnd streyt gehabt: sondern ist erst verdunckelt unnd
gefochten worden umb die achthundert Jar nach Christi geburt. Will
cap 5. Si enim adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est, multo magis iustificati sanguine eius salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis iustificati reconciliati salvi erimus in vita eius.

1 Cor. 1. Ex ipso vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis a Deo sapientia et Iustitia, et sanctificatio et Redemptio, ut quemadmodum scriptum est, qui gloriatur in Domino glorietur.

Gal 2. Scientes quod non ex operibus legis iustificatur homo nisi per fidem Iesu Christi. cap 3. Omnes filij Dei estis per fidem quae est in Christo Iesu. Quicunque enim in Christo baptizati estis Christum induistis.

2 Cor. 5. Eum qui non noverat peccatum, fecit peccatum pro nobis ut nos efficeremur iustitia dei in ipso.

Gal 4. Ubi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum natum ex muliere, subiectum legi, ut eos qui sub lege erant redimeret.

Ephes. 2. Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis. Dei donum

donum est, non ex operibus: ne quis glorietur &c.

1 Timoth 1. fidelis sermo & omni acceptione dignus, quod Chrs Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus sum Ego.

Tit. 3. Non ex operibus iustitiae salvos nos fecit, sed secundum misericordiam suam per lavacrum regenerationis Spus s. quem effudit in nos abunde per I C salvatorem nrm.

Heb. 9. per proprium sanguinem semel introivit in sancta: aeterna redemptione inventa. Cap 10. Una oblatione consummavit in aeternum sanctificatos, sedens ad dexteram Dei & expectans donec ponantur inimici scabellum pedum eius. Et tota epistola ad Hebreos.

1 Petr. 3. Chrs semel pro peccatis nostris mortuus est: iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo

1 Ioann. 1. Sanguis Iesu Chri filij eius emundat nos ab omni pcto.

Ibidem. In hoc apparuit filius Dei, ut destruat opera diaboli.

Esa: 61 Spus Dni super me, eo quod unxerit me ad annunciandum mansuetis me, ut mederer contritis corde, & praedicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem.

TESTIMONIA

Quód Christus fuerit & sit ab initio Caput Ecclesiæ suæ: Sancti sint corpus & corporis membra, & quid interpel- let pro nobis perpetuo: & quid per eum habeamus accessum ad patrem: καὶ ὅτι ἡ ἐκκλησία μυστικὸν σῶμα Χριστοῦ.

ps. 16. Sanctis in terra & admirabilibus, omnis mea voluptas in eis

prouerb 8. Delectationes meæ cum filijs hominum.

Joann 8. Abraham gauisus est videre diem meum, & vidit eum. Antequam nasceretur Ego sum

Joann 14. Ego sum Via, Veritas & Vita: Nemo venit ad patrem, nisi per me.

Joann 17. Non pro eis rogo tantum, sed & pro illis qui credituri sunt per verbum illorum in me, Ut hi omnes unum sint, sicut tu pater in me, & Ego in te: Et ut ipsi in nobis vnum sint, & ut credat mundus, quia tu me misisti.

Actor. 7. Hic est qui fuit in Ecclesia, in solitudine, cum Angelo qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus nostris, qui accepit verba vitæ dare nobis, cui noluerunt obedire patres nostri, sed repulerunt eum auersi cordibus suis in Ægypt.

Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.

Cap. 8. Si Deus pro nobis quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis est qui accusabit Electos? Deus qui iustificat. Quis est qui condem.

condemnet? Christus Iesus qui mortuus est: imo qui & resurrexit, qui & ad dexteram Dei est, qui etiam interpellat pro nobis.

Rom. 12. Sicut in uno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eandem habent actionem: ita multi unum corpus sumus in Christo. Singuli autem, alter alterius membra, habentes donationes differentes, secundum gratiam quae data est nobis.

Ro. 15. Non audeo loqui, nisi quae per me effecit Christus virtute Spiritus Sancti.

1 Corinth. 10. Patres nostri omnes sub nube fuerunt & omnes mare transierunt: eandem escam spiritualem manducaverunt, eundem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de spirituali consequente eos petra. Petra autem erat Christus.

1 Corinth. 10. Unus panis & unum corpus multi sumus qui de uno pane & de uno calice participamus.

Cap. 12. Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa: Omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: Ita & Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptisati sumus. Vos estis corpus Christi, & membra de membro.

Item cap. 7. Vos estis membra Christi.

Ephes. 1. Et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiae, quae est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet.

Cap. 4. Ut veritatem facientes in charitate crescamus per omnia in illo qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis e

Eph. 2. Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad patrem

Ephes 3. Ut innotescat per Ecclesiam multiformis sapientia Dei quam fecit
in Christo Iesu Domino nostro, in quo habemus fiduciam et accessum confidenter per fidem eius.
Eph. 4. Nolite contristare spiritum sanctum, in quo signati estis in diem re
demptionis. Ibid. Unum corpus et unus spiritus.
Ephes. 5. Sicut Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de
carne eius et de ossibus eius.
Coloss. 1. Ipse est caput corporis Ecclesiae qui est principium: primogenitus ex
mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Ib. Corpore eius quod est Ecclesia.
Coloss. 2. frustra inflatus sensu carnis, suae et non tenens caput ex quo to
tum corpus per nexus et iuncturas coagmentatum est.
Ebr. 7. Hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium
Unde et salvare in perpetuum potest accedens per semetipsum ad Deum,
semper vivens ad interpellandum pro nobis.
1 Iohan. 2. Haec scribo ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, Advocatum
habemus apud patrem Iesum Christum: Et ipse est propitiatio nostra pro pec
catis nostris: non pro nostris autem tantum, sed et totius mundi.
1 Pet. 2. Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acqui
sitionis: ut virtutes annuncietis eius qui vos vocavit de tenebris. Ad
quem accedentes lapidem vivum ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem
electum et honorificatum, et ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini in domos
spirituales, in sacerdotium sanctum offerentes spirituales hostias acceptas Deo per Iesum Christum.

TESTIMONIA

quod Deus habitet in sanctis: Pater & filius per spiritum sanctum.

2 Cor. 6 citat Paulus testimonium ex cap. 26 Leuitici & 52 Esaiae & 31 Ierem.

Leuit: 26. Vos estis templum Dei viui, sicut dicit Deus. Quoniam inhabitabo in illis, & ambulabo inter eos, et ego ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. propter quod (Esa: 52) exite de medio eorum, & separamini: dicit Dominus: & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos. Et ero vobis (Ierem. 31) in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.

Psal. 68. Hic est mons in quo bene placitum est Deo habitare. Dominus habitabit in aeternum. Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem: Accepisti dona in hominibus: Etiam rebelles ut inhabitet Dominus Deus.

Esa. 59. Spiritus meus qui est in te, & verba mea quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui dicit Dominus, a modo, & usque in aeternum.

Ierem. 31. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.

Ezech. 36. Spiritum meum ponam in medio vestri & faciam ut in praeceptis meis ambuletis, & eritis mihi in populum, & ero vobis in Deum.

Cap. 33 Dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum. Et erit tabernaculum meum in eis: & ero eis Deus, & erunt ipsi mihi populus

Ioel 2.

Joel 2. Et erit posthac effundam de spiritu meo super omnem carnem: et prophetabunt filij vestri, & filie vestre. &c

Zach. 2. Quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui.

Cap. 12. Effundam super domum David, & habitatores Ierusalem spiritum gratie & precum

Joann. 6. Spus est qui vivificat, caro non prodest quicquam.

Joann. 14. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & pater meus diliget eum, & veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.

Ibid. Et ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum: spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos.

Ibidem: paracletus autem spus quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quecunque dixero vobis.

Joann: 15. Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a patre, spum veritatis, qui a patre procedit: ille testimonium perhibebit de me.

Joann. 16. Cum venerit ille paracletus veritatis, docebit vos omnem veritatem

Act. 2. Petrus. Dextra igitur Dei exaltatus Iesus, & promissione spus sancti accepta a patre, effudit hoc donum quod vos videtis & auditis.

Rom. 8. Vos in carne non estis, sed in spiritu: si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem spum Christi non habet, hic non est eius.

Credo si

Quod si Spus eius qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis: qui resuscita-
uit Iesum Xpm a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra propter inhabi-
tantem eius Spum in vobis. Et. Quicunq. Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei.
Non enim accepistis Spiritum timoris, sed adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus
Abba pater. Ipse Spus testimonium perhibet Spiritui nostro, quod sumus filij Dei.
Si autem filij: & heredes. Haeredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Simi-
liter Spiritus adiuvat infirmitatem nostram. Nam quid oremus, sicut opor-
tet nescimus. Sed ipse Spus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.
Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spus, quia secundum Deum inter-
pellat pro sanctis.

1 Corinth. 1. Nobis autem revelavit Deus per Spum suum. Spiritus enim omnia
scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quae sunt homi-
nis, nisi Spus hominis qui in ipso est? ita & quae Dei sunt nemo cogno-
uit nisi Spiritus Dei. Nos autem non Spiritum huius mundi accepimus: sed
Spum qui ex deo est, ut sciamus quae a Deo donata nobis sunt.

ibid. cap 3. Nescitis quod templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in
vobis. Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.
Templum Dei sanctum est quod vos estis.

Cap. 6. Qui Domino adhaeret, unus est Spiritus. Nescitis quod corpora vra
membra sint Christi. An nescitis quod membra vestra templum sunt Spus S.
qui in vobis est, quem a Deo habetis, & non estis vestri: Empti n. estis magno
precio.

Item 12. Divisiones gratiarum fiunt per unum & eundem Spiritum.

2 Cor. 3. Deus est Spiritus. Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Nos vero oes revelata facie gloriam Dei aspicientes in imaginem eandem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.

2 Cor. 1. Dedit pignus Spūs in cordibus nostris in Xpo.

Gal. 3 & 4. Quoniam estis filij Dei, misit Deus Spiritum filij sui in corda vra clamantem Abba pater. Itaq iam non est servus sed filius. Quod si filius, et haeres per Deum.

Gal. 5. Spiritu ambulate, & desideria carnis no perficite

Phil. 1. Per vestram orationem & subsidium Spiritus Iesu Christi.

Ephes. 1. Credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae. & cap. 2. de Xpo inquiens: In quo & vos coaedificamini in habitaculum Dei, in Spiritu Sancto.

2 Cor. 5. Qui autem efficit nos in hoc ipsum Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus.

Galat 5. Spiritu ambulate, & desideria carnis no perficite. Si vivimus Spiritu, Spiritu & ambulemus.

Item cap. 6 Gala. Qui seminat in carne sua, de carne corruptionem metet. Qui seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam aeternam.

Ephes. 4. Nolite contristare Spiritum Sanctum, in quo signati estis in diem redemptionis. Phil. 1. Per subsidium Spiritus Iesu Christi.

Tit.

Tit. 3. Secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regeneratio-
nis Spiritus Sancti; quem effudit in nos abunde per Iesum Christum salva-
torem nostrum.

1 Ioann. 3. In hoc scimus quod manet in nobis: ex Spiritu quem dedit nobis.

Cap. 4. Quoniam in eo manemus et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.

O Iesu Christe aeterne fili Dei, λόγε ἐν ἀρχῇ ἀΐδιε τοῦ ἀϊδίου πατρὸς crucifixe pro nobis & resuscitate, qui regnas ad dextram, & in sinu atque amplexibus aeterni patris interpellas pro nobis verus & aeternus Deus, & verus homo, Rex & sacerdos aeternus, gloriosum caput Ecclesiae tuae: miserere meae infirmitatis, & auge in me lucem & agnitionem veritatis tuae per spiritum sanctum tuum. Tu scis quod ab adolescentia mea timui te, & exquisivi te toto corde meo, quod in simplicitate cordis mei te confessus adiuverim & promoverim meo loco veritatem tuam, Confiteor cum multis meis & magnis infirmitatibus, lapsibus & peccatis, quae deploro & deprecor in conspectu tuo, toto corde meo. Tu scis tamen quod animo simplicissimo & rectissimo nihil aliud spectaverim aut quaesiverim, quam gloriam tuam, amore & zelo veritatis tuae non ficto aut simulato, & perfecto odio omnium huic adversantium. Tu me nunc in hanc viam & vocationem confitendae veritatis tuae deduxisti & collocasti dextera tua. Tu me docuisti, gubernasti & confirmasti. Obsecro & obtestor te, quantis maximis possum & ardentissimis votis & gemitibus, & desiderijs intimi cordis mei; proba me domine & cognosce cor meum: Examina me & cognosce cogitationes meas, & vide si est in me via erroris & mendacij: reduc & dirige me in viam veritatis tuae, deduc me in semita recta & aeterna. Non sinas me aberrare a testimonijs & vijs tuis: Non sinas mihi excuti veritatem tuam: aut ab eius confessione me deijci & repelli

pelli: Non auferas unquam verbum veritatis tuae, nec Spiritum sanctum tuum
de corde meo: Nec destituas me luce & gubernatione tua: Nec sinas me
opprimi, confundi, aut conterri quoquo modo in hac tam praeclare inchoa
ta confessione tuae veritatis. Non sinas me in medio eius cursu deficere,
velut mutum canem, aut vivum cadaver, contemptum cum ceteris mutis
& sterilibus. Non sinas veritatem & gloriam tuam in mea confessione op-
pressam contumeliose & blasphemice exagitari & conculcari in contumeliam
tuam, nemine vindicante. Non sinas confessionem meam inanem, irritam
& infructuosam esse, quia est veritas tua: Sed perfice obsecro, perfice, per
fice hoc opus tuum quod in me & per me coepisti. Auge, confirma,
consumma hoc quod in me misero & fragili organo & vase misericordiae
tuae operatus es per Spiritum sanctum tuum. Erue me, Domine de
carcere animam meam, & congrega iterum dispersos servos tuos, ut con
fiteamur sanctum nomen tuum, & exultemus in laudibus tuis. Non
ulciscaris peccata mea contumelia tua & veritatis tuae. Non confundas me,
quia non est in morte qui memor sit tui: In inferno autem quis gra-
tias aget tibi? Sed eripe me, suffice robur & vires infirmo meo Spiri
tui & corpori, ut possim perdurare usque ad finem, & te sustinere patienter,
& expectare constanter donec venias. Perfice obsecro hoc quod coepisti
opus confessionis & liberationis meae. Tu unus & solus manifeste mi

raculo

raculo me huc usq. servasti. Perfice ergo, consumma, comple, dirige opus confessionis & liberationis meae, exitu felici, laeto, beato, placito, honorato, & salutari, ad honorem & gloriam sanctissimi nominis tui, in testimonium veritatis tuae, & erga me misericordiae tuae, in consolationem Ecclesiae tuae, in confusionem pertinaciter adversantium manifestae tuae veritati. Et in multitudine tuae misericordiae converte ad te in agnitione veritatis huius, & sana omnes sanabiles: ut per te in confessione tui glorificaturi pater aeternus, per omnia secula seculorum Amen.

Ἐξομολόγησις

Casparis Peuceri, Phiae & Med. Doctoris: in carcere, opposita tetris, blasphemis & monstrosis confusionibus Chymerae, quae Veritatem & gloriam Filij Dei, Domini nostri Iesu Christi oppressit sub Formula Concordiae.

Edita] p. 674

Primo credo et confiteor toto & sincero pectore, iuxta expressa & perspicua testimonia scripturae sacrae cum orthodoxa Ecclesia omnium temporum, doctore, duce ac teste Spiritu sancto, in corde meo, de filio Dei, Domino nostro & salvatore Iesu Christo; Quod Unio hypostatica duarum naturarum in Domino nostro Iesu Christo, quia ille est in una hypostasi seu hyphistamenon una persona, verus & aeternus Deus, natura genitus ab aeterno de essentia patris ὁμοούσιος patri: & verus homo natura, natus ex Maria Virgine ὁμοούσιος nobis, sed sine omni labe & peccato: Quod ergo unio haec hypostatica non est per se & realis communicatio idiomatum seu proprietatum divinae naturae cum humana, aut omnium, aut aliquarum, demento tanto, quanta libuerit et nota sit ipsi Christo; Sed quod est assumptio naturae humanae ὑπὸ τοῦ λόγου, seu a filio Dei λόγῳ qui est hyphistamenon per se existens ab origine aeterna, in unitatem personae, sive, ut Graeci loquuti sunt εἰς μίαν συνθετον ὑπόστασιν, inconfusa, inconversa, indivulsa, inseparabilis: Conservante in ea unione, utraq. natura divina & humana essentiam suam & proprietates essentiales immutabiliter & distincte, in omnem aeternitatem:

Talis

Talis tamen, ut humana natura assumta in diuina assumente existat, gestetur, sustentetur & conseruetur indissolubiliter hac lege, ut nisi ita in ea consisteret, aut non esset sed redigeretur in nihilum, aut esset hyphistamenon sui persona per se, Et sic ex uno christo fierent gemini & distincti, contra liquidissima scripturae testimonia. Et quod assumtam hoc modo & sibi unitam massam nostram, inde usque ab utero matris Mariae Spiritu sancto sanctificat & implet οὐ κατὰ μέτρον, non secundum mensuram, ut Ioannes ait, id est, in praerogatiua & excellentia virtutis & donorum spiritus sancti tanta, quanta nullius est creaturae, neque in caelo neque in terra, etsi in statu humili minus se exeruit. Quod secundum hunc unum & uerum modum unionis hypostaticae Christus est una hypostasis, hyphistamenon, persona composita ex duabus naturis: diuina assumente & humana assumta in unitatem personae, & non ex duabus personis, sicut ex duobus conglutinatis asseribus.

Affirmo itaque coram Deo patre, filio, & spiritu sancto: & Ecclesia Angelica & humana, vere & sancte, Quod communicatio realis & per se idiomatum seu proprietatum diuinae naturae cum humana, chymaera, quam illa credi postulat impudenter, audacter, furenter & impie, fieri posse & factam esse citra omnem mutationem, conuersionem & exaequationem naturarum inter se, aut humanae abolitionem. Hanc ergo affirmo esse ipsam physicam ac realem confusionem naturarum in christo, commentum mendax Antichristi, quo humana absorbetur ac perimitur. Cuicunque enim se Deus essentia com-

Com-

communicat aut proprietatibus essentialibus quae sunt inseparabiles. id fit et est Deus. Communicationem autem aliquarum, de numero certo, cum essentia, lia omnia in Divinitate sint ἀμέριστα καὶ ἀδιαίρετα, id est. impartibilia & indivisa; eiq. fieri talis nulla potest: Talem igitur affirmo reipsa nihil esse aliud quam Virtutis divinae in donis creatis cum natura humana communicationem, sanctis alijs communem, sed mensura & praerogativa superante omnium creaturarum dona, qua unio hypostatica dissolvitur penitus, & Christus in duas personas, seu duos Christos dividitur, Nec est θεάνθρωπος amplius, id est Deus & homo, sed nudus homo θεόφορος, θεόπνευστος, ἔνθεος seu ἀποθεωθείς, id est, Deificatus, sicut Swenkfeldius loquitur: non natura divina in una persona, sed sola Virtutis divinae praerogativa in una natura humana ab hominibus sanctis differens. Affirmo etiam quod chymaera veras causas in scriptura traditas, Cur Mediatorem inter Deum & homines oportuerit in duabus naturis, divina aeterna assumente, & humana assumpta unum esse hypostasi: hyphistamenο seu persona, inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter, nunquam consideraverit. Quod personam Christi totam in utraq. natura destruat, divinam excludens ab unione hypostatica, cum Samosateno, Sabellio, Ario, Nestorio & similibus: humanam penitus abolens cum Eutyche. Quod chymaera ordinem naturarum & rationem unionis hypostaticae perspicuo, & ubiq. sibi constante verbo demonstratum penitus invertit & pervertit, dum fingit humanam naturam cum

Nestorio

Nestorio hyphistamenon per se existens assumere ac gestare assumtam & inhabitantem sibi naturam divinam, per communicationem idiomatum essentialium nullam aut omnium aut aliquorum, & hanc per illam exserere sese sicut ignis in fornace: in Christi massa vero tanto efficacius & fortius quam in aliis sanctis, quanto in ea virtute & potentia maior & efficacior est. Quod orthodoxae Ecclesiae omnium temporum, graecae & latinae; in ipsa etiam Romana Ecclesia tot modis corrupta, cum articulo de unione hypostatica inconfusa & inseparabili, doctoribus Scholasticis communicatio idiomatum est phrases sive modus loquendi, & praedicatio Dialectica, qua unius naturae propria, divisa ac distincta a proprietatibus alterius tribuuntur toti personae παρωνύμως, & in concreto propter unitatem personae; cum quae unius naturae sunt propria, competunt & recte tribuuntur hoc modo, quia personae utrique insunt, alteri naturae non insunt: Non enim essent propria: sed naturae utrique fierent communia: in abstracto, & absolute non tribuuntur recte, sed falso: quia naturae confusae non sunt, sed retinent suas proprietates. οἱ λόγοι γὰρ ἀληθεῖς, ὥσπερ τὰ πράγματα. Denique quod in hoc articulo scripturis & sibi ipsi contradicit, in omnibus, destruens fundamenta quae se fingit ex puriori antiquitate retinere, & confundens teterrima confusione & perniciosa proprietates essentiae divinae cum virtute ac donis Spiritus sancti, & cum iis quae sunt ministerii & officii: quod in Apologia evidentius declarabitur.

Secundo, de natura humana assumpta in Christo, & de proprietatibus

veri

Veri et naturalis corporis Christi, in quo natus, educatus, versatus in terris, crucifixus, mortuus, sepultus, resuscitatus, evectus ad caelos, glorificatus, exaltatus ad sacerdotium & regnum aeternum, regnat ad dextram patris, inde venturus judicare vivos & mortuos. De hoc ergo articulo credo & confiteor, ut in primo articulo dictum est, ne semper eadem verba repetam, quod de proprietatibus veri & naturalis corporis Christi non sit constituendum aut definiendum judicio & arbitrio humanae rationis, ex fundamento solius omnipotentiae divinae, contra patefactum expressum verbum: quia ad verbum mandato severissimo omnes nos alligamur. Quod non sint ei tribuendi plures existendi modi in loco praeter eum quem unum ei scriptura tribuit: Aut quod uno eodemque momento simul sit in diversissimis ac disiunctissimis locis, ut Chimaera affirmat, ubiquitatem Brentianam declinans, qui cuivis lapidi & trunco corpus Christi adesse palam & audacter asserit, sed in solo pane dispensative. Quod glorificatio & exaltatio naturae humanae ad dextram patris neutiquam mutarit in ea proprietates essentiales, neque exaequarit eam divinae per sese ulla re, sed quod unicum tantum modum existendi in loco ei scriptura tribuit, omnibus corporibus naturalibus communem, uno ac perpetuo contentum, mox a nativitate, ante & post passionem, mortem & resurrectionem: ante & post ascensionem in caelos, quae non facta est κατὰ ἀφανισμόν, sed vero motu locali, physico. Item, ante & post glorificationem & exaltationem: ante & post iudicium postremum; Nimirum, quod in vero & naturali corpore conformato ad effigiem & formam humani corporis

ris, sed nunc glorificato, occupat certum & σύμμετρον suæ magnitudini
spatium, quo vult cæli loco, physica locatione partium, sicut antea in terris in
statu humili: Nec propterea aut carcere clausus, aut vinctus est ergastulis, ut lu-
dit Chimæra. Quod glorificatio non abolet naturam corporis, sed
induit ei quæ sunt glorificatorum corporum propria: sed in eo gradu, quo omnia
corpora glorificata antecellit. Exaltatio erexit & extulit eam ex
unionis inseparabilis vinculo supra omnes cælos & creaturas ad fastigium sum-
mæ dignitatis, non ad æqualitatem essentiæ & potentiæ suæ: sed ad societa-
tem sacerdotij & regni æterni, in tanta potentia & donorum excellentia,
quantam ut finita natura capere potest: Nec ad æqualitatem, sed ad so-
cietatem cultus, honoris, adorationis, invocationis &c. quantum ei competit, ut
colatur in unitate personæ, una λατρεία, uno cultu, ab Angelis & hominibus,
sed intra metas suæ substantiæ, & suarum proprietatum; utraque natura
semper agente, & ad commune etiam opus sacerdotij & regni conferente, quod
suum & proprium est: distincte, non seorsim aut separatim, & citra om-
nem confusionem, commixtionem, ac conversionem, ut naturarum sit actio
num quæ in opere ipso effectu distincto concurrunt & coëunt, atque desinunt
effectu in unum ἀποτέλεσμα, quæ actio est & vocatur θεανδρική, &
composita est semper. Affirmo itaque vere & sancte coram Deo
patre, filio, & spiritu sancto, & Ecclesia Angelica & humana, Quod Chri-

mem

mera, dnm Christum, refragante & reclamante tota scriptura, corpore uno momento in loca innumera distrahit, & pani consecrato, ut mox dicetur, includit aut contrahit sine omnibus corporis proprijs, quæ sibi post resurrectionem inesse Christus Apostolis demonstrat: quod ergo Christum proprietatibus humanæ naturæ spoliatum & corpore penitus exutum in phantasma & spectrum convertit cum Eutyche: & corpore quærit in pane, quem negat esse in cælo: & extinguit hanc summam consolationem ac spem quod efficimur fide membra corporis ipsius, caro de carne, & os de ossibus ipsius: & quod glorificato eius corpori erimus conformes in omni æternitate.

Sequuntur articuli de ministerio verbi & sacramentorum, in quibus complector ordine hos quinque cognatos articulos. Primum de præsentia totius trinitatis in ministerio verbi & sacramentorum: quo ordine & discrimine adsint personæ? quo fine & effectu. Secundum: de discrimine mediorum in verbo & sacramentis. Tertium: de vera præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra cœna. Quartum: de modo applicationis in regeneratione & conversione ad Deum. Quintum: de viribus humanis in applicatione

Tertiò, de vera præsentia, actione, & efficacia Dei in verbo patefacta, & in ministerio verbi & sacramentorum, instituta expresso Dei mandato, credo ac confiteor, ut supra, quod hæc præsentia, actio & efficacia non est generalis in creatione ordinata, physica aut bruta, qualis est in naturis brutis aut hominibus non renatis: Nec est extraordinaria, instituta

tata, rara, qualis illa est in miraculis operum naturae: Nec est Enthusiasticus afflatus & raptus cum sensu sed sine motu: Nec est Stoica, ex lege necessitatis immutabili: Nec est magica, hyperphysica, aut paraphysica, qualem ex his omnibus monstrose confusam Chimaera comminiscitur: Nec est praesentia unius personae Trinitatis tantum, nec confusa omnium: Nec est in Sacramentis Baptismi & coenae sacrae alia quam in verbo & verbi ministerio: Nec alia in his communicatio & distributio donorum dei. Sed, quod est praesentia, actio & efficacia specialis, mystica, & pactionalis, diversa à toto ordine naturae conditae, patefacta sed ordinata tamen, & ex pacto promissa, certo & expresso Dei verbo, & ad verbum ac sacramenta tantum alligata, liberrima tamen, & directa ad unum & solum hominem, propter quem solum instituta est, exerens etiam & exprimens se liberrime per ordinata haec media in quem vult, arcano decreto divinitatis, & qua ac quanta vult mensura virtutis divinae, ac donorum aeternorum, non in usum huius vitae animalis, sed ad vitam novam, coelestem, sanctam, spiritualem, aeternam, conformem Dei voluntati & mandatis, ac Deo placentem in motibus internis, & actionibus externe sanctis. Quod tota divinitas praesens & efficax est eo discrimine & ordine personarum, quem Scriptura tradit: Pater aeternus adest ut principium, causa, fons & gubernator totius operis, & beneficij gratuiti, per & propter filium propitiatorem ac Mediatorem recipiens in gratiam agentes poenitentiam & credentes, fiducia filij, donans eos

remissione

remissione peccatorum, justitia, et Spiritu sancto, ad vitam, lucem, & justitiam novam et aeternam laetitiam. Filius Dei Dominus noster Iesus Christus praesens & efficax est merito & efficacia. Merito: placans ac reconcilians patrem, & umbraculo justitiae atq. intercessionis suae protegens. Efficacia: applicans sua merita, distribuens quae vult mensura, ut lux mundi lucens per verbum in mentibus nostris, & virtute Spiritus sancti accendens lucem novae & verae agnitionis Dei, ac fidem qua quisq. totum beneficium misericordiae Patris, & meriti filij apprehendit, amplectitur, ac per fidem consolationem & vitam sibi accomodat. Quod illo ipso Spiritu sancto quo massam nostram in se assumptam ex Maria virgine vivificat & sanctificat Christus: electos etiam insertos sibi tanquam palmites viti, tanquam surculos arbori, tanquam membra corpori ex sese vivificat, ut fiant & sint caro de carne eius, & os ex ossibus ipsius, & omnes in unum redigit, consociat & conglutinat corpus, tanquam membra cuius ipse caput est, quod est Ecclesia, corpus Christi mysticum. Spiritus sanctus praesens & efficax est, ut proximus & immediatus opifex totius operis, virtute divina, nova, viva, & efficaci, applicans beneficia Patris & merita filij. fide accensa vivificante, qua acceptus ipse & efficax in cordibus religiosum opus internae novitatis in motibus & actionibus sanctis surget ad normam praecepti mandati. Quod nulla alia est praeter hanc praesentia Dei in ministerio verbi & sacramentorum, tradita voce verbi divini. Quod talis praesentia est actio & efficacia tantum in actione reciproca hominis: id est, in ipso usu vero, legitimo, instituto &

mandato

mandato: in ijs qui audiunt, attendunt, cognoscunt, meditantur, & fide apprehendunt. Extra hanc ordinatam actionem & usum nulla est efficacia.

Affirmo itaq. iterum sancte & voce, coram Deo patre, filio, & Spiritu Sancto. & Ecclesia Angelica & humana, Quod Chimaera teterrimis & blasphemis confictionibus hanc euidentissimis Scripturae testimonijs uno consensu traditam doctrinam, & salutis nostrae causa institutum ordinem ministerij penitus obruat atq. deleat; sicut Apologia demonstrabit.

Quarto; de Virtute & efficacia Verbi & Sacramentorum in ministerio sacro Ecclesiae, credo & confiteor ut supra, Quod vox ministri sonantis Verbum, & media externa Sacramentorum non mutant naturas suas, nec conversione ulla physica aut miraculosa, nec ascitu unquam alterius naturae per inclusionem vel alligationem physicam, miraculosam, aut magicam: nec acquirunt aut induunt vires novas ab insitis naturae diversas, seu divinas, seu physicas, seu magicas, miraculosas, hyperphysicas, paraphysicas, ex ea de qua dictum est, praesentia, actione, & efficacia divinitatis, aut Verbo ipso quod vox ministri sonat, & quo media Sacramentorum consecrantur, ac transferuntur ad usus destinatos sacros. Quod etiam inanis sonitus non est Verbum feriens aures & pectora blando titillatu eloquentiae: Sacramenta non sunt otiosa & inania spectacula, qualia sunt theatrica. Quod corpus Christi consecrato pani nulla inest aut copulatur praesentia hypostatica & inseparabili unionis: nulla

generali

generali communi, physica, ordinata in rerum natura, siue localis siue definitiua censeatur, quae spirituum tantum est: Nulla extraordinaria & miraculosa: Nulla magica, siue hyperphysica, siue paraphysico fuco coloretur. Quod caro Christi efficax est & viuifica, non virtute & efficacia physica, carnali, bruta, aut magica, hyperphysica, vel paraphysica: Nec contactu, mansu, pastu, afflatu, mutatione corporum nostrorum physica aut magica. Quod spiritus sanctus non Stoica necessitate & coactione, nec impulsu & raptu Enthusiastico, nec virtute & efficacia aut physica aut magica, quocunq. colore picta, se per vocem ministri, & usum mediorum in Sacramentis exerat. Quod etiam non est afflatus leuis aurae praeteruolantis, perstringens aures & pectora sono euanido, qualia monstrosa confusione Chimaera confingit: sed quod vox ministri docentis & symbola sacramentorum conseruant naturas suas integras & vires a natura insitas. Virtus autem & efficacia ad nouam, sanctam, spiritualem & aeternam vitam est verbi diuini quod vox ministri sonat, & quo media seu symbola sacramentorum, vt aqua baptismi & panis ac vinum sacrae coenae sacro usui consecrantur ac destinantur per virtutem sancti spiritus accedentis in vero usu & meditatione verbi ac mediorum externorum, secundum verbum & institutionem, nouam lucem & fidem, qua fit applicatio beneficiorum Christi & inchoatio nouitatis: sed virtute spiritus sancti & praesentia, actione atq. efficacia liberrima. Virtus verbi est & spiritus sancti in corde, non in voce aut facundia ministri, nec mediorum in Sacra-

mentis

mentis. Quod fide fit applicatio, qua Verbum apprehenditur: Vocale, ministro docente: Visibile, in Sacramento ab eodem administrato. Sine fide Verbum Vocale audienti est inanis sonus: Sacramenta sunt nuda & inania symbola utenti. Quod Sacramenta docent Verbis suae institutionis, & praeceptis de usu legitimo, tanquam obvia signa per oculos, sicut auditu, lectione, aut meditatione Verbum docet. Quod eadem res & eadem beneficia offeruntur, distribuuntur, exhibentur, applicantur, & quasi sigillo obsignantur in Sacramentis, Virtute Spiritus Sancti per fidem, quae in Verbo. In actione interna discrimen non est, sed in externa tantum. Quod Christus vere praesens & efficax fide in cordibus credentium pascit eos corpore & sanguine suo interius, et efficit eos viva insitione membra sui corporis veri & mystici, tam per Verbum & baptismum quam in usu sacrae caenae: sed non physica ablutione aquae baptismi, nec physica manducatione corporis, sed interna, mystica (de qua externa, ut symbolum, oculos commonefacit) virtute sui spiritus, qua transformamur ad eandem imaginem cum ipso, & efficimur cum ipso Christo unum spiritu, ut Paulus ait. Quod nullam aliam rationem praesentiae Christi in ministerio Verbum patefactum doceat, nisi unam hanc. Affirmo itaque iterum vere & sancte, coram Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto: & Ecclesia sancta Angelica & humana, quod chimaera ista, monstrosa & blasphema confusione praesentiae, actionis atque effectionis Dei generalis, physicae, & ordinatae, cum extraordinaria, physica, miraculosa

Eutychiana

Enthusiastica, Stoica, magica; Veram, ordinatam, mysticam, pactionatam praesentiā in ministerio Verbj & Sacramentorum, Verbo Dej patefactam tollat, rationem veram totius ministerij abdicat, usum legitimum institutum ad reparationem & instaurationē salutis aeternae in genere humano penitus destruat.

Quinto: de sacramento corporis & sanguinis Christi, & de praesentia corporis & sanguinis Christi in pane & vino consecrato, & in sumente panem & vinum; Credo & confiteor iuxta verba institutionis, & declarationem perspicuam & immutā duorum interpretum, Christi autoris & Pauli Apostolj; cum tota prima & puriore Ecclesia, per annos amplius quingentos, cui commentum multo posterius Ecclesiae Romanae fuit ignotissimum, Quod panis & vinum non sunt natura & substantia, nec naturale & essentiale corpus Christi; neq. ex conversione illa, aut transsubstantiatione, neq. ex inclusione aut alligatione illa, quaelscunq. fingatur, physica, miraculosa seu prodigiosa, separabili vel inseparabili, magica, hyperphysica, paraphysica. Quod Christus nullo contactu, manu, aut pastu physico seu carnali, bruto, aut commentitio, miraculoso, aut magico, hyperphysico vel paraphysico praesentis corporis sui carnem sumentis ori vescendum praebeat. Quod similiter nullo contactu aut pastu physico, seu carnalj corpus Christj carne sua nostrae carni coalescat. Nullo etiam actu & effectu physico afficiat, immutet, vivificet corpora nostra. Quod sacra coena non est pastus prophanus & physicus seu carnalis corporum ad hanc vitam animalem, quae morte temporali destruuntur. Quod

verba

Verba institutionis non identica prædicatione de hoc visibili pane, ex mutatione quacunque substantiæ panis, aut nova commentitia unione hypostatica corporis cum pane, nec synecdochica prædicatione accipi debent, ex quacunque connexi alio: Sed quod consecratus panis & calix sunt corpus & sanguis Christi relative & typice: nimirum, corpus & sanguis sacramentalis & mysticus, ut symbola & antitypa, sicut Græca: ut figuræ & signa sicut latina Ecclesia locuta est, veri & vere existentis corporis in cælo, iuxta testimonia scripturæ, ubique inter se consona. Et quod instituta sunt hoc fine, ut in mandato & legitimo usu nomine corporis & sanguinis commonefaciant & doceant credentes de toto beneficio, passione, & morte filij parto, & de præsentia ipsius in cordibus credentium applicantis merita sua, semetipsum nobis communicatione & applicatione vera & viva, sed virtute viva spiritus sancti per fidem, insitione viva in suum verum & vivum corpus, & mysticum Ecclesiæ, ut dictum est. Quod non carnis suæ prophana, carnali, physica, bruta præsentia & effusione, sed virtute & societate unius & eiusdem spiritus cum sua massa, afficit, vivificat, sanctificat & pascit animam, naturam rationalem & spiritualem, fide tantum, quæ fit applicatio, ut dictum est: qua quomodo corpori communicetur mox dicetur de regeneratione & conversione hominis. Quod virtute spiritus sancti insiti Christo ab ipso vitam & alimoniam spiritualis vitæ haurimus, sicut membra corporis ~~ex~~ nostri vitam animalem ex corde nostro per vitalem

Spiritum

spiritum trahunt; et coalescimus ipsi, ut palmites viti, surculi arbori, membra corpori: non physico contactu & coalitu cum carne, mansu oris sumpta; quae prophanissima est, & stultissima atq. perniciosissima imaginatio: Sed virtute vivâ Spiritus in novis, vivis, sanctis, legi Dej congruis, Deo placentibus motibus internis, & externis actionibus, quibus novitas inchoata naturae & obedientia nova constat. Quod caena sacra hoc propter cibus est animae, virtute verbi quo est instituta, & Spiritus sancti per fidem, ad alimoniam, incrementum & profectus vitae sanctae spiritualis. Quod verba institutionis non accipi aut intelligi aliter debeant aut possint quam metonymica praedicatione, quae est signi de re significata: non ex connexu signi cum re signata, quaecunque ex ijs quae supra recitatae sunt: sed ex analogia certissima signi ad rem signatam in usu legitimo, & in homine legitime utente praesentem. Affirmo itaq. iterum vere & sancte coram Deo, filio Dej & Spiritu sancto; & Ecclesia sancta Angelica & humana. Quod totum hoc commentum Ecclesiae Romanae de praesentia corporis & sanguinis Christi in pane & vino, & cum pane & vino in sumente, ignotum primae & sincerae Ecclesiae ante tyrannidem Romani pontificis, mendacium est apertissimum, cum tota scriptura, & secum per omnia pugnans: & quod hoc mendacium Chimaerae tetrioribus blasphemijs & furoribus cumulat. Affirmo diserte, item in apologia euidentissime demonstratiuus: Primo, quod fundamentum ipsum, quo

unico

vnico nititur, tota alia scriptura aduersante: nempe, Verba institutionis intelligenda ac retinenda esse sicuti sonant, interpretatione hypotheseos suæ contraria penitus euertit & delet. Secundo, quod Christum authorem qui sibi nusquam dissidet, nulla in re contradicit, quod hunc ergo mendacij arguit. Tertio, quod perspicuis & inuictis Pauli testimonijs & Christi doctrinæ per omnia consentientibus, decernit ac statuit contrarium. Quarto, quod contra promissam, traditam in vtroque testamento illustribus & consentientibus testimonijs & visibili missione atque effusione Spiritus sancti confirmatam præsentiam & efficaciam Dei in ministerio Verbi & sacramentorum, nouam aliam Christi per carnem ex sese comminiscitur, blasphema in spiritum sanctum. Quinto, quod Antichristi extremi inter se dissimilia, & in alterutrum infesta inter se castra Nestorij & Eutychis, & vniuersim, ut Ioannes Euangelista & Apostolus loquitur, dissoluentium Christum, aut negantium in carne venisse conciliens & consolans inter se, Christum Mediatorem in vna persona, natura vtraque penitus destruit, diuinam naturam, ut supra dictum est, excludens, humanam demoliens, & Christum nudans atque expolians omnibus naturæ humanæ & corporis humani proprietatibus. Et tamen postulat firmiter credi hunc in corpore & carne sua pani adesse, a vescente comedi. Sexto, quod horribilem idolatriam in missa pontificia, qua sola stat regnum pontificium, in cultu, adoratione, circumgestatione panis consecrati, & multiplici eius abusu,

ac tolig

ac totius sacræ cenæ, cum in alijs, tum in perniciosissimo errore operis operati con-
firmat ac stabilit; Nec ullum usum habet alium quam quod idolatriæ huic patro-
cinatur, qua non fuit in Ecclesia à Christi seculo execrabilior: cum non iota unum
tota scriptura habeat de hac carnali præsentia, multo minus de modo præsentiæ,
de tempore ac duratione, de fine usus & fructus: quæ chimæra non inquirenda
esse contendit in verbo, sibi autem fingere illa sine verbo impune permittit.

Septimo, quod totum hoc commentum revera & in fundamento magicum est,
dissentiens in præcipuis articulis fidej à manifesta scriptura; imo abolens ar-
ticulos fidej, & simul pugnans aperte cum rerum natura, & affingens verbis
institutionis vim magicam, ac si pronunciatione verborum à sacerdote vel
raso vel uncto ritibus curiæ Romanæ, vel nostro more consecrato efficiatur,
ut doceo in Apologia evidentius.

Sexto, de regeneratione hominis & vera eius conversione ad Deum cre-
do & confiteor iuxta scripturæ totius perpetuum inter se consensum, cum sanctis
& electis omnium temporum, qui unquam vera & seria pœnitentiæ motus Christi
& vera conversione Deo sunt reconciliatj: Quod, ergo, nec Regeneratio
nec conversio in pœnitentia vera ad Deum (quæ duo actione interna &
effectu non differunt, sed modijs externis & horum ordinato ac destinato usu
discerni possunt: ideoque unum pro altero sæpe usurpatur) quod neutra ipsarum
fit physica actione, & bruta vivificatione hominis, sicut ranæ hyberno fri-
gore

gore enecta calore solis verno fota reviviscunt: Neutra afflatu aut raptu Enthusiastico, aut coactione Stoica. Quod innata carni lues & labes vitiosa peccati non his eluitur aut expurgatur: pravitas & ἀταξία corruptarum virium non emendatur aut restituitur: vulnera reliqua non sanantur aut redintegrantur, sicut medicamenta vitiosos humores educunt aut affectiones morbidas corrigunt, aut solidant saucia corporum, effectu & mutatione physica & bruta, qualem ex his monstrose confictis Chymera comminiscitur cum sentiri quidem fieri, qualis in brutis est omnibus, sed sine motu, sine actione omni, homini ut creaturæ rationali propria & tanquam in subiecto patiente. Quod insita carni radix peccati his non extirpatur excultu aut eradicatu physico: sed quod regeneratione quæ fit per lavacrum baptismi, infantes dum merguntur in aquam aut perfunduntur, virtute Spiritus sancti suo modo corda tenella cientis, filij Dei Domini nostri Iesu Christi intercessione abluuntur à peccatis, absoluuntur à culpa & reatu, recipiuntur in gratiam, donantur remissione peccatorum & iustitia imputata filij Dei & Spiritu sancto, ad novam vitam, lucem, iustitiam æternam: inseruntur Christo & efficiuntur viva & socia membra corporis Ecclesiæ, & templa atque organa Spiritus sancti, applicantis omnia hæc beneficia & novam vitam inchoantis secundum verbum & promissionem, peccatum tollitur non ut non sit, sed ut non imputetur, ut non condemnet. Quod

Baptismus

Baptismus per omnem vitam deinceps baptisatis in Ecclesia obsignatio est seu si-
gillum promissionis gratiae, receptionis in gratiam, insertionis in Ecclesiam, & doni
Spiritus sancti. Quod cum in renatis infantibus, ubi adolescunt, & adul-
tis renatis deinceps, per omnem vitam radix peccati repullulans ac regerminans
commoveat ac exerat se per pravos motus atq. affectus internos, & vitiosas ac-
tiones externas, offendentes deum & promerentes iram Dei & damnationem aeter-
nam: tradita et ordinata est lapsis verbo Dei una medicina conversionis verae
ad deum, in nova, seria & salutari poenitentia, qua Spiritu sancto arguente
peccata conscientiae perterrefactae agnitione peccatorum & sensu irae Dei in
terroribus & pavoribus mortis & inferni anguntur metu judicij divini &
poenarum aeternarum, unde exordium est poenitentiae & contritio vocatur: Sed
voce & promissione Evangelij erectae rursus doloribus & terroribus aeternis
eriguntur ac vivificantur per accensam promissione Evangelij & virtute Spi-
ritus sancti fidem, qua conscientiae, apprehensa misericordia Dei in Christo
Mediatore, eluctantur, hac certa fiducia acquiescente in Dei misericordia, quod
per & propter Mediatorem certo consequantur remissionem peccatorum, repu-
tentur iusti, reconcilientur Deo patri, acceptentur in gratiam, Christum
induant comprehensum & inclusum fide cordibus, donentur Spiritu sancto ad
vitam, lucem & iustitiam novam, & hereditate aeterna. Quia
haec est altera pars poenitentiae quae & iustitia fidei & iustificatio vo-

catur

catur, vel ex correlativo, fides quae apprehenditur & applicatur. Quod iustitia fidei non est qualitas aut habitus, aut virtus infusa nobis ut vacuis urceolis: nec Enthusiasticus afflatus aut raptus cum sensu sine motu, nec opus & meritum nostrum: sed imputatio gratuita iustitiae & meriti, seu totius obedientiae Filij, quam sibi fide quisq. sua accomodat et propriam facit. Quod fides simul est medium quo iustificamur: quia in promissione Christum amplectitur cum omnibus meritis: Et principium est cum vivificationis in poenitentia, afferens et excitans consolationem, vitam, & laetitiam acquiescentem in misericordia Dei, fitq. ea mediatoris, tum renovationis seu totius sequentis novitatis, accipiens Spiritum S. quo clamamus Abba pater: cuius virtute, ductu & gubernatione viva atq. efficaci ad normam praescripti verbi per fidem verbo Domini intuentem novitas regenita interior efficitur, quae tanq. fons & causa est, a qua exterior ut effectus cietur ac dirigitur. Quod renovatio vivifica fit cum destructione non substantiae, non virium in homine, sed peccati quod non est substantia ipsa & vires eius, ut fanaticus Spiritus Flacij Illyrici docuit sed corruptio, labes & pravitas per lapsum a diabolo inflicta operi divino. Quod fit ergo cum huius destructione & correctione, & virium instauratione per novam virtutem: sed in conatu assiduo, inter gravissima certamina, per virtutem Spiritus, cum vitiosa carne: cuius

virtute

Virtute Spiritus nova, labes insita & pravitas retunditur atq. enecatur: non momentanea physica mutatione, sed assiduo & perpetuo certamine ac renixu, quibus intermissis aut interruptis, quacunq. de causa, fiunt recidiua priores radice, ut Christus docet. Quod haec est tertia pars Verae poenitentiae & Conversionis ad Deum, imbecillis quidem, & à perfectione legis procul distans: placens Deo tamen, quia persona placet fide, per & propter Mediatorem. Quod in omnibus his tribus partibus Poenitentiae seu Conversio ad Deum, si vera est & non simulata, & fit in serijs & atrocibus doloribus vulnerata & consternata conscientiae, & in fide non ficta aut hypocritica, nihiliq fit in homine otioso & nihil agente, sed fit conatu serio & gravissimo, quem sentimus in omnibus partibus poenitentiae pij experiuntur, & inter luctas ac certamina, quae sunt homini summa & perpetua cum carne sua, Diabolo, morte, inferno, & mundo: non sua tamen, sed Spiritus sancti virtute, ut mox dicetur. Quod si poenitentia statuatur genus, Conversio Species. Commode etiam illa in duas partes dividitur, in contritionem & conversionem. Haec rursus in iustificationem qua fit reconciliatio, & in renovationem qua praestatur nova obedientia interior & exterior à reconciliatis. Sed res eodem redit. Quod sicut regeneratione, sic poenitentia & conversione, non afflatu enthusiastico fit inchoatio vivificationis, nec actu aut physico, aut bruto, aut utroq: Neq. exteritur aut deletur insita labes & pravitas physico eradicatu, aut

simul

immutatione & conversione physica vel enthusiastica, vel utraq. carnis vitio-
sa: ac multo minus magica carnis & sanguinis Christi praesentis effecti-
one aut virtute Spiritus sancti per haec, bruta vel physica: Sed fide expur-
gantur corda, inquit scriptura, & sanguine Christi emundantur conscientiae:
Et mundi efficimur ab iniquitatibus, id est, liberamur a culpa, qua summus
rei irae Dei & damnationis aeternae: & datur Spiritus sanctus, cuius virtu-
te inde usq. a primo momento regenerationis & conversionis Spiritus
mentis nostrae & novus atq. interior homo dimicat adversus carnem, bello
perpetuo quod ἀσπονδον est, reprimens, retundens ac coercens, destruens
mortificans, ut scriptura loquitur, in nova vita & virtute, & novis ac vivis
motibus & actionibus veterem & exteriorem hominem inter victas perpe-
tuas. Hoc modo mortificatur corrupta caro, ne per peccatum reg-
net ac dominetur nobis: Nec introducitur aliqua, effectio, & immutatio-
ne physica & bruta novitas seu nova cratis seu temperies physica car-
ni nostrae, ut Chimaera delirans somniat. Quod tota Scrip-
tura clamat uno ore fide iustificante expurgari corda & conscientias a
culpa & reatu per reconciliationem cum Deo, fiducia Mediatoris, & remissio-
nem peccatorum: Reconciliationem vero fieri secundum imaginem Dei, ad
quam homo conditus est, Spiritu mentis praecipue: Radicem vero peccati
in carne semper repullulantem enecari, reprimi, coerceri Spiritu & fide,

in

in lucta perpetua, ne exerat se, ne crescat, ne confirmetur, ne vincat, ne regnet ac dominetur. Rursus itaq. affirmo verè & sanctè, coram Deo Patre, Filio, & Spiritui sancto, & coram Ecclesia Angelica & humana, Quod Chimaera regeneratione ac conversione sua commentitia, fanatica, ac in Spiritum sanctum blasphema, quae ex Enthusiastica & physica conflata est (addo vere etiam magica: quia se propriis considerata respsa affingit & tribuit verbo & sacramentis vim magicam. Et talis est tota imaginatio de opere operato maximae multitudini infixa) Quod ergo veram & salutarem regenerationem & conversionem, qua Deo reconciliati & renati ad vitam novam, aeternam, sanctam, spiritualem, conformem voluntati divinae secundum legis normam, in motibus & actionibus viris & sanctis ei servimus, in spe certissima hereditatis aeternae caelestis penitus aboleat & deleat, sicut docetur in Apologia, cum omni consolatione, qua salus anxiae ac desperabundae conscientiae consistit.

Septimò, De viribus humanis in renascentibus & renatis, dum fit conversio & deinceps, uno eodemq. modo inde usq. à principio conversionis per totum cursum in carne vitae novae sanctae & spiritualis: credo & confiteor cum doctrina totius scripturae luce meridiana clariore: Quod gratuiti beneficij ac meriti Christi salvatoris applicatio, & naturae mortuae vivificatio in regeneratione & conversione vera ad Deum non fit actione physica & bruta, aut raptu Enthusiastico, aut Stoica coactione, aut magico

afflatu

afflati, per media verbi sonantis & Sacramentorum nouis indita viribus:
Nec mutatione physica aut magica, hyperphysica substantiae, temperamenti,
& virium seu facultatum hominis, sentientis quidem, sed nec mouentis se
nec quicquam agentis, sed sustinentis tantum impressionem ut subriculum pa-
tiens, sicut ranae reuiuiscunt a tepore solis, aut corpora nostra afficiun-
tur ab alimentis medicamentis: Nec fit cum destructione substantiae &
virium, quae a Deo conditae & homini in creatione inditae sunt opifici-
um Dei, & peccatum per se non sunt, sed peccato sunt infectae, corruptae
& saniae: Nec habet se homo pure passiue, nec ut subriculum patiens ob-
ossum, nihil agens, quod afficitur tantum & mutatur. Quod ho-
mo non conuertitur ut brutum, mentis rationis & voluntatis expers, cum
sensu, sine motu: Quod hoc propter vires humanae ut tertia causa a
conuersione hominis excludi non debent. Quod de tali conuersi-
one in hunc sensum in tota scriptura nullum verbum & nulla species his
contrarium extet: sed quod vno & perpetuo consensu scriptura totum opus re-
generationis & conuersionis ad Deum per veram poenitentiam, donum est
gratuitum misericordiae & gratiae Dei patris: Meritum filij intercessoris
& Redemtoris qui factus victima in carne nostra soluit λυτρον pro
nobis: & opus spiritus sancti ut proximi & immediati opificis efficacis
in cordibus nostris, & applicantis vina virtute atq. efficacione conscientiae

oppressae

oppressa terroribus atrocibus & ingentibus doloribus mortis & inferri ex aspectu suorum peccatorum & sensu horrenda irae Dej, merita & beneficia filij per fidem verbo & promissione acceptam, quâ convertuntur corda ad Deum à peccato, Diabolo, morte, & inferno: primum, fiducia misericordiae promissae per & propter filium Mediatorem & meritorum ipsius: quâ fit reconciliatio cum Deo & iustificatio coram Deo, remissione peccatorum, & imputatione iustitiae Christi, acceptatione ad vitam & haereditatem aeternam, ac donatione spiritus sancti; & haec sola per & propter filium persona placet Deo & est accepta, etsi multiplici adhuc immunditie polluta & infirmitate. Deinde per novam obedientiam, ut fructum fidei & spiritus sancti in tota novitate interna hominis interioris, qui renovatur ad imaginem Creatoris in agnitione Dei vera, in iustitia & sanctitate vera, in motibus internis, viuis, sanctis, Deo placentibus: & in actionibus externis vitae novae spiritualis, propter quam effunditur in corda nostra spiritus sanctus, ut saepe dictum est: quae novitas etsi imperfecta est, tamen placet Deo in persona accepta ac placente propter Mediatorem.

Quod longe aliud est, totum beneficium & opus regenerationis & conversionis esse donum gratuitum misericordiae Dej: &, hominem se habere pure passive, ut subiectum convertibile, otiosum tamen, patiens, nihil agens.

Quod Deus offert & exhibet beneficia sua, cum facultate applicandi, per spiritum sanctum.

Quod

multi qui

nentiq; fit applicatio hominis ut subiecto pure passiuo, aut bruto, sentienti sed nihil agenti, impressione physica vel Enthusiastica, aut coactione Stoica, in nulla parte pœnitentiæ, nullo tempore, aut momento, ut Chimæra somniat. Quod applicatio sit voluntaria, ex parte spiritus sancti: a liberrima actione & efficatione spiritus sancti fiat, cum mensura lucis nouæ & fidei, quantam Christus distribuit in auditu verbi & vsu Sacramentorum instituto & mandato, cum sua meditatione: Et quod fiunt hæc cum renouatione virium hoc ordine quo conditæ sunt ut in natura rationali. Initium est in mente & voluntate, a luce noua, & agnitione Dei noua & fide. Quod lux noua & fides sunt principium iustificationis & renouationis simul: Iustificationis, quia luce noua fides accenditur, qua Misericordia in Mediatore Christo apprehenditur. Renouationis, quia fide simul fit viuificatio in contulatione vina, & inchoatio nouitatis internæ. Quod hæc propterea etsi re ipsa discrepent, ut supra dictum est: momentis tamen temporum discerni non possunt: Sed rerum ipsarum discrimen retineri exactum oportet, Nimirum, quod etsi totum opus est beneficium & donum gratuitum: aliud tamen est, quo Deo reconciliamur, placemus, acceptamur, pronunciamur iusti coram eo, nempe meritum filij, aliud est opus quod virtute & efficacia Spiritus sancti edimus, siue fidei sit opus, siue quodcunq. aliud inchoatæ noui

tatis

tatis. Antecedit fides, quae iustificat ut medium quo fit apprehensio meritorum Christi: & in hac ipsa apprehensione ac fiducia misericordiae divinae fit vivifi-catio, efficax consolatione ad novam vitam & laetitiam in novis malibus. Quod in omnibus partibus poenitentiae uno & perpetuo consensu in tota scriptura cla-rissimis testimoniis praecipitur attentius & conatus hominis flagitatur: Cumque praecipua inter facultates humanas sit voluntas: ad hanc perpetuo concio poe-nitentiae dirigitur; Ne recuset audire, erudiri, cognoscere, intelligere, agere poenitentiam, credere Evangelio &c. Ne refragetur, aut resistat Spiritui sancto, ne aversetur verbum. Non quod haec nostrarum sint virium, aut emen-dare vitae pravitatem sit in potestate nostra: Sed quia nostrarum virium & nostrae malitiae est oblata beneficia, & cum isto verbo ac Spiritus Sancti auxilio facultates vivas acceptandi excludere, repellere, non admittere. Sonat hoc verbum, & voce aut Sacramentis offert, exhibet, applicat, virtute & efficacia viva Spiritus penetrante & rimante ima cordis, spiritus, & viscerum, quam quisque audit, discit, cognoscit, amplectitur, credit, proficit fide & vita spirituali. Deus offert & exhibet sua beneficia cum facultate accipiendi per Spiritum Sanctum, sed ei qui non repellit, non negligit, non excutit. Cui aversatur & repugnat, sua & sibi innata pravitate, Diaboli impulsu, aut aliarum causarum, ut malorum homi-num, repugnat, & sua se culpa in exitium praecipitat. Deus enim,

ut

ut dictum est, beneficia sua exhibet, communicat, & applicat, cum virtute & auxilio divo Spiritus sancti, ut hoc quisq. & agnoscat, & agnitum fide amplecti, & accomodare sibi possit, si non abigat, excludat, negligat, furenter excutiat, vel ab initio, vel denique, peccatis & lapsibus negligentiae aut contumaciae, contra conscientiam. Utrumq. est a Deo: beneficium & auxilium: facultas repellendi est a nobis. Quod mox ab initio conversionis cum ipsa nova luce & agnitione atq. intellectu verbi cientur ingentia certamina inter Spiritum sanctum & caliginem, tenebras, dubium aut refragium assensum mentis: & sic inter eundem & reliquas omnes vires pravas, ut voluntatis contumaciam, fugam & odium Dei, fremitum adversus Deum, dubitationis, desperationem, indignationem in sensu irae Dei, dolorum mortis & inferni: quae in omnibus poenitentibus vehementissima sunt, & per omnem vitam durant, quamquam in alijs magis in alijs minus acria. Quod haec luctis serijs cum carne, mundo, Diabolo transigantur. Quod perpetua est inimicitia & antipathia inter Spiritum & carnem, in hoc corrupto statu naturae nostrae, & quod ea nunquam otiosa est, sed mox a principio regenerationis & conversionis caro insurgit, & luctatur adversus Spiritum. In ea lucta si vincat semetipsam virtute Spiritus, evadit & vincit: Sin expellat sua pravitate Spiritum, succumbit & interit. Quod

igr

igitur vires humanæ neutiquam sunt otiosæ & nihil agentes, & ut subiectum patiens, Sed quod singulæ suo loco & ordine, præcipue autem rationales, mens & voluntas (quas Paulus vocat spiritum mentis, & interiorem hominem) cieantur à Spiritu Sancto nova virtute. Inde nascitur & existit certamen serium & gravissimum, in quo, ut dixi, victoria spiritus adfert vitam æternam: pertinax renixus innatæ malitiæ, & Diaboli impulsus adversus spiritum sanctum aut desperatio auxilium & initia fidei abijciens, aut securitas, hypocrisis & curis alienis, negligentia aut lapsus contra conscientiam, initio vel deinceps ruinam & interitum. Quod ergo viribus humanis hoc discrimine in modo agendi incitatis, à duobus diversis principijs inter luctas & certamina, tota scriptura uno consensu suum locum inter causas conversionis clarissimis testimonijs tribuit. Quod concurrant hæ duæ causæ semper, Spiritus Sanctus & vires humanæ à Spiritu vivâ virtute motæ, qualibet agente suo loco & ordine quod suum est: solis viribus humanis distincto principio gemino, quod inter veram & non veram pœnitentiam, qualiscunque illa sit gradu, seu hypocritica seu desperans, discernit, ut doceto in Apologia. Non enim, ut iterum repetam, fiunt hæc mutatione physica, aut raptu Enthusiastico, aut Stoica coactione, Sed tota scriptura hoc semper tribuit homini, quod virtute verbi & Spiritus sancti accipiat oblata: sua malitia aversetur & repudiat. Affirmo

mo veri & sancti, coram Deo patre, filio, & Spiritu sancto: & Ecclesia Angelica & humana, quod Chimaera dum hominem converti somniat ut subiectum patiens, otiosum, nihil agens in ista conversione, expers non sensus quidem, sed motus & actionis, ut enecta frigore rana, ut brutum, virtute & efficacia Spiritus & verbi, ex physica, Enthusiastica & magica confusa: mutatione vero etiam Carnis nostrae physica, bruta & magica: Et dum postulat tamen audiri verbum. Quod ergo illudat Deo, rideat Spiritum sanctum, seipsam vero ad eum modum implicet, pugnans ubique secum & cum scriptura perspicua, ut non modo doctrinam evidentissimam de poenitentia vera primum ex scriptura repurgatam in his Ecclesijs penitus evertat ac destruat: sed ut dubitem utrum ullus ex fabris & architectis illius motus vera poenitentia unquam sit expertus.

Octavo: de praevisione et praedestinatione aeterna, credo et confiteor insistens evidentibus documentis & perspicuis atque immotis interque ac ubique consentientibus Scripturae testimonijs, Quod Chimaera statum controversiae in hoc articulo aut non consideravit, aut non intellexerit: quia non expressit quod in hoc articulo praecipue quaeritur: scilicet. Utrum, ut Causa Electionis est sola misericordia Dei, miserentis totius generis humani propter filium, & volentis omnes homines salvos fieri agentes poenitentiam & credentes in filium, secundum universale mandatum & promissum: Sic reiectionis causa est

peccatum

peccatum, nimirum, perseverantia in peccatis, sine vera & seria pœnitentia, & maxime peccatum incredulitatis in filium. An vero causa sit utriusque liberrima Dei voluntas, qua Deus ex misericordia ante creationem rerum, arcana deliberatione cum filio & spiritu sancto elegit ex genere humano quos voluit: Reiecit quos voluit, præuisos & prædestinatos, & non credentes in filium, priusque quis boni aut mali quid fecit, quia nemini quicquam debeat. Quod prædestinatio absoluta, & sine determinatione, non sit tantum Electorum, ut definitur à Chimæra. Quod fontes Consolationum, quas se monstrasse gloriatur Chimæra, cum fontibus veræ Conversionis ab ipsa inquinatis & corruptis veritatisque contrariant. Sed quod in statu controversiæ, etsi inter utramque quæstionem videtur esse discrepantia, si tamen utraque ad patefacta verbo Celestium & Examinetur, ad quæ alligata est fides nostra, reipsa nulla est. Quod etsi minime dubium est certum esse numerum salvandorum, secundum Electionem deliberatam & decretam in illo primo æterno & summo Senatu Calesti, arcano Consilio totius trinitatis, ante jacta fundamenta mundi: nec tamen de illo mysterio absondito nobis, scrutari plura vel alia non debemus quam patefacta sunt. Quod præuisa omnia Deus prædestinet, sed non eo modo, nec ad finem eundem omnia. Quod aliter Electos ad vitam æternam: aliter reprobos ad supplicium æternum prædestinet. Quod causas à priori Electionis & reiectionis alias quærere non debemus,

Elec

præter patefactas in Verbo: nec alias quam iustificationis & Condemnationis.
Quod tota scriptura causam Electionis & iustificationis conferens in solam Dei
misericordiam per & propter filium promissam excludat utiq. dignitatem,
merita, & opera nostra: Reiectionis & Condemnationis causam tribuit iusti-
tiæ & iusto iudicio Dei propter peccata nostra, nusquam excludens hæc à causa
reiectionis & Condemnationis æterna. Quod de finaliter Electis aut
reprobis non aliter pronunciet quam à posteriori: perseverantes usq. ad finem fi-
ni salvos: & in Domino morientes bene mori: perseverantes & morientes in
peccatis perire in æternum. Quod causas apparentis nobis
inæqualitatis in discrimine Electorum & reproborum, Vocatorum & non voca-
torum singulariter: Audientium atq. accipientium, & recusantium ac repu-
diantium: Perseverantium item ex numero illorum qui accipiunt &
non perseverantium: Denique redeuntium ex his per veram pœnitentiam
ad Deum, & non redeuntium, sed contabescentium in peccatis suis: Et
præter hæc in vocationibus, promissionibus, beneficijs, donis, prærogativis sin-
gularibus quæ à promissione universali gratiæ & misericordiæ, ac com-
muni omnibus salvandis beneficio & dono vitæ & hæreditatis æternæ sem-
per oportet discerni: Quod de his ergo causas etiam alias quam per patefactas
in Verbo, sive sint universales pertinentes ad omnes aut multos: sive sin-
gulares sint de certa specie aut individuis editæ, investigari à priori,

in

in abdito et secreto consilio divinitatis non debemus: sed quod satis est nobis
nosse, quia de se sciri etiam hac in parte Deus voluit, ut perpetuo celebretur eius laus
veritatis, justitiae, aequalitatis, misericordiae in omnibus & per omnia. Quod
ergo in his consistere & acquiescere utilissimum sit, & effectu ipso saluberrimum;
quia Scriptura de Deo uno ubique & evidentissimo consensu affirmat, Quod sit
immediata causa efficax & perpetua boni. Quod non sit causa per se efficax
peccati: nec velit per se, nec approbet peccatum ortum a voluntate Diaboli &
hominum, qui liberi a Deo se averterunt. Quod non simulate sed immuta-
biliter oderit, execretur, ulciscatur, puniat, & deleat praesentibus & aeternis poenis
peccato obnoxios, nisi agant poenitentiam. Quod non parcat, ne sanctis qui-
dem & Electis. Quod ne filio quidem unigenito pepercerit, nisi intercedenti
pro genere humano, & offerenti se victimam pro peccatis totius generis humani.
Quod sit immutabiliter bonus, verax, justus, aequalis, misericors: nec ma-
gis peccatum velit, faciat aut approbet quam mortalium, etsi propter nominis sui
gloriam fieri permittit & tolerat, consiliis sibi notis, quousque toleraturus sit.
Quod etsi immutabiliter justus & misericors est, ex mirabili illo tempera-
mento tamen justitiae & misericordiae per & propter filium Mediatorem,
nec legem justitiae violet, nec cursum misericordiae impediat, etsi causas
vel severioris vel diuturnioris justitiae, vel indulgentioris aut exube-
rantioris gratiae, nisi patefactae sint non conspicimus, aut intelligimus,

nec

nec scrutari debemus: hoc contenti, quod verax & justus est Deus & misericors, & juste faciat omnia, etiam cum temperamento misericordiae. His addantur deinde, quae Filij Dei, Domini nostri Iesu Christi merita, honorem & gloriam vindicant, illustrant, nobis commendant & inculcant. Tertio, quae consolationem afferunt, & conscientias implicatas angoribus & terroribus oppressas erigunt: cum dubitatione titubantes inde expediunt: in desperationem & exitium aeternum ruentes revocant: & laqueis mortis aeternae ac cruciatibus inferni eripiunt. Quarto: quae denique efferis, ut Cyclopibus effrenem audaciam & contemptum Dei, verbi, ac minarum coelestium retundunt ac frangunt. Hypocritis vero blandam securitatem excutiunt. Quod ad consolandum efficacius nihil sit quam conscientias anxias in sensu irae Dei & dolorum mortis atque inferni, si angantur ac dubitent de particularitate electionis, deducere primo ad decretum universale, promulgatum expresso verbo de Ecclesia colligenda ex omnibus gentibus per totum orbem terrarum: ad mandatum universale de praedicanda poenitentia omnibus & annuncianda remissione peccatorum omnibus agentibus poenitentiam & credentibus in filium: ad promissionem universalem gratiae & misericordiae Dei per & propter filium, complectentem omnes agentes poenitentiam & confugientes ad thronum gratiae Dei, fiducia Mediatoris, a qua ne Ethnici quidem unquam exclusi fuerint, quondam Ecclesia alligata ad popu-

lum

lum, sedem et hierarchiam certam, ac certum ordinem externorum rituum: etsi
advenae fuerunt & hospites, & legibus rituum non fuerunt necessario devincti.
Quod semper lucere lucem & sonare vocem verbi sui Deus voluit tali loco, ut
conspici & exaudiri a toto genere humano posset. Quod haec universalis
promissio sit propria vox Evangelij, discernens hoc ab insita nobis natura
imaginatione legali, & eidem fortiter opponenda; Deum certos quosdam dele-
gisse quos voluerit ex omni numero, & quibus se ac sua bona commu-
nicet, quia nihil debeat nobis. Quod hoc statu generis nostri post
creationem & lapsum nihil debeat nobis nisi iram & poenas aeternas, qua
omnes nascimur & sumus natura filij irae, sed ex promissi promulgati
obligatione, quo se nobis ex gratia & misericordia obstrinxit, debet no-
bis misericordiam gratuitam, quam omnes credentes ut debitum promis-
si flagitare possunt ac debent. Quod in promissionem quisque
qui salvari vult, includere se propria fide debet: Nec debet quaerere a
priori, utrum sit electus? nec alias causas quam verbo editas. Denique quod
particularitas sigillatim vocatorum nihil magis deroget universalitati pro-
missionis, quo minus pertineat ad omnem hominem quam paucitas electorum
& eorum qui salvantur raritas in coetu vocatorum derogat eidem quo mi-
nus sit universalis & pertineat ad omnes vocatos, cum ex his alij non
amplectantur, alij amplexi non retineant: non retinentium alij redeant, alij

non

non redeant. Deinde toto deducuntur ad exordia & primitias gratiae & misericordiae Dei, & doni gratuiti, ac testimonia virtutis vivae Spiritus sancti, quae in se quisq. experitur ex lucis novae & fidei scintillulis quantumvis exiguis, quae nulli contingunt, nulli insunt, nisi ex dono misericordiae Dei, & virtute Spiritus sancti. Ne dubitet ergo se habere placatum ac propitium Deum, & esse se in numero Electorum, iuxta dicta Christi. Ne sponte se ipsum excludat a promissione & dono gratiae: ne spernat, negligat, desperatione abiiciat, obruat haec communicata sibi initia: nec expostulet cum Deo de causis inaequalitatis donorum: nec quaerat cur non idem sibi, maiorem & ardentiorem alteri fidem concesserit? sed suam sibi augeri petat. Si cruciatur ac displicet de sua indignitate, vel quia nihil bonorum operum, aut meritorum habeat, quod opponat iudicio Dei: vel ob multitudinem & atrocitatem suorum peccatorum, aut magnitudinem irae Dei: A falsa & hypocritica persuasione meriti abducuntur ad agnitionem sui ipsius, voce & sententia accusantis legis, secundum Evangelii & Christi declarationem, ac doceantur, quod nihil sint nisi massa peccatrix, miserrima, corruptissima, contaminatissima, fragillima, plena vulnerum, ulcerum, livorum, sordium, infirmitatum. Deinde deducantur & hi & reliqui mente ad infinitum meritorum Christi in verbo, & ad fiduciam promissae misericordiae propter merita Christi. Si gravantur & opprimi magnitudine irae Dei, aut

peccati

peccati mole: exaggeratur contra magnitudo gratiae & meritorum Christi dig-
nitas. Si querantur de infirmitate sua; se non posse credere, aut expectare
se afflatus & actus physicos, enthusiasticos, magicos; contra infirmitatem quidem
deducantur enim, ut superius, ad testimonia viva Spiritus sancti in cordibus, & pri-
mitias fidei ac novae & aeternae vitae, tum ad consolationes contra tentationes in-
firmitati propositas, ad mandata praecipientia implorationem auxilii, & petitionem
incrementorum fidei, ad promissiones auxilii, ad exempla. Contra pernicio-
sissimam persuasionem de subiecto otioso, nihil agente sed patiente tantum
in sensu immutationis suae sine motu: de actu efficaci verbi & Spiritus, &
mutatione nostri physica, enthusiastica & magica, deducantur ad sanctissi-
ma mandata verbi praecipientia auditum & cogitationem Evangelii, poenitentiam,
fidem, obedientiam erga haec praecepta & alia, & docentia diserte & perspi-
cue de verbi efficacia, & Spiritus sancti virtute, actione & efficatione liberri-
ma in iis qui audiunt & attendunt, nec repugnant hostiliter, furenter,
pertinaciter: ad promissiones quibus totum beneficium gratuitum offertur
& exhibetur virtute & efficacia viva Spiritus sancti per verbum. [Nos-
trarum enim virium non sunt haec, sed dona sunt misericordiae divinae, & ex
dono misericordiae opus Spiritus sancti.] denique ad comminationes atrocissi-
mas irae Dei & poenarum praesentium atque aeternarum adversus illos, qui
nolunt audire, cognoscere, attendere, credere, emendare vitam in melius: qui

desperatione

desperatione aut furioso & contumaci contemtu, verbo & spiritui sancto refragantium, aut cura rerum divinarum donum gratia negligunt & effundunt. Quod Cyclopibus indomitis, & Hypocritis securis, quorum semper in Ecclesia maximus numerus est, Arcis poenitentiae severissimus mandatis de ea divinis, & atrocissimis comminationibus irae Dei & poenarum utrarumque exaggerari debet, iuxta mandata, exempla, & minas vocis divinae. Affirmo vere & sancte coram Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto: & Ecclesia Angelica & humana, Quod Chimaera doctrina Osiandri Veritatem in hoc articulo & omnem consolationem, quam se monstraturam esse professus, penitus obruit & aufert implicatione contradictionis inexplicabili. dum promissionem gratiae quidem statuit esse Veritatem: hominem vero subiectum patiens, otiosum, nihil agens. Vivificationem autem hominis ad vitam novam spiritualem fingit esse mutationem carnis nostrae ex physica, enthusiastica, magica, monstrosa confusam: ut docebo singula perspicue in Apologia.

Nono: de quaestione, Utrum Evangelium sit simul praedicatio poenitentiae & remissionis peccatorum? an vero solius remissionis peccatorum? de hac ergo confiteor & credo ex doctrina Evangelij evidentissima, & testimonijs immotis: Primo, quod Chymaera statum controversiae non recte definit, qui non in hoc consistit: Utrum Evangelium sit praedicatio

poenitentiae

pœnitentia, quia arguit incredulitatem; sed quia sua quadam ratione & proprio munere, distincto à lege, pœnitentiam concionatur. Quod etsi præcipuum munus Evangelij est annunciare promissionem remissionis peccatorum, per & propter Mediatorem: tamen cum hæc nemini detur, nemini contingat, nisi in vera pœnitentia, quod simul arguat peccata, non generali significatu vocabulj & tota doctrina Ecclesiæ, nec abusu muneris alieni, ut somniat Chimæra: sed suo quodam proprio munere, hac in parte à lege differente: quam differentiam retineri & illustrari necesse est, si hæc duo doctrinarum genera, vere, recte & dextre discernere, & doctrinam pœnitentiæ incorruptam & salutarem conservare volumus. Consistit autem illa differentia in his præcipue: primo, quod Evangelium sit interpres legis, sic ut declaret, sanciat, & stabiliat legem, approbans ac ratum faciens immutabile decretum justitiæ Dei in lege expressum: Arguens, damnans & destruens irremissibiliter omnes non perfecte conformes non minus quam lex ipsa. Sed hoc discrimine, quod lex arguit tantum ac destruit immutabiliter & irremissibiliter, quia nemo legi satisfacit, nemo conformis est: Evangelium hoc approbans & evidentius voce Christi declarans ostendit omnibus pereundum fuisse in æternum, nisi filius Dei factus Mediator intervenisset & obtulisset se ad satisfaciendum justitiæ Dei in assumpta carne nostra. Quare asperitatem & rigorem legis mitigat ac temperat promissione misericordiæ gratuitæ, & meritis atque obedientia filij Mediatoris

teris omnibus agentibus poenitentiam, & ad gratiam filij Mediatoris confugien
tibus, docens legi satisfactum esse obedientia Mediatoris, & iustitiam eius credenti
bus fide in vera conversione imputans & applicans. Unde poenitentia legalis
quae ducebat ad mortem aeternam fit salutaris & vivifica, propria Euangelij,
eripiens ex morte, sicut ostendunt exempla poenitentiae utriusque inter se differen
tis exempla, in Davide & Saule: in Petro & Iuda. Secundo: quia lex
flagitat conditionem perfectae obedientiae, quae sit huic normae exactissime con
grua, ut meritum & causam iustificationis coram Deo. Euangelium cum haec
a nobis praestari minime possit, vocat ad poenitentiam in filio Dei Mediatore,
non legis, sed suo proprio munere: Nec ad legalem poenitentiam, quia lex ut
nos omnes quos accusat sine ullo auxilio damnat tantum ac perimit: sed ad
sibi propriam poenitentiam, cum promissione auxilij & salutis: Ac requirit
conditionem poenitentiae non ut meritum & causam, sed ut medium quo per
venitur ad salutem, & quo fit applicatio meritorum Christi ad iustitiam in
remissione peccatorum gratuita: quae fit sola fide, cum dono Spiritus sancti
ad vitam novam, in obedientia nova spirituali, quae ut saepe dictum est, in-
choatur cum novitate interna, in motibus internis & actionibus externis no-
vis & sanctis, per donum misericordiae patris in filio, virtute Spiritus sancti.
Praeterea arguit peccatum incredulitatis in filium, ut sua voce tantum pa-
tefactum, damnans irremissibiliter omnes non agentes poenitentiam, & non

credentes

credentes in filium, iuxta doctrinam Euangelij. Tertio quod lex semper & im-
mutabiliter quauis conditione, & quouis statu hominis conformitatem perfectae
obedientiae cum Deo exigit & postulat, & implacabiliter damnat omnes non con-
formes. Euangelium hoc ἀκριβοδίκαιον moderatur, & adhibet ἐπιείκειαν hanc,
miniorem, inchoatam in renatis obedientiam quae sit plena infirmitatum, &
procul absit a legis perfectione; placere Deo tamen, & coram Deo iustitiam esse
pronunciat, eo quod persona recepta prius in gratiam & iusta placet propter
filium Mediatorem. Et haec initia non habentes, nec praestantes conatum & studi-
um obediendi Deo in noua & spirituali vita arguit & condemnat in aeternum,
nisi fiat remissio, nec facit id voce & ministerio legis, sed proprio: Alioquin
enim lex sibi contradiceret. Ἀντιδοξίαν vero inter legem & Euangelium
soluit ac dirimit meritum ac iustitia filij Dei, qui legem impleuit, ac iusti-
tiam suam nobis condonat & imputat. Propter has causas ergo credo
et confiteor, quod Euangelium cum praedicatione remissionis peccatorum sit
etiam concio poenitentiae in filio Dei, suo quodam proprio munere a lege hac in
parte discrepante, quod ad verum discrimen utriusque inter se doctrinae perti-
net & considerari necesse est, ne confusiones tetrae introducantur & perni-
tiosae. Quod Chimaera cum hoc discrimen nunquam animaduerterit nec
explicauit: affirmo vere & sancte coram Deo patre, filio, & spiritu sancto,
quod inepta & furiosa, sed falsa conciliatione controuersiae in hoc articulo, &
iniusta ac impia reiectione huius particulae ex definitione, quod sit etiam

concio

predicatio poenitentiæ, penitus obruat & inuoluat magnam partem doctrinæ necessariæ de vero discrimine legis & Euangelij, & de vera ac salutari poenitentia: Et poenitentiam, quod clarissimum est, intelligit non de tota conuersione hominis ad Deum: sed de vna & sola contritione, parte prima quæ ex lege adducit ad desperationem sine Euangelio.

Lex contritionem vnam partem poenitentiæ docet: de fide iustificante gratis sine impletione legis & meritis nostris, & de noua obedientia imperfecta placente in renatis nihil docet: Sed hæc sunt propria Euangelij, quod tamen appellatione legis, & hinc ipsam vrget.

Poenitentiæ vocabulum Chimæra intelligit non de conuersione tota, sed de sola contritione.

Decimo, & Vndecimo, de duabus quæstionibus: Vtrum noua obedientia sit necessaria in renatis? Et Vtrum lex renatis sit norma obedientiæ nostræ quæ ab his Deo præstanda est? Credo & confiteor cum Scriptura, quæ clarior est sole hac in parte, Quod hæ controuersiæ motæ & tantis certaminibus agitatæ sint ab ingenijs ambitiosis, & scripturæ imperitis, ex erroribus hic peruersissimis, imaginationibus vanissimis, & persuasionibus perniciosissimis, de præsentia & actione Dei in ministerio verbi & sacramentorum, de conuersione hominis ad Deum, & de viribus humanis, quas paulo ante indicauimus. Nimirum, quod præsentia & efficacia diuinitatis in ministerio verbi & Sacramentorum sit ex physica, enthusiastica, &

magica

magica monstrosè conflata, et lege Stoicæ necessitatis per externa media sit effi-
cax: Quód Christus carne corporis sui præsens in pane & per panem in homine
efficax sit actu & effectu physico, bruto, aut magico, hyperphysico, aut utroque.
Quód eodem modo, virtute sancti spiritus, fiat conversio hominis ad Deum immu-
tatione massæ nostræ & virium nostrarum physica, bruta, per impressiones physi-
cas, raptus enthusiasticos, afflatus magicos, Stoicam coactionem, ad vitam hanc
animalem cum sensu physico & bruto præsentiæ & passus in carne, absque omni
tamen motu. Quód non considerant præsentiam, actionem & effec-
tionem totius Divinitatis liberrimam esse, & opus totius conversionis esse do-
num misericordiæ patris, & meritum filij Dei dispensantis & applicantis me-
rita sua voluntate, virtute liberrima, sed viva & efficaci spiritus sancti
per verbum & sacramenta, quibus, & quando vult: & ad vitam similem
spiritualem, cum actione interna, intelligente & efficaci; nova virtute spi-
ritus sancti: Et quod applicatio fit non homini ocioso, ut subiecto pati-
enti, & nihil agenti: Sed fit in omnibus partibus pœnitentiæ, in contritione,
fide, & nova obedientia, inter luctas & certamina gravissima: virtute
nova spiritus sancti, cum insita nobis & adversante pravitate, quæ, sicut
dictum est, cum ipso momento conversionis incipiunt, per omnem vitam
durant, in quibus vires a contrarijs duobus principijs incitatæ, aut virtu-
te spiritus sancti vincunt in serio & acri conatu, non in ocio & quiete
& vincunt: aut victæ sua malitia excusso spiritu sancto succumbunt
&

et moriuntur oppressæ æterna morte. Quod in omnibus partibus pœniten-
tiæ præcipitur & requiritur studium, attentus, conatus noster, ne adversemur,
ac vevitamur Verbo & Spiritui viua virtute cienti: Quod imaginantur
Conversionem esse infusionem aut impressionem novæ virtutis aut qualitatis,
quæ fit ut in vacuos urceolos: Nec discernunt inter Iustificationem & Iusti-
tiam, quæ non est opus, virtus, qualitas in nobis, sed remissio peccatorum, ut
dictum est, & reconciliatio cum Deo, & imputatio gratuita iustitiæ Mediatoris;
& inter Vivificationem renovationem ad novam obedientiam, quæ itidem non est
impressio physica, bruta, enthusiastica aut magica, alterius virtutis novæ, cum
veteris vitiosæ pravitatis immutatione facta, sed in viuis motibus & actionibus
Sanctis Spiritualibus consistit, & in certamine perpetuo cum carne, diabolo, morte,
inferno, & mundo. Quod imaginantur sic in Conversione & vivifi-
catione Spirituali, contactu physico attingi atque indui a carne nostra & virtutis
virtutem novam & facultatem, sicut ex igne admoto lignum flammam
concipit, qua flagrat, calfacit, urit. Inde inferunt obedientiam non esse
necessariam, nec opus esse coactione legis, quia sit spontanea, & impetu
motuque naturali, bruto ac spontaneo impressæ novæ virtutis edatur ac peraga-
tur, sicut sol sua natura sponte lucet: Quod ergo utrumque hoc certamen
non aliunde extiterit quam ex his falsis imaginationibus, contra perspi-
cuum & expressum verbum. Quod fontibus veritatis ex

doctrina

doctrina sacra, quos ostendimus, prolatis istae Varissimae persuasiones sponte sua cessent & evanescant, quia magno perpetuoq. conatu opus sit, & quod talis praecipiatur, & à nobis exigatur, & tamen ex nobis non est, sed a Viua Virtute Spiritus per Verbum: ne nostra sponte à nobis arceamus, aut quoquo modo excludamus. Id enim in nobis est, & in nostra potestate, ut docet Scriptura, doctrina, praeceptis & exemplis. Virtute enim Spiritus sancti sola agit qui bene & recte agit: Qui male agit sua malitia resistit Spiritui sancto.

Affirmo iterum vere & sancte coram Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto; & Ecclesia Angelica & humana, quod Chimaera falso dissidia in his duabus Controversijs ad eum modum conciliet, ut novos porta negantis obedientiam novam necessariam, & legem normam huius esse renatis, in fundamento magis confirment quam ipsi Autores, per hoc quod hominem fingit esse truncum patiens, otiosum, nihil agens, tantum particeps in divinis, & motus expers: Idq. cum velit de principio & motibus primis conversionis intelligi, qua fit illa passiva, bruta, & physica cordis immutatio ac Vivificatio, distinguens Justificationis, quae est reconciliatio cum Deo, & Vivificationis momenta & tempora: Vita autem pij hominis sit in hac infirmitate, continua perpetua poenitentia & conversio ad Deum, gradibus tantum, secundum gradus & discrimina lapsuum & peccatorum differens, sicut quotidie oramus, Remitte nobis debita nostra: Quid erit igitur homo nisi truncum brutum & pati-

ens

eius perpetuo? Quid sunt praecepta, promissiones, comminationes? Sic implicatione contradictionis manifesta sese iterum penitus & decreta sua demolitur. Imo qualem desiriat Divinitatis praesentiam & alterum per Spiritum Sanctum in ministerio Verbi & Sacramentorum? qualem horum vim & efficaciam? Quomodo iudicet fieri conversionem & vivificationem hominis, satis ostendit, dum occupatur tam laboriose in diluenda & mitiganda actione legis & Spiritus: ut docuit in Apologia.

Duodecimo, de turbis ac tumultibus Flacianis seu Adiaphoristicis, quibus mendax impostor Flacius Illyricus prima fax dissidiorum a reverendi Domini Doctoris Lutheri morte commovit & distraxit quietas & concordes Ecclesias Germaniae, ad ciendas a bello Germanico seditiones: Confiteor, & ut conscius harum rerum qui multis interfui, affirmo, Quod Artifices chimaerae seculi illum ipsum autorem mendaciorum & calumniarum, quibus hae turbae excitatae sunt, falsum committunt, & iniuria notoria ac contumelia atroci afficiunt Ecclesias harum terrarum & innocentes earum Doctores ac pastores in hoc, quod accusant eos in statu controversiae de rebus adiaphoris, tanquam hos in gratiam hostium Christi & veritatis restituerint & approbarint tempore persecutionis, quo fuerit edita Confessio. Quod falso, cum Flacio Architecto, collocat statum controversiae in hac

quaestione

quaestione: Utrum tempore Confessionis & persecutionis liceat ritus externos humana autoritate institutos, per se non impios sed adiaphoros, ante tamen aut desuetudine collapsos, aut priuato consilio Ecclesiae intermissos, in gratiam hostium Euangelicae Veritatis et imperantium & flagitantium, Concordiae causa, restituere? Nemo enim unquam in his terris hoc quaesiuit: Nemo fecit: Nemo disputauit: Nemo hunc statum controuersiae agnouit, de quo ut manifesto per se, quaeri nihil opus est. Sed quaestiones sunt omnes uno ore, calumnia iniusta ac commenticia, & iniuria atrox has Ecclesias pergrauari: quod demonstratum est publicis scriptis, quorum scriptores fuerunt seu aut consilii Apostatae a veritate inter Adiaphoristas aliqui praecipui. Quod Imperator Carolus Quintus victor Sphyngem Augustanam Cathedram titulo & nomine Interim proposuerit ordinibus Imperij, tanquam formulam positiuam Concordiae publicae conciliandae ac retinendae usque ad Synodum: non sine, multo minus mandato aut consilio Pontificis Romani, aut Pontificiorum qui serio aduersati sunt sed per cuniculos, ut dicebatur, a nonnullis qui Confessioni Augustanae voluerunt videri addicti. Quod idem Imperator expresso promisso se obligauit principibus & ordinibus harum terrarum, se in religione & Ecclesijs nihil mutaturum nisi per legitimam & liberrimam Synodum. Quod cum urgenti Imperatori Sphyngem Augustanam, obligationem hanc opponerent, respon-

deret

derit; Extitisse eam ab addictis Confessioni Augustanae, tamen ab illa non discrepantem. Quod non acquiescente Imperatore Principes & Ordines harum regionum, re deliberata, inter se decreverint exquirere, Utrum aliqua conditione placare illum, & divertere a se Sphyngem possint? Ac quaesiverint a Theologis: Utrum cedere in rebus medijs pertinentibus ad ordinem externorum rituum Imperatori possint, ut retineant puritatem doctrinae & Sacramentorum, a qua constitutum sit ipsis non discedere? Quod ordines responderint, Non satisfacturum hoc Imperatori. Quod ordines adiecerint, Sive satisfaciant, sive non: oportere se tamen ostendere Imperatori discrimen in rebus necessarijs inter Confessionem & Sphyngem Augustanam, in doctrina vera & Sacramentis, & constare conscientijs suis, si pericula sint adeunda, ut sciant illa subire ac pati propter res necessarias, quas abijcere sine impietate & jactura salutis aeternae nequeant. Quod admiserint Theologi, sed ea lege & conditione, ut cum ediderint jam multo ante suum de Sphynge Augustana judicium, libera ipsis facultas contradicendi semper de impijs dogmatibus & res necessarias explicandi, suo ipsorum periculo concedatur. Haec summa fuerint capita deliberationum, quae cum Theologis habita sunt. Status ergo controversiae in hoc conflictu, Utrum licuerit Ecclesijs harum

regionum Imperatori, qui huius prosapiae principibus nec ante nec post bellum hostis fuerat, ac diserto promisso caverat Ecclesijs, se nihil in eis mutaturum, nisi legittima & liberrima synodo, cui sit ipse assistturus, quaerendi tamen pacem & concordiam publicam, bello pacato ac proponendi formulam concordiae in religione, ac pacis vinculum, non ex se, nec statu hostium veritatis qui dissentiebant, sed volentium studijs addicti veritati & Confessioni Augustanae, rem semel ceptam urgentj: Utrum ergo licuerit respublicis impijs offerre se ad cedendum in non impijs & medijs rebus, concordiae causa, ut integritatem & puritatem doctrinae & in ritibus divinae institutis mandato conservent? Aut siue obtineant hoc siue non, ut consulant conscientijs suis coram Deo, & liberent se culpa ac suspicione seditiosae adversationis, aut recusationis contumacis & non necessariae apud Imperatorem, si de veritate doctrinae ac Sacramentorum puritate, quam amplexi sunt periclitari cogantur? Hic est status controversiae, de quo iudicet Ecclesia.

De his.

De his itaq. articulis omnibus, quæ me credere ac proposita professus sum, ex Deo Patre cum filio & Spiritu Sancto in testem vocato, sancte, vere, & constanter affirmo non esse mea, nec ex me orta, nec a me excogitata: sed mihi a Spiritu Sancto doctore in verbo patefacto evidentibus & invictis testimonijs demonstrata esse, cum severissimo mandato ut ea proferam in lucem & communionem Ecclesiæ, nec reformidem ulla interdicta, adversationes, minas, pericula, ex tempore quo mihi ex hac solitudine in publicum producto Dominus os aperuerit, & loqui me iusserit: addita comminatione atrocissima, ut, nisi id faciam, mihi sit pereundum in æternum. Si paream & Dei mandata exsequar, futurum ut liberer ego omni culpa, sive audiar, sive non. Affero igitur vobis mandata & dogmata Dei perspicuis verbi patefacti testimonijs ac declarata, & tetris blasphemijs ac monstrosis confusionibus Chimæræ opposita, sicut docebit vos Spiritus Sanctus, si me audiveritis. Hæc ut intueamini sinceris oculis, amplectamini, ac pœnitetis examinata veritate, quam detrusistis aut repudiastis: Ad quæ ut respiciatis, & non ad me, propter veritatem & gloriam filij Dei, & propter æternam salutem animarum vestrarum vos oro & obtestor: etsi minime nolim etiam a vobis contemni testimonia illustria huius meæ vocationis, quæ in me edidit Deus innumera propter veritatem suam tot annos, sed præcipue hæc duo:

dno: dogmata nimirum ipsa, & dona multiplicia spiritualia, quae in me
ante non fuerant, deinde admirandam conservationem & liberationem mei
in periculis & carceribus meis, in hac extrema, & omnibus & in omnium ocu-
lis & animis desperata infirmitate naturae meae & virium, ac deplorato
statu hoc meo praeter & contra omnes carnis rationes, praeter & contra spes
& expectationes omnium hominum, sine omnibus medijs & auxilijs exter-
nis & humanis, sine omni mihi reliqua spe ullius consilij, auxilij, de-
fensionis & liberationis per media humana. Hanc igitur ut contemni
aut negligi a vobis minime velim: sic oro & obtestor toto corde meo
quamlibet vestrum ardentissimis gemitibus Deum aeternum & misericordem pa-
trem, per & propter Filium ut regat mentes, pectora vestra suo Spiritu sancto
[illegible] ciat, & ad se rursus in agnitione veritatis convertat. AMEN.

p. 938

MEDITATIONES D. CASPARIS PEUCERI ART. M D.
ac Martyris Constantissimi, in Carcere
decennali, sed postremi anni
maximè.

Edit. O Vive, Vnice, aeterne, Verissime Deus; immense, omnipotens, sapiens, Verax,
Bone, Sancte, Iuste, φιλάνθρωπε, φιλόστοργε, Misericors & miserator, Fidelis,

p. 796 fortis, Caste, liberrime: Conditor omnipotens, & Conservator ac gubernator liber-
rime Caeli & terrae & omnium quae in eis sunt, Militiae caelestis, Vniversae &
societatis humanae in terris, & Ecclesiae tuae sanctae Angelicae & humanae: dator
Vitae praesentis & aeternae, legis & promissionis de gratuita misericordia, Iudex
ac Vindex, Redemptor & Salvator. ô aeterne & dilectissime pater in filio
tuo coaeterno & dilectissimo, Domino & Deo nostro, & in Carne nostra fratre
nostro, Mediatore ac propitiatore, Redemptore & Salvatore Iesu christo, per quem
sicut omnia condidisti, sic per constitutum Dominum & haeredem omnium,
eadem liberrime gubernas ac sustentas: in quo te nobis immensa miseri-
cordia patefecisti: quem tradidisti in Carne nostra in mortem propter peccata
nostra, & resuscitasti propter iustitiam nostram, in quo nos elegisti, adoptasti,
redemisti, suscepisti: Et in spiritu sancto tuo paracleto nostro, quo per
& propter Vnigenitum filium colligis tibi Ecclesiam sanctam, & aeternam
haereditatem filio, voce & ministerio Verbi tui & sacramentorum, per quem
cum filio habitas in nobis, efficax in cordibus credentium; illuminas, sancti-
ficas, doces, regis, ducis nos, communicas & distribuis nobis tua aeterna bo-
na, Vitae, lucis, iustitiae, sanctitatis & laetitiae aeternae, cum spe certissima
Vitae & haereditatis aeternae: ô dulcissime & dilectissime pater;

gratias

quantis maximis possum ardentissimis suspirijs, gemitibus, ac desiderijs in-
timi cordis mei supplex te oro & obtestor per viscera misericordiae tuae pa-
ternae, secundum misericordiam & veritatem tuam: per & propter merita, di-
lectionem mei, ac deprecationem pro me assiduam, perpetuam, fidelissimam ac
fraternam dilectissimi Domini Dei mei, & fratris ac mediatoris mei Iesu Christi
caram in sinu, in osculis, in complexibus tuis: in suspirijs, gemitibus &
desiderijs meorum ac pro me perpetuis, assiduis, ardentissimis & fidelissimis
tuj sancti spiritus paracleti mei in corde meo secundum voluntatem tuam,
quae tu intelligis. obsecro itaque & obtestor te iterum quam possum ardentis-
sime, commoveare super me tandem, commoveare obsecro visceribus mi-
sericordiae tuae paternae, immensae & inexhaustae, in magnitudine dilectionis tuae
paternae, qua certus sum, certo & indubitato credo & statuo, me quoque quam-
quam miserrimum peccatorem, electum tamen, adoptatum, redemptum & sus-
ceptum a te, vere unice & paterne diligi in filio dilectissimo, gratia dilec-
tionem tuam per & propter filium effusam in me quoque confirmas & ob-
signas mihi arrabone & pignore tui sancti Spiritus, vivo testimonio in
viva eius virtute, & innumeris, evidentibus, singularibus & perpetuis
argumentis tuae praesentiae apud me in benedictionibus, donis & bene-
ficijs inenarrabilibus erga me & meos, cum spe certissima & laetissima

vitae

Vitæ ac hæreditatis æternæ. Misertus ergo mei obsecro, & conversus ad me ostende mihi tuam paternam faciem, illustra super me faciem tuam in misericordia, respice me propitijs, misericordibus & paternis oculis, & inclinatis ad me exaudi ac suscipe meas miseras, afflictas & languidas preces, sed diuturnas, anxias & assiduas, quæ dudum defecissent spiritu, fide & voce, nisi tua me misericordia paterna sola sustentaret ac confirmaret. Tua, Tua, Tua misericordia sum quod sum, & quicquid sum: Tuæ misericordiæ est quod non consumptus sum: quod non confundor: non deficio, Quia miserationes tuæ non deficiunt in me, non discedunt a me: Miserere itaque mei & exaudi me, ô Deus meus, ô pater misericordiæ meæ. ET TU IESU CHRISTE æterne fili æterni patris, λόγε σὺ εἰκὼν ἀΐδιε, σοφία καὶ δύναμις τοῦ ἀϊδίου πατρός, per quem omnia condita sunt ac conservantur: Crucifixe pro nobis & resuscitate in carne nostra, frater noster, verus & æternus Deus, & verus homo, Mediator ac propitiator, Redemptor & Salvator, & Dominus noster: gloriosum & omnipotens caput Ecclesiæ tuæ & electorum omnium: Rex regum & Dominus dominantium: Commovearis & tu obsecro super me, commoveare tandem visceribus misericordiæ tuæ fraternæ immensa & inexhausta, & convertere ad me in magnitudine dilectionis erga me tuæ fraternæ, quam effusam in me precioso sanguine tuo in redemptione mea nunc insuper obli

nas

nas etiam & confirmas mihi unā insertione mej in corpus tuum unum & mysti-
cum, & arra atq. pignore tui sancti Spiritus; unā, efficaci & perpetua praesentia
apud me tua, & actione atq. operatione sancta & salutari per lucem tuam & vir-
tutem tui Spiritus sancti, in agnitione Veritatis tuae & consolatione unā, & donis
perpetuis atq. inaestimabilibus, alijsq. testimonijs innumeris, cum spe certissima ac
laetissima vitae ac cohaereditatis aeternae. Misertus itaq. mej, & conuersus ad
me exaudi, suscipe, perfer preces meas miseras, afflictas & languidas ad Do-
minum Deum & patrem nostrum, cum tua fraterna intercessione. Ora & depre-
care pro me, placa & reconcilia mihi patrem: insta & urge mecum ac pro me
tua perpetua, assidua, ardentissima & fidelissima intercessione, donec emoueas pa-
ternum pectus eius, donec impetres ut exaudiar in miseris meis suspirijs,
gemitibus, desiderijs & precibus: Et ut liberer tandem à tota mole peccati mei,
irae Dei patris, contritionis, crucis, captiuitatis & afflictionum mearum: quia ni-
hil tibi denegare potest. De tua vero fraterna & singulari erga me misericor-
dia & dilectione: de perpetua tua ac fidelissima intercessione pro me ac depre-
catione apud aeternum patrem nihil dubito, confidens in te, sperans in te, ex-
pectans te Dominum & Redemptorem meum Iesum Christum in horas & in
momenta. Expergiscere obsecro, exurge in occursum meum, festina
in auxilium meum, accelera ut eruas me: Eripe, vindica, libera, salua
me ab omnibus inimicis meis, & ab insurgentibus aduersus me, à Diabo-

lis

lis & malis hominibus, à viris sanguinum, violentis & dolosis; à conventu malignantium, & à multitudine operantium iniquitatem; Ex unguibus, dentibus, faucibus leonum & luporum. Et redde me Ecclesiae tuae ad tuas sanctas publicas ac perpetuas operas in confessione & assertione veritatis & gloriae Domini Dei & patris nostri, per gloriam tuam, in virtute tui sancti spiritus, & in donis ac mirabilibus tuis, omnibus diebus vitae meae, & ad omnem posteritatem. Miserere mei & exaudi me ô Iesu Christe fili Dei Redemtor. ET TV O SPIRITUS SANCTE, aeterne Deus, procedens ab aeterno à patre per filium, qui habitas in corde meo paracletus meus, Doctor & Rector meus, sigillum & pignus misericordiae & dilectionis erga me Dei patris & filij, & haereditatis aeternae certissimum ac perpetuum: Miserere mei obsecro, geme mecum & interpella pro me in corde meo suspirijs, gemitibus, desiderijs tuis assiduis, ardentissimis & fidelissimis: Converte me toto sincero, firmo, ac perfecto corde & spiritu ad Dominum Deum meum patrem per filium: Restitue, sana, renova, sanctifica, forma, guberna ac dirige in corde, in mente, in voluntate mea cogitationes consilia, affectus, conatus, actiones omnes: os, linguam, labia: gemitus ac desideria: spes & expectationes: vota & preces meas, secundum voluntatem Dei patris, fiduciam filij Mediatoris, in subiectione, humilitate, patientia & obedientia vera, qui introspicis intimum pectus patris, & cuius desideria pater intelligit. Custodi, doce, adiuva, dirige, confirma me in hac via, vocatione

tione & statione praesenti; in qua nunc ambulo, luce, sapientia, consilio, & virtute tua, ut officia & opera vocationis meae recte intelligam & exequar ac perficiam ea pie & sancte, fideliter & sollicite, quiete & tranquille, feliciter & beate intra definitas metas secundum voluntatem Dei patris, iuxta mandata filij: ac maneam in dilectione patris per filij dilectionem, in vinculis amoris & dilectionis tuae; & placeam patri aeterno per & propter filium in domis tuis in aeternum. Custodi me ne aberrem a vocatione mea, ulla ex parte attingam aut appetam. Illumina, sanctifica, guberna, dirige, confirma, conserva me in via veritatis & iustitiae aeternae: ne aberrem, ne declinem, ne deficiam, ne fraude ulla aut violentia diabolica aut hostili depellar, ne confundar, ne consumar, ne deficiat fides mea. Custodi, adiuva, sustenta & confirma me spiritu & corpore, adversus carnem meam, adversus Sathanam, spiritum vanitatis, errorum, mendaciorum, superbiae & intemperantiae, adversus Satanae insidias, colaphos, flagra, ignita & venenata tela & tentationes, adversus hostilia mundi & omnium inimicorum meorum molitiones: Miserere mei, & exaudi me, o Spiritus sancte paraclete.

O dulcissime, o dilectissime pater, o cor & desiderium meum unicum, o fiducia mea fortis, o spes & expectatio mea unica: fiducia perpetua ac certissima misericordiae & veritatis tuae, secundum verbum & promissionem tuam,

in fiducia certissima ac perpetua, in spe & expectatione assidua & ardenti do..
mini & Redemptoris mei Jesu Christi, per tuum sanctum spiritum; misericorditer
dona mihi obsecro, & conversus & inclinatus ad me exaudi me. In qualicunque
die invocavero, quocunque momento clamo aut gemo ad te, in hoc defectu virium
mearum, velociter exaudi me, respice gemitus, suspiria & desideria cor..
dis mei, & exaudi ac suscipe vocem deprecationis meae. Annue & nunc be..
nigne ac paterne, praesenti meae invocationi, ac responde mihi inter ipsos
gemitus & dem[illegible], verbo tuo, vivo motu tui sancti spiritus, ut semper fe..
cisti: Consolare, vivifica, laetifica, confirma vivo sensu praesentiae, misericor
diae, veritatis, lucis, & laetitiae tuae in corde meo, afflictam & anxiam ani
mam meam luctantem nunc cum tua contritione in sensu irae & iudicij tui
conspectuque maximorum delictorum, & cum perpetuis terroribus diabolicis & hostilibus.
Vince, luce, latare, esto fortis & potens in mea infirmitate, cum spe certa & con
firmata liberationis meae ab omnibus malis ac periculis praesentibus, propin
quae, beatae, laetae, placidae ac salutaris, in nomen, laudem & gloriam tuam,
Filij tui dilectissimi & Spiritus sancti: cum illustri ac perpetuo testimonio pub..
lico tuae erga me misericordiae immensae, & iudicij tui de veritate tua ad
omnem posteritatem, & cum afflictorum omnium consolatione & confirmatione.
Exaudi me itaque in magnitudine misericordiae & dilectionis tuae paternae, in
deprecatione Filij dilectissimi, in suspirijs gemitibus, & desiderijs tui sancti Spiritus

&

et consolare, eripe, vindica, libera, salva me ad confitendum & glorificandum te cum electis tuis, omnibus diebus vitae meae. Amen.

Gratias ago gratias maximas ardentissimas possum toto corde meo, Tibi ô vive, unice, aeterne, verissime Deus: Pater, fili, & Spiritus sancte. Tibi ô dilectissime pater, per filium dilectissimum in tuo Sancto Spiritu, pro tua paterna, immensa & inexhausta misericordia & dilectione: pro paternis, immensis, innumeris, inenarrabilibus, ac perpetuis tuis miserationibus, benedictionibus, donis, ac beneficijs, communibus & singularibus, publicis & privatis, spiritualibus & corporalibus, antiquis perpetuis ac recentibus anni praesentis & quotidianis, cum in omnia opera tua, tum vero inprimis in Ecclesiam tuam, in electos omnes, in me & meos omnes, inde usque ab utero matris nostrae, ac nunc maxime in hac cruce & afflictionibus nostris, in horas & in momenta ab omni parte. Vere sumus enim Ego & mei omnes in hac nostra captivitate, paupertate, exilio & afflictione illustria testimonia, imo miracula manifesta tuae misericordiae immensae erga nos & perpetuae apud nos praesentiae in omnibus ac per omnia: Ego vero inprimis cum per totum tempus & cursum carcerum atque afflictionum meorum, tum vero nunc maxime in visitatione & castigatione mea propter iniquitates & peccata mea. Sit tibi laus & honor, gloria, & gratia: Sis benedictus in secula, ô dilectissime pater, per filium dilectissimum in tuo Sancto Spiritu. Amen.

Ago iterum etiam gratias iterum tibi quas possum ardentissime pro tua paterna, immensa, inestabili, singulari ac perpetua misericordia ac dilectione in me & erga me miserrimum peccatorem, qui nihil sum nisi miserrima, corruptissima, contaminatissima, fragillima, detertissima, desperatissima & desperatissima massa peccatrix, plena vulnerum, ulcerum, livorum, sordium & infirmitatum, pronus & praeceps in lapsus perpetuos. Cum pro tua paterna misericordia & pro beneficijs tuis innumerabilibus ac perpetuis commonuij te ad motus me, ad indignationem tuam vehementem, diuturnam ac pertinacem, cum alijs delictis meis innumeris, tum vero inprimis peccato caeca, stolida, insana confidentia ac superbia & flagitiosa mea intemperantia. Et effudissem dudum misericordiam tuam universam: excidissem omni gratia: perijssem in aeternum, nisi praevenisset me & praevaluisset delictis meis Misericordia tua: nisi placatus intercessione filij Mediatoris ac propitiatoris vicisses iustam iram tuam magnitudine misericordiae tuae ac dilectionis erga me in filio dilectissimo. Tuae misericordiae est quod non consumptus sum, & non mansi in morte, oppressus terroribus inferni. Pro hac tam paterna itaque misericordia & dilectione gratias tibi quantas maximas possum ago, ac nominatim etiam pro me singulari misericordia ac dilectione electo, adoptato redempto, & suscepto per & propter unigenitum filium; ac spiritu sancto tuo tibi obsignato in filium, in filij unigeniti coharedem, in vas & organon

misericordiae tuae paternae electum, & sanctum, & aeternum: in membrum vivum & aeternum sancti & glorificati corporis & Ecclesiae Domini nostri Iesu Christi: in templum & organon tui sancti spiritus vivum & sanctum, utile vivum ac salutare animae meae & Ecclesiae tuae: in servum domus & Ecclesiae tuae: in Confessorem, praeconem & testem misericordiae & veritatis tuae. Pro me inde usque a teneris, paterne & miraculose educato, erudito, gubernato, deducto ac directo in vijs tuis, lege tua & Spiritu sancto, instructo & ornato notis & singularibus subinde donis ac dotibus Spiritus sancti, collocato in vocatione certa, eaque licet difficili, periculosa & longe superante infirmitatem meam, pia tamen & sancta, utili & salutari, tibi serviente & placente: pro salutaribus in ea consilijs ac felicibus successibus, pro me evecto gradatim per gradus ad dignitates summas, quantae mihi in hac vita, hac mea conditione contingere potuerint: pro me custodito, protecto, defenso, adversus omnia pericula animae & corporis, vitae, vocationis, famae, rerum & fortunarum: pro me ex illo fastigio dignitatum ex iusto iudicio propter peccata mea, abiecto ac humiliato infra omnes homines, & oppresso mole crucis & afflictionum supra vires humanas: non repulso tamen ac deserto, non destituto misericordia, nec veritate, ope & subsidio tuo, non tradito in animas, in desideria, in potestatem hostium tuorum & meorum, sed admirandae misericordiae ac perpetuae praesentiae evidentibus

dentibus testimonijs miraculose conservato: Pro iugo crucis meae converso in nomen, in laudem, in gloriam tuam, filij tui & Spiritus sancti, cum illustri documento ac testimonio judicij tui de veritate tua. Pro me erepto, vindicato, liberato, ac salvato ab omnibus meis iniquitatibus & peccatis, ab omnibus insidijs, odijs, iniurijs & periculis, ab inimicis meis omnibus, a Diabolis & malis hominibus. Pro vita mihi prorogata in tot annos, praeter & contra omnes causas secundas, praeter & contra spes & expectationes omnium hominum: sine omnibus medijs & auxilijs externis & humanis. Pro benedictionibus tuis paternis innumeris, singularibus ac perpetuis, spiritualibus & corporalibus, quibus praevenis, coronas ac cumulas me in horas & in momenta, in secula vivis tuos praesentes & aeternos. Nominatim autem ago tibi gratias pro ineffabili tua paterna misericordia & dilectione in visitatione & castigatione mea propter peccata mea: Quod multo ante expressis verbi tui oraculis praemonuisti me, & praedixisti mihi diem iudicij tui; Quod sicut denunciasti mihi, sic nunc vocasti me in iudicium irae ipse & accusas voce verbi tui cum apertione oculorum meorum & compunctione cordis mei in sensu tristissimo & amarissimo irae tuae, in perpetuo, anxio & acerbissimo sensu ac conspectu peccatorum meorum, in lucta gravissima, asperrima, periculosissima & difficillima cum terroribus inferni, doloribus mortis, & diabolicis tentationibus, telis & excogitationibus.

Sicut comminationem tuam denunciasti mihi: sic nunc ponis in conspectu tuo
omnes iniquitates meas, producis in lumen vultus tui occulta mea, imponis
mihi omnes vias meas, statuis ante oculos meos omnia errata, delicta,
flagitia mea: Effundis in me universam iram tuam. Circumdederunt me
funes & dolores mortis, anxietates inferni circumvenerunt me, torrentes
iniquitatum irruerunt super me, comprehenderunt me iniquitates meae
ut videre non potuerim. Multiplicatae sunt super capillos capitis mei:
supergressae sunt caput meum, & sicut grave onus gravatae sunt super me.
Sagittae tuae infixae sunt mihi, & manus tua premit me. Militant in me
poenae tuae, & furor indignationis tuae absorbet spiritum meum. Non est
sanitas carni meae a facie irae tuae: Non est pax ossibus meis a facie
peccatorum meorum. Arguis, conteris, castigas me: sed contritione a-
mara, castigatione aspera, dura, diuturna, crudeli ut ipse inquis, propter
peccatorum meorum multitudinem & duritiem. Inducis super me omnes
fluctus tuos, fluctus terrorum, dubitationum, tentationum, desperationis:
Deducis me in mortem praesentem & aeternam. Utramque me gustare & ex-
periri voluisti: probasti me Domine, igne me examinasti sicut exami-
natur argentum. Sicut Leo contrivisti omnia ossa mea. Haec omnia
cum inducis super me, non avertis tamen a me faciem tuam: non
aufers a me misericordiam & veritatem tuam, nec spem salutis

&

et dextera tuae: Non consumis me morte, nec praesente, nec aeterna: Non re-
digis me in nihilum: Non das me praedam & escam dentibus inimicorum
meorum: Non relinquis animam meam in morte, nec in inferno, sed sicut
ipse me tua voce arguis & accusas: sic verbo tuo ipse me quoque quasi com-
pellans coram consolaris, annuncias mihi ipse remissionem peccatorum, &
ab omni culpa & reatu absolvis me, eripis animam meam a morte, vitam
meam ab interitu: de abyssis terrae erutum ac reductum consolaris, vivificas,
laetificas, ac confirmas vivo fonte praesentiae tuae, misericordiae, lucis, &
veritatis, vitae ac laetitiae aeternae, Doces me, ostendis mihi lucem & viam verita-
tis tuae: Custodis me a tendiculis & retibus operantium iniquitatem: eruis me
de laqueo quem absconderant mihi: Explicas, evolvis, Extricas me ex
fluctibus dubitationum ac tentationum, & labyrinthis confusionum & praestigia-
rum hostilium: Sustentas, tenes, roboras me cum promissionibus dulcissi-
mis tam misericordiae sempiternae, quam opis & auxilii ac liberationis praesen-
tis: tum perpetuis, illustribus, & innumeris praesentiae tuae testimoniis, spe
certa & confirmata, propinquae, laetae, beatae, placidae ac salutaris liberationis:
Confringis ac dissipas consilia, insidias, ac molitiones hostiles: magnificas
me hac ipsa afflictione tua, convertens eam in gloriam tuam, & supra
haec omnia coronas ac cumulas me benedictionibus novis, inenarrabi-
libus, in vero firmoque intellectu verbi, & vera sincera ac confirmata
luce verbi & agnitionis tuae. Et sicut miraculose finisti ac
sus.

sustentasti me in tam diuturno, arcto & desperato carcere; & mirificasti mi-
hi misericordias tuas in medijs faucibus inimicorum. Sic non minore mira-
culo eruisti me vinculis, rugitibus, dentibus & faucibus hostilibus reducis me
in lucem & ad societatem Ecclesiae, & imples mihi omnia desideria, vota, peti-
tiones cordis mei: non confundis tantum, sed conteris ac destruis hostes tuas, ini-
micos meos illustri, publico, ac perpetuo testimonio tui iudicij de tua veritate.
Quod ergo tam paterna misericordia me eruit errorem errantem ac perdi-
tum, ac in vijs cordis mei vagum reuocas ad poenitentiam, reducis & conuer-
tis ad te, toto & sincero pectore in sera conuersione, deles iniquitates meas,
sanas dolores & vulnera mea, cum tantis benedictionibus & donis nouis
& assiduè effusis, variatis & cumulatis, gratias tibi ago gratias habeo &
gratias possum ardentissimas. Ago etiam gratias pro me & meis omnibus
(de quo nihil dubito) per hanc noctem benigne & paterne custoditis, con-
seruatis, protectis & defensis aduersus omnia pericula animae & corporis:
pro liberatis nobis ab omnibus malis: pro custodia castorum & sanctorum
Angelorum: pro dulci, placido, & salutari somno: pro me salvo, incolumi, &
laeto resuscitato ad piam & sanctam inuocationem & gratiarum actionem:
ad pias, sanctas, utiles & salutares operas tuas, dona ineffabilia miseri-
cordiae tuae paternae, per & propter filium in tuo Spiritu sancto: pro pub-
lici omnibus: pro Ecclesia sancta tua conseruata & defensa: ac luce

in ea

in ea veritatis tuæ accepta atque illustrata, adversus tantos ac tam rabiosos conatus hostium tuorum pro communi pace ac tranquillitate tot præteritorum annorum: pro iusta graviq. ira tua repressa, immensa misericordia & mitigata in pœnis & cladibus publicis, in bellis atrocissimis, in laniena parricidiali tot hominum, in dilaceratione regnorum & gentium, ac terrarum devastatione, in tristissimis persecutionibus Ecclesiæ, in contagijs grassantis pestilentiæ, in temperstatibus noxijs & irregularibus. pro anni præsentis salubritate, fœcunditate, ubertate, & tranquillitate: & pro innumeris alijs. Ago etiam gratias quantas maximas, ardentissimas possum toto corde meo supplex tibi pariter IESU CHRE fili Dei, Redemptor dilectissime, pro tua fraterna, immensa, inexhausta, & perpetua misericordia ac dilectione: pro fraternis, immensis, innumeris, inenarrabilibus & perpetuis meritis, donis, beneficijs, & pignoribus tuis in & erga me meosq., cum in redemptione nostra, tum in omnibus alijs beneficijs, publicis, communibus, perpetuis, quotidianis, singularibus: pro fraterna, perpetua, assidua, ardentissima & fidelissima intercessione ac deprecatione tua apud cælestem patrem pro me: pro furore iræ paternæ averso à me & placato: pro me converso ad me & mihi reconciliato patre tuis visceribus misericordiæ suæ: pro impetrata mihi remissione & abolitione omnium meorum delictorum, & mitigatione contritionis, crucis, captivitatis & afflictionum meorum

meorum: pro perpetua, viva & efficaci praesentia in me tua, & actione atq.
operatione sancta & salutari per lucem tuam ac virtutem tui sancti spi-
ritus: pro me tam miraculose custodito, conservato, adiuto, edocto, guber-
nato, erudito, ornato, protecto, vegeto, vindicato, liberato ac salvato ab om-
nibus malis & periculis, ab omnibus inimicis meis, Diabolis & malis ho-
minibus. Ago etiam gratias quantas maximas ardentissimas
possum toto corde supplex pariter tibi, ô SPRS SANCTE paraclete
pro tua viva, efficaci & perpetua praesentia in cordibus nostris, & guberna-
tione nostra, pro innumeris, admirandis, perpetuis & singularibus donis
& gratijs tuis, quas effundis ac cumulas in me & meos ex miseri-
cordia & dilectione Dei patris & filij in horas & in momenta: pro perpe-
tuis, assiduis, ardentissimis, fidelissimisq. suspirijs, gemitibus & desiderijs
meorum ac pro me in corde meo, secundum voluntatem Dei patris
infiduciam filij: & pro innumeris alijs. Pro his omnibus itaque
& innumeris alijs, gratias iterum quantas capere potest animus meus:
ago tibi ô aeterne Deus pater, fili, & Spiritus sancte. Tibi, ô pater di-
lectissime per filium dilectissimum, in Spiritu Sancto, additus grato ore
& pectore tonre dixero, & teram in omni aeternitate sempiternas. Amen.
Commendo tibi autem ô dilectissime pater, inprimis & ante omnia
veritatem & gloriam tuam & filij tui dilectissimi, tot modis de-

formatam, obscuratam, contaminatam, oppressam & conculcatam: Ecclesiam tuam mise-
re vastatam, & Electos tuos. Offero simul, commendo, dedico, consecro & trado tibi
in tuas paternas manus per & propter Filium Mediatorem in tuo sancto Spiritu, sup-
plex toto corde meo ipsum me totum & omnes meos quos dedisti mihi, filios &
filias, generos & nurus, nepotes & neptes ubicunque nunc sunt dispersi: Reliquos
etiam, sanguine, necessitudine aliqua aut amicitia mihi coniunctos, aut devinctos
beneficijs, matrem, fratres, sorores & alios, cum omnibus quae adiecisti nobis: te orans
& obtestans supplex ardentissime & subiectissime, Miserere omnium nostrum,
Miserere, Miserere, Miserere obsecro secundum tuam magnam & paternam mise-
ricordiam, per & propter Filium Mediatorem & propitiatorem: Et dimitte nobis
universa delicta nostra: Sana omnes infirmitates, vulnera, & contritiones nostras:
Averte obsecro furorem a me irae tuae: Aufer a me omnem indignationem tu-
am, & cum ira tua onus peccati mei & crucis, contritionis, terroris & afflic-
tionum: Amove a me plagas tuas: quoniam ab ira tua consumor: a casti-
gatione tuae manus defecio. Tu Deus & pater meus es in Filio dilectissimo.
Ego lutum tuum sum. Tu formator meus per & propter Filium, in virtute tui
Sancti Spiritus: Ego opus sum manuum tuarum. Tu finxisti & formasti
me in utero matris meae: Tu me editum in lucem respexisti & reformasti
insertum Ecclesiae tuae per baptismum verbo veritatis tuae & virtute Sancti
Spiritus in luce, meritis & iustitia Filij unigeniti. Tu scis quale figmen-
tum sim! quae dona gratiae in me contuleris? Agnosco & confiteor

deploro

deploro, detestor, & deprecor coram te assiduè, sollicitè, ardenter, anxiè & sup-
pliciter peccata mea vniuersa, innumera, & ingentia: antiqua & recentia, no-
ta & ignota. Agnosco & confiteor me conceptum & natum esse in peccatis, & in
ijsdem adoleuisse ac consenuisse. Agnosco & confiteor vulnera peccati in car-
ne mea putrefacta & corrupta, longa & praua consuetudine, propter infirmi-
tatem & insipientiam meam, eoúsque inualuisse, inueterasse atque obdurauisse,
ut nisi tu ex misericordia paterna immensa per & propter filium abstule-
ris ac deleueris peccata mea: nisi sanaueris vulnera mea per tuum Spi-
ritum sanctum: nisi liberaueris me ab insidijs, iniurijs, colaphis, & plagis
diabolicis & hostilibus: nisi auxeris & confirmaueris mihi vires & robur
fidei & spiritus mei: eluctari à peccatis meis, liberari, & sanari nequeam.
Non sinas me obscuro consumi, contabescere & commori in peccatis meis. Mi-
serere mei & dele sicut nubem iniquitates meas, disperge peccata mea
sicut nebulam: Crea in me cor mundum, & Spiritum firmum innoua in
visceribus meis: Non auferas à me misericordiam & veritatem tuam: nec
dilectionem tuam in filio dilectissimo, nec Spiritum sanctum tuum: Nec cus-
todes & excubitores sanctos angelos tuos: Redde mihi lætitiam saluta-
ris tui, & spiritu spontaneo sustenta me: Docebo iniquos vias tuas, vt
peccatores ad te conuertantur.   Eripe, vindica, libera, salua me
ab omnibus iniquitatibus & delictis meis: A vinculis iræ & terrorum

tuorum

tiorum: à tenebris, terroribus, scrupulis, dubijs, vermibus conscientiae meae: à tota mole crucis & afflictionum praesentium: De manu ac potestate omnium inimicorum meorum, diabolorum & malorum hominum: ab omni fraude, violentia, infamia, & servitute. Miserere itaque mei, & liberato me à peccatis meis, ira tua, & plagis tuis, redde me Ecclesiae tuae publicae, ac domesticae meae, & aperi os meum, & labia mea. Redde me meis miseris, afflictis, & dispersis orphanis: Congrega nos iterum ad te: & conversos nos omnes ad te totis sinceris & perfectis cordibus nostris in spiritu novo, sancto, & firmo, in fide non ficta, in conscientia bona, in vita sancta inculpata, tibi serviente & placente, illumina, sanctifica, guberna, confirma, conserva nos Tibi, Tibi, Tibi, per & propter filium in Spiritu sancto, in vasa electa misericordiae tuae paternae, in templa tua sancta aeterna: in vera viva, sancta, aeterna membra, veri, vivi & glorificati corporis & mystici Ecclesiae domini nostri Iesu Christi: in templa & organa tui sancti Spiritus viva & sancta, utilia & salutaria nobis ipsis & alijs, & Ecclesiae tuae imprimis: in haeredes vitae aeternae, in sancta ministeria tua, in usus sanctos & publicos Ecclesiae tuae. Largire & tribue nobis universis & singulis unicuique in sua vocatione quae sunt nobis necessaria & salutaria ad vitam aeternam & praesentem, corporalia & spiritualia: cum pace & gubernatione pia, sancta, iusta, moderata,

tranquilla

tranquilla & salutaria omnibus diebus nostris. Custodi & tuere nos per
tuos castos & sanctos Angelos: custodi, confirma libera nos omnes ab omni-
bus malis, ab omnibus insidijs, odijs, iniurijs, periculis animæ & corporis, libe-
rationis, famæ, rerum & fortunarum, undecunq. oriantur: à reatu capi-
tali: à tragicis & atrocibus pœnis & casibus, & omni laceratione corporis:
ab omni infami, funesto, tragico, cruento, violento: ab omni misero tristi-
ærumnoso & calamitoso: ab omni inutili, sterili, infructuoso & egente cur-
su & exitu vitæ: à dirittoriis, tetris, squalidis, carcis carceribus: à lingu-
is mendacibus, labijs dolosis, calumnijs parricidialibus. Reprime &
depelle à nobis Diabolos omnes, omnes malos homines: omnes inimi-
cos nostros, & omnia istorum fraudulenta & perniciosa nobis consilia con-
funde: insidias omnes & machinas dissipa, averte destruere. Re-
mittere ad nos obsecro ô dilectissime pater cum filio dilectissimo &
mum nobiscum in tuo sancto Spiritu, in misericordia & in veritate tua,
in luce verbi tui, in donis & benedictionibus tuis paternis veniatis, spiritu-
alibus & corporalibus, in custodia & excubijs castorum & sanctorum Angelo-
rum tuorum. Non repellas à me, non sinas eripi mihi, non excuti: non
depellas in æternum, non abscondas diebus meorum dona gratiæ &
testimonia misericordiæ tuæ paternæ, dona per & propter filium in
Spiritu Sancto sine negociatione publica, sine usu, fructu & favore

communi

communi publico ac perpetuo ad posteritatem, quanto tu vis, pro mensura
gratiae tuae paternae, & donationis Domini mei Iesu Christi, secundum men
suram donatae mihi fidei, & pro conditione extremae ac desperatae meae in
firmitatis. Non misereris a nobis praesidium, propugnaculum, patrocinium &
auxilium dexterae tuae. Sed adiuua, guberna, confirma nos per & propter
filium in Spiritu Sancto, ut seruiamus tibi omnes in iustitia & sanctitate,
in timore & humilitate vera, pie, sancte, iuste, caste, sobrie, humiliter, qui
ete, placide & beate omnibus diebus nostris: Ne blandiamur tibi ore
nostro, ne mentiamur tibi lingua nostra, Sed ut sincerum, firmum ac
perfectum tecum sit & maneat cor nostrum in aeternum & ut fideles inue
niamur & habeamur in testamento tuo, cum aduenerit Dominus noster
Iesus Christus. Commendo tibi itaq. meos omnes, & nepotes in pri
mis ac neptes impuberes: nepotes ex filijs quos ad preces meas mihi
tribuisti: Eos offero, commendo, consecro, & trado tibi: suscipe illos obse
cro in misericordia, & educa illos, sicut tu patres eorum educasti, cu
stodisti, rexisti, & custodiuisti: & effice eos electa vasa misericordiae
tuae paternae & organa sancta ac salutaria sibiipsis & alijs & Eccle
siae tuae, ut seruiant tibi & confiteantur ac glorificent te mecum
& cum omnibus electis tuis ex hoc nunc & usq. in aeternum.
Custodi, tuere, protege, defende, eripe, vindica, libera saluum me & meos
omnes ubicunq nunc sumus & erimus deniceps secundum volun
talem

tatem tuam: omnes electos tuos vbiq; locorum & terrarum: vniuersam Ecclesiam tuam, cum ab omnibus malis, tum vero ab omni impietate, profanitate, caligine: ab omnibus mendacijs, confusionibus, imposturis, erroribus, tenebris: ab omnibus idolis, blasphemijs furoribus: ab omni hypocrisi rabie saevitia, tyrannide diabolica hypocritica, Turcica, Tartarica, Pontificia, Chimeristica & quavis alia, vndecunq; oriatur: ab omni imperio & gubernatione impia, iniusta, crudeli, tyrannica: a bellis externis & ciuilibus: a seditionibus: a contagijs & pestilentia: a noxijs & irregularibus tempestatibus: a fame & caritate annonae: ab omnibus periculis animae & corporis: a detrimentis omnibus rerum & fortunarum. Recordare obsecro & miserere Ecclesiae tuae vniversae per totum orbem terrarum dispersae, & nunc vbiq; oppressae a potentissimis hostibus, sine omni penitus spe omnis auxilij, defensionis, & liberationis per media humana. Recordare & miserere Ecclesiae tuae collectae ac conditae tibi immensa misericordia in his terris & regionibus inter nos & ex nobis quondam syncera luce repurgati Evangelij tui, at nunc oppressae nova fraude & violentia, novis technis & monstrosis confusionibus, commentis ac mendacijs stabilimentibus manifesta idola, blasphemias & furores veteres ab orco revocatos, & hypocrisi, rabie, saevitia, & tyrannide nova a praevaricatoribus testamenti tui, apostatis a veritate tua. Re-

cordare

cordare misericordiae & veritatis tuae servis sanctis Electis tuis, sed deceptis ac seductis, incarceratis aut oppressis, deformatis, aut conculcatis, dispersis aut afflictis. Recordare obsecro & miserere omnium nostrum. Expergiscere in misericordia tua paterna, o pater misericordissime per & propter filium dilectissimum. Exurge o justi judex & vindex in justitia tua: Exaltare qui judicas terram, judice filio tuo dilectissimo, cui omne judicium tradidisti. Exaltare supra caelos & super omnem terram gloria tua, per gloriam filij unigeniti: Accelera judicium tuum: festina ad auxilium nostrum. Assere & vindica gloriam & veritatem tuam & filij tui dilectissimi. Eripe, vindica, libera & salva Ecclesiam tuam, & nos servos & sanctos tuos in ea ab isto praesente impio, blasphemo, hypocritico, superbo, crudeli & tyrannico jugo & imperio Pontificio & Symonistico, quo sumus oppressi sub titulo & nomine verbi & veritatis tuae in contumeliam manifestissimam sanctissimi nominis tui, regni & gloriae filij tui dilectissimi, spiritus, & veritatis tuae. Expergiscere, festina, & venito ad nos, & libera nos cum illustri, publico & perpetuo testimonio tui judicij & justitiae ac vindictae tuae adversus mendaces, blasphemos pertinaces & superbos hostes tuos, & miseris sanabilium errorum & converte nos. Restitue inter nos regnum & Ecclesiam filij, per & propter filium, in virtute tui sancti spiritus, & verbo veritatis tuae. Con-

grega

grega ad te iterum sub alas tuas in Ecclesiam, Electos nos tuos ad salu

berrima & uberrima pascua tua, ad liquidos & viuos fontes verbi tui, ad

pia, sancta, salutaria, publica & perpetua ministeria tua. Fiat etiam &

maneat misericordia, veritas, & dextera tua mecum & super me miserri.

mum orphanum, seruum & vermiculum tuum, desertissimum a tota rerum

natura & desperatissimum: organum tamen & miraculum tuae misericor.

diae manifestum: fiat ergo & maneat mecum misericordia, veritas & dex.

tera tua cum per omnem vitam meam, tum nunc maxime in hac vita

vocatione, & statione praesente, in qua tu me constituisti: in agnitione &

confessione atque assertione verbi & veritatis tuae, ad quam me elegisti,

& vocasti: in qua edoces, illuminas, regis, custodis, defendis, protegis &

liberas me miraculose. Adiunge me Electis tuis, ut seruiamus tibi

& confiteamur ac glorificemus te patrem per filium in tuo sancto spi.

ritu, vno spiritu, vna fide, vno ore, pro misericordia & veritate tua

in omnibus bonis & mirabilibus tuis, & asseramus atque illustremus ve.

ritatem & gloriam tuam aduersus mendacia, blasphemias & furores

diabolorum & bestiarum suorum omnibus diebus vitae nostrae. Amen.

Benedic etiam, obsecro te, anno praesenti benedictione tua paterna

larga & benigna: Benedic Ecclesiae tuae, Electis tuis: Aulis & mais

omnibus

omnibus ubicunque sunt: omnibus benefacientibus mihi: etiam inimicis meis, per & propter Filium in Spiritu Sancto tuo, ut sit nobis pius & amabilis, beatus & prosper, tranquillus, fecundus & salutaris, in omnibus donis & benedictionibus tuis spiritualibus & corporalibus. Revertere ad nos obsecro cum Filio & Spiritu Sancto tuo, & redde ac conserva nobis lumen verbi & veritatis tuae: hac dic & argue tu nos, ac reductos ad poenitentiam converte ad te conversione vera, seria & perpetua, sicut me ex misericordia paterna, immensa, verbo tuo, in luce Filij dilectissimi, & virtute tui Sancti Spiritus illustrasti. Convertisti; ut toto corde, tota anima, tota mente, totis viribus adhaereamus & obediamus tibi, & fruamur donis ac beneficijs tuis cum agnitione, confessione ac celebratione iustitiae, misericordiae & potentiae tuae, & cum gratiarumactione perpetua te gratis laudibus celebremus per Filium in Spiritu Sancto, omnibus diebus vitae nostrae. Confirma etiam obsecro, guberna, dirige ac perfice hoc quod operatus es in me & primatim & in veris tuis sanctis publicis, manifesto miraculo, & illustri publico ac perpetuo testimonio misericordiae & potentiae tuae apud me, propter nomen, veritatem, gloriam, & laudem tuam. Agnosco iterum, confiteor, ac deploro coram te anxie & suppliciter peccata mea universa, quibus te atrociter offendi: in firmitatem & pravitatem corruptissimae carnis & consuetudinis meae & lapsus ex utraque, perpetuos ac poene momentaneos. Et quamlis

maximis

maximis potius ardentissimis suspirijs, gemitibus & desiderijs imploro iterum misericordiam tuam paternam, fiduciâ intercessionum pro me Filij Mediatoris nostri unici, in gemitibus Spiritus Sancti orans & obtestans te, aufer à conspectu tuo peccata mea; ne obstent mihi & precibus meis: ne avertant, ne abscondant à me faciem tuam paternam, ne impediant precum mearum penetrationem ad te: Dele ergo iniquitates meas, Sana vulnera peccati in carne mea: Munda, sana, sanctifica, confirma me spiritu & corpore, tibi per & propter Filium in Spiritu Sancto, in vas & organum misericordiae tuae paternae electum, sanctum & aeternum, utile & salutare animae meae & Ecclesiae tuae in omnibus donis & benedictionibus tuis per omnem vitam meam. Doce me nosse, tenere & custodire metas vocationis meae, à te mihi praefixas in perpetuo intuitu & consideratione irae & iudicij tui, & memoriâ perpetuâ infirmitatis, lapsuum & castigationis meae propter peccata mea, tuaeq. immensae in Christo misericordiae, ne fiduciâ gratiae & donorum tuorum extollatur cor meum, ne efferar extra metas vocationis, ne quid concipiam animo meo; ne tentem, ne sapiam quod supra vires meas, & mensuram gratiae tuae ac fidei mihi donatae. Confirma, guberna, dirige perfice tu donum & opus misericordiae tuae inchoatum tibi in me & per me, in nomen

laudem

laudem & gloriam tuam, & in testimonium misericordiæ & veritatis tuæ, cum
gaudio & lætitia & exultatione tua, filij tui, spiritus sancti tui, Ecclesiæ tuæ
Angelicæ & humanæ, mea & meorum: & cum salute mea, meorum & piorum
omnium, præsente & æterna. Si vis me te glorificare, doce prius obsecro, institue,
& præpara me, in confessione filij tui, per veritatem tuam, destitutum omnibus
penitus medijs externis & humanis, conclusum velut in sepulchro carnis,
exclusum ab omni ministerij tui sancti usu & societate Ecclesiæ tuæ, deser-
tum, desperatum in omnium oculis & animis, despectum omnibus, conculcatum
ab hostibus tuis & deformatum mendacijs & calumnijs: Et in tempore tibi
beneplacito educ me dextera Domini & Redemptoris mei Iesu Christi in virtu-
te tui sancti Spiritus, sub alis tuis & umbraculo dexteræ tuæ. Tu illumina,
doce, sanctifica, guberna, dirige confirma & conserva me in vijs tuis: & doce
me utilia, salutaria & necessaria. Lucerna pedibus meis sit verbum tuum:
lumen semitis meis, in luce filij tui & virtute sancti Spiritus. Oculus
tuus regat me, præmio dare Domino meo Iesu Christo & Spiritu sancto
dolore & rubore perpetuo cordis mei. Fac me in assertione orga-
non, in confessione veritatis tuæ os Spiritus sancti: Et libera me ab hosti-
bus tuis, sine contumelia nominis tui, sine veritatis tuæ detrimento, sine
scandalo Ecclesiæ, sine vulnere conscientiæ meæ, sine confusione & infa-
mia mea, sine sanguine & violentia. Reprime & averte a me insi-

dias

dias, calumnias, saevitiam inimicorum omnium meorum: Dissipa & elide consilia eorum: fac irritas ipsorum cogitationes, spes, molitiones, & gaudia: prohibe ne effundant in me, ne expleant quoquomodo immania odia sua adversus tuam veritatem. Non sum dignus vocari filius tuus: Non servus tuus, quoniam peccavi in te, atrociter te offendi innumeris lapsibus, Sed tu placatus intercessione filij propitiatoris, & misertus mei avertisti a me furorem irae tuae, & conversus ad me remisisti mihi iniquitatem peccati mei, & in misericordia immensa per & propter filium tuum cepisti me: Multiplica ergo, mirifica & confirma obsecro misericordiam tuam paternam in me & erga me & omnes meos per & propter filium & virtutem tuam in mea infirmitate, per tuum sanctum spiritum, & liberatum me salvum latum & incolumem redde ecclesiae tuae, quo tu vis loco, qua tu vis vocatione, & statu tu vis: fac me unum ex minimis servis tuis: ex mercenarijs in domo tua, in ecclesia: modo ut serviam tibi adhuc in hac vita, post tam diuturnam & miraculosam conservationem, post tot & tam mirandas liberationes, cum tot, tantis & tam illustribus documentis ac testimonijs misericordiae erga me tuae & praesentiae tuae in meipso & meis & in benedictionibus tantis spiritualibus ac corporalibus: Ut ergo serviam adhuc tibi & confitear ac glorificem te patrem per filium, in Spiritu sancto

cum Ecclesia

cum Ecclesia publica & mea domestica, pro misericordia & Veritate tua, in omnibus donis & mirabilibus tuis, toto Corde meo, omnibus diebus meis, & ad omnem posteritatem. Noli me obsecro confundere super vero, serio, sincero, & ardenti amore, desiderio, studio & Zelo Veritatis tuae, & filij tui dilectissimi: propter quae scis me subijsse & sustinuisse omnia quae tum usq. pertuli: quamq. non ego pertuli, sed tu in me fortis, qui & illa mihi imposuisti, tum ut castigares me tum ut magnitudinem misericordiae & potentiae tuae ostenderes in me desperatissimo servo, orphano & vermiculo tuo, palam toto orbe in testimonium veritatis tuae. Non consumas me quoquo modo, non consumtione infami, funesta, tragica, cruenta & violenta, per & inter immania odia, & cruentas manus inimicorum meorum, nec in hac multa, bruta, sterili & infructuosa custodia: non ut somnium & fabulam, cum dona gratiae, & testimonijs misericordiae tuae: non ut multum canem, mortuum saeculi, virum cadaver. Non excludas me diutius à societate Ecclesiae tuae sanctae: nec à sorijs operis confitentium & asserentium veritatem & gloriam tuam & filij tui. Ostende mihi lucem veritatis tuae in verbo tuo. Solus sum, destitutus omni humano consilio & opera, exclusus ab officio ministerij tui sancti; hostibus meis expositus, derelictus, desperatus, contemtus ab omnibus. Tu ergo deduc & dirige me in via veritatis, & in semitis iustitiae aeternae, per tenebras, umbra

laria, praestigias & confusiones quas Hostis tui offuderunt verbo veri-
tatis tuae: Et lucem atque agnitionem veritatis tuae confirma & obsigna
sigillo tui sancti spiritus in mente mea in aeternum, vt perseuerans in
ea constanter & firmiter celebrem te in confessione filij tui per tuum spi-
ritum sanctum intrepide & fortiter omnibus diebus meis, cum agnitione
& praedicatione perpetua misericordiae tuae immensae, & meae extremae
infirmitatis, in qua nihil sum nec fui vnquam, inde vsque a teneris, nisi
quod sum & fui semper singulari dono, petitione, auxilio tuo. Doce,
adiuua, guberna, confirma me etiam maiore ac firmiore robore fidei
& spiritus, vt possim omni tempore fortius & constantius resistere ac
reluctari carni meae & diabolicis omnibus ac hostilibus insidijs, molitio-
nibus & tentationibus. In tempore vero tibi beneplacito, Domine, obsecro,
Conuoca me cum pace, cum gaudio, cum bono & honesto nomine ad
sepulchrum sine sanguine, sine violentia, & sine infamia, repressis & a-
uersis insidijs, telis, & terroribus Diaboli, mortis, & inferni: & conatibus
omnibus diabolicis & hostilibus, duce Domino & Redemptore meo Iesu
Christo, virtute tui sancti spiritus, inter excubias ac custodias, & per ma-
nus coelestium & sanctorum Angelorum tuorum: te ponente sepulchrum
tuum seruandum purissimorum tuum, & sepelientibus me liberis & posteris meis

sepultura

sepultura sancta, christiana, beata, honesta & placida: Confirma & obsigna obsecro misericordiam erga me & veritatem tuam in me & per me Ecclesiae tuae ad omnem posteritatem, perpetuo cursu etiam totius vitae meae, & fine atque exitu vitae pio & sancto, beato & laeto, placido & salutarj, in nomen, laudem & gloriam tuam, filij tui ac Spiritus sancti: ac misericordiae & veritatis tuae testimonium illustre, publicum ac sempiternum, cum Electorum tuorum consolatione, confirmatione, gaudio, laetitia & exultatione in misericordia & veritate tua: cum hostium autem tuorum eversione & confusione sempiterna, Ne exultent super me, ne glorientur contra me, ex quocunque infelici, infami, funesto, tragico casu meo aut meorum, in contumeliam tuam. Mane me cum in aeternum cum filio & Spiritu Sancto in misericordia & veritate tua: in illustri & confirmata fide, agnitione, & confessione verbi & veritatis tuae in fide firma, ardenti & perfecta: in Spiritu novo, sancto, sapiente, miti humili, casto, sobrio ac firmo: in gaudio & laetitia vultus tuj: Et a praesentibus malis omnibus & periculis ereptum & liberatum me redde Ecclesiae tuae ad communes & publicas operas & laudes tuas cum pijs & Electis. Confirma & obsigna me sigillo tuo sancti Spiritus pro vero filium tibi in haeredem vitae aeternae, in cohaeredem filij Domini nostri Iesu Christi; in templum & habitaculum tuum sanctum & aeternum per filium in Spiritu Sancto, ut Duce & intercessore praesente Domino Deo meo

mo, & in carne mea fratre meo Iesu Christo, in tuo Sancto Spiritu
lætus te coram aspiciam & fruar coram aspectu tuo beatissimo, sanc-
tissimo, placidissimo, benignissimo, iucundissimo & lætissimo, in vita, luce, sa-
pientia, iustitia, & lætitia æterna: Et seruiam tibi; faciam omnem vo-
luntatem tuam secundum cor tuum, in omnibus ac per omnia, hilari
& alacri corde & spiritu, gratias agam tibi, confitear, glorificem & cele-
brem te per filium dilectissimum in tuo Sancto Spiritu, cum Ecclesia
tua cælesti vniuersa, Angelica ac humana: & placeam tibi in omnibus
ac per omnia in omni æternitate, per infinita sæcula. Amen.
Restitue, auge, & confirma mihi robur spiritus, ingenij & corporis mei
& afflictas vehementer ac debilitatas vires stomachi & capitis mei:
mitiga & sana infirmitates & dolores in his quos sentio: & adiuua,
guberna, confirma me, ne mea culpa quacunque irritem aut exaspe-
rem: ne ullo excessu, ullo abusu donorum tuorum te offendam:
ne contristem Dominum meum Iesum Christum, & Spiritum sanctum tu-
um: ne impediam quoquo modo sanctas eius & salutares in me actio-
nes & operationes: ne affligam meipsum: ne indulgeam desiderijs car-
nis meæ contra spiritum: ne locum dem diabolo. Custodi, tuere, pro-
tege, defende me & meos vbicunque nunc sunt per hunc diem benigne

& paterne adversus omnia pericula corporis & animae, vitae, vocationis, re-
rum & fortunarum: libera nos ab omnibus malis, & omnibus insidijs &
molitionibus Diabolicis & hostilibus. Transige mihi & meis omnibus hunc
diem, pijs sanctis, utilibus & salutaribus operis & laboribus: & pijs preca-
tibus, serijs atque ardentibus suspirijs, gemitibus, desiderijs & precibus ad te
cum agnitione & consideratione intenta & assidua tuae praesentiae apud me
tuique auxilij & cum seria atque ardente gratiarum actione, ut componamus nos
in omnibus ad nutus tuos, & referamus omnia ad gloriam nominis tui, ocu-
lis & fide mentis te semper intuentes. Reduc me ex hac solitudine in
lucem & ad societatem Ecclesiae tuae, dextra Domini mei & Redemptoris
Iesu Christi, & aperi os meum & labia mea per tuum Sanctum Spiritum,
& reddam tibi vota mea de donis tuis sicut aperuit sese os meum in
tribulationibus & angustijs meis, in conspectu timentium te, & continuam
vitae meae reliquum in tuis sanctis ministerijs, confitebor & glorifi-
cabo te patrem per filium in Spiritu Sancto pro misericordia & pro
veritate tua, in omnibus donis & mirabilibus tuis ex hoc nunc
& usque in seculum. Iterum te rogo & obtestor ne angas, ne af-
fligas, ne conteras, ne exagites me diutius aut gravius quoquo
modo, nec terroribus, nec per & inter insidias, illusiones & tentationes
diabolicas, nec per & inter manus, odia, iniurias, rabiem, saevitiam &

tyranni

tyrannidem hostilem. Misertus mei tandem libera me ab his omnibus, & eductum me siste in loco libero, spatioso, ac stabili Culpertue ad te confitendum & celebrandum, per & propter dilectissimum Dominum & Deum in carne nostra fratrem nostrum Jesum Christum, Arbitratorem ac propitiatorem, Redemptorem & Salvatorem, qui tecum vivit & regnat ad dexteram tuam in gloria tua verus & aeternus Deus, & verus homo, Rex Regum & Dominus dominantium, in virtute tui Sancti Spiritus per omnia saecula saeculorum Amen. "

p. 831

Testamentum D Cas:
pari Pen'cerj.

edic.

Res Q 12° 806. ff. liminaires

Dilectissimi Generi & liberi mei: Sitote omnes, quod nulla re vel minima laeserim aut Illustrissimos principes, aut quemquam alium. Sed miserarum persecutionum quas sustinui & carcerum, una haec & sola est causa, quod confessionem agnitae Veritatis in duobus articulis, de Christo vero Deo & homine in una ~~&~~ inconfusa & inseparabili persona: Et de Vera eius praesentia in Coena sacra abijcere & abjurare, & juratus hostis filij Dei fieri, & supplex deprecari non solum hoc ipsum tanquam singulare & atrox scelus, quod hanc doctrinam amplexus, & meo loco ubi debui professus sum, quamquam languidius & timidius id fecerim quam debui, quod deploro & deprecor in conspectu Dei, toto corde meo, assidue. Nolite ergo dubitare Deum judicem, testem & Vindicem fore, & Veritatis ac gloriae filij sui unigeniti Jesu Christi. & meae innocentiae. Exposui causas maximas & gravissimas Illustrissimo principi, propter quas discedere ab hac aeterna & immota Veritate caelesti non possim, & fundamenta demonstravi in utroque articulo talia, quae contra ne ipsae inferorum portae praevalebunt. Sed quia contradicere his ullo scripturae testimonio nequiverunt: ne verbo quidem uno mihi responderunt, sed perrexerunt me affligere carceribus inclementius quam antea, ijs etiam mutatis quae in medicamentorum usu antea mihi concessa & libera fuerant. Parcius enim illa mihi permittenda esse mandatum fuit: & secuta est mutatio victus quae multo quam prior deterior fuit in omnibus. Praefectus

enim

enim me pænit pene non ut hominem: erit certe ut abiectissimum hominem. Sed ignosco omnibus ex animo. Hæc de mea innocentia vobis nota esse cupio: & ut nota fiant, Deo procurante, toto pectore precor. Vos omnes ardentissimis votis, & in hac & in illa æterna & beata vita Deo commendare non desinam. Timete Dominum, obtemperate Dei, & meis quæ dedi vobis, mandatis: Diligite vos invicem ex animo, & mutuis officijs iuvate: Habete vobis commendatas sorores duas, miseras orphanas, cum filio Philippo, & date operam ut honeste elocentur. Hæreditatem, quantulacunque est, dividite inter vos amanter, servatis illis quæ antea ordinavi. Ego me totum & animam meam assiduis gemitibus commendo DEO per & propter filium Iesum Christum Dominum & salvatorem meum, in cuius confessione, adiuvante Spiritu sancto, perseverare constanter, & pie mori constitui, quandocunque Domino Deo nostro placuerit, cui servio in confessione filij unigeniti per Spiritum sanctum, expectans spem gloriæ: & adventum magni Dei & salvatoris nostri Iesu Christi. Veni Iesu Christe fili Dei & fac finem vel vitæ meæ, vel carcerum, ut te celebrem, vel cum electis tuis coram, vel cum Ecclesia tua sancta in hac vita: testis & præco veritatis & mirabilium tuorum omnibus diebus vitæ meæ. Amen.

Hæc est voluntas mea

Caspar Peucerus D. Manu propria scripsit.

Hortor etiam et obtestor Vos omnes ut gratias agatis Deo patri per filium Iesum Christum, quod & conservavit me in Veritatis confessione, & illustribus testimonijs præsentiæ suæ ostendit & declaravit mihi misericordiam suam toto hoc tempore mœrorum concursum, quos mihi sustinere ac perferre fuisset impossibile, nisi me Dominus manifesto miraculo servasset ac sustentasset. Utinam vita mihi prorogaretur ad hæc tanta beneficia vobis commemoranda: & commendandam atque præcipiendam vobis perpetuam gratitudinem erga Dominum. Inprimis autem agatis Deo gratias pro hoc singulari beneficio, quod quasi dextera sua me deduxit & collocavit in hanc viam & vocationem confitendæ & illustrandæ suæ Veritatis patefactis occasionibus, & in ea me docuit, confirmavit, ac direxit. Certus sum quod nec si triumphantur Inimici mei, refutaturi non sunt Confessionem meam. De hoc ergo, & de admirabili mei liberatione & conservatione, quod non passus est me opprimi primo impetu & contrarij: & in istis carceribus per Angelos suos me ita fovit, curavit, sanavit penitus destitutum ab omnibus, & omni solatio, consilio & auxilio humano destitutum, ut me vermiculus, nec pustula mihi molesta fuerit: Deo gratias agatis sempiternas, & in his terris omnibus diebus vitæ vestræ. Nihil moveamini hoc fato meo, quod in carcere morior. Quid mihi salutare magis? quid honorificentius? quid gloriosius accidere potest? quam si Domino meo Iesu

Christo

Christo, obsignem Veritatem & gloriam suam morte mea! Nec dubitate Deum vobis omnibus benedicturum esse post me. Hac consolatione leniatis vobis mutuo luctum, quem afferet vobis interitus meus.

Ego ad beatam migrationem paratus expecto Dominum & liberatorem meum Jesum Christum ad omnia momenta: Ut educat me ex hoc carcere, vel ad Vos, si volet me esse superstitem; vel in Ecclesiam Celestem, ut in ipsius complexu laetus patrem aeternum aspiciam ac celebrem, cum Socero meo vestro, & cum dilectissima Coniuge. Amen.

Quanto mihi dolori fuerit quod complecti mihi dilectissimam Coniugem meam, matrem vestram morientem non licuit, cum qua in castissimo coniugio vixi usque ad annum XXVII: & quod nunc mihi non conceditur mori in vestris amplexibus, & frui ante mortem aspectu & colloquio vestro & dulcissimorum nostrorum nepotum ac neptium, aestimare vobis facile est, quibus mea philostorgia nota est. Sed tales sunt nuptiae sanctorum; Scribitur Petrus Apostolus Coniugi suae dixisse cum duceretur ad mortem. Christus inquit: Si quis parentes, coniuges, liberos plus diligit quam me, non est me dignus. Oportet itaque confessionem Christi anteferri omnibus rebus humanis. Hac atroce voce Christi, & auxilio Spiritus sancti vici paternos affectus & relictis vobis adhaesi Christo, cui vos & Deo patri ex animis

inéd.

arden

ardentissimis precibus cura fore non dubitetis. Bene & feliciter Valete in aeternum. Amen.

Exemplum omnium scriptorum quae misi ad Illustrissimum principem, testamenti & haereditatis loco vobis reliqui. Id si inter scriulas meas non inveniretis, petere tamen jure vobis debitum potestis, ut sciatis in qua confessione mortuus sim. Paulatim contractus sum toto corpore, atque dolore & molestia: singulari Dei misericordia. Ex carcere, inde usque a die XXIII Martij Anni MDLXXVII, numquam sum eductus. Tentaverunt me multis modis, denunciata mihi morte, & telris carceribus. Sed Deus clementer me conservavit in veritatis suae confessione. Cui sit laus, honor, & gloria, in secula, seculorum. Amen.

Dixit Chytraeus de Philippo, Tollendum eum esse ne impediat hoc quod ipsi moliuntur: in hac ipsa causa. Quod in Socero non potuerunt, hoc perfecerunt in Genero. Sed benedictus est in secula Dominus & Salvator meus Jesus Christus, qui potens est in mea infirmitate.

DEUS ultionum appare: Exaltare tandem qui iudicas terram: Iudica causam, Vindica gloriam, Assere veritatem filij tui Unigeniti. Et tu JESU Christe Fili Dei, qui dominaris in medio inimicorum tuorum, reprime & confunde hostes tuos pertinaciter adversantes veritati & gloriae

tuae

tuis: Sanabilibus igitur sunt; Hos converte ad te in veritate tua, & sana eos. Tibi commendo & trado in manus tuas omni momento animam meam, impendens hanc vitam meam in testimonium veritatis tuae. Tu me redemisti pretioso sanguine tuo. Propter te mortificor tota die, & aestimor sicut ovis destinata mactationi. Fac finem, fac finem, fac finem, & libera me secundum contemplationem tuam. Amen.

Caspar Peucerus D.

Divino quamvis decreto nescio fati
Sit quae supremi causa futura mei:
Quod pius at, sanctus, constans, verax, placidusq.
Nec tragicus vitae sat scio finis erit.
.: C P :.

(ined)

vid.

EPITAPHIUM
Casparis Peucerj:
quod ipse sibi fecit

Jmmanem rabiem, fraudem, insidiasq. potentum,
Ex sycophantarum dira venena labris:
Pauperiem, contemtum, odia effera, conviciorum
Plaustra, domi plenos perfidiæ socios:
Carceris, exilijq. onus intollerabile, vinctus
Ore, simul lingua, corpore, mente, manu:
Hæc igitur passus propter tua dogmata Christe:
Quod Deus ex pura Virgine natus homo es:
Et λόγον atq. intexta tibi caro fœdere certo,
Jmmoti nexus unum es ὑφιστάμενον:
Quodq. tuo mentes credentum corpore pascis:
Exigua hic jaceo contumulatus humo.
Pro meritis, summaq. fide, studijq. labore,
Vix mihi telluris contigit iste sinus.

Die VI Julij
Anno 1576.

*

Me voluere mori Sycophanta, Tyrannus, Erynnis:
At contra Christus vivere me voluit.
Certatum est igitur: sed veri robore Christus
Vicit, meq. suis hostibus eripuit.
Sic vivo in Christo, vita dulce flamine sacro,
Laetus in aerumnis carceribusq. fide.

*

Cum factum tantis quod honoribus auctus ab aula
Periculis rogitas omnibus exciderit?
Velum Religio, Medinumq. Gynaecocratia,
Invidiae varias causa erat ut vuerit.
Impulsa hostili livore Gynaecocratia
Insontem oppressit relligione virum.

vacat

LIBERATIO D. PEUCERI EX CARCERE LIPSENSI

MDLXXXVI

M febr.

Mitto tibi teipsum, Vir summe, in ea tabula expressum, quam vere dixerim totius verae Theologiae ἐπιτομήν: tam accurate, solerter, distincte descriptam, ut nihil absolutius in hoc argumento, repetito ab ultima usq. vetustate, id est ab ipsius mundi initio, & toto omnium seculorum decursu, breuiore simul & magis perspicuo compendio scriptum legerim, ut mecum iudicaturos omnes aequos lectores spero. Patere me igr, totius Ecclesiae nomine, a te impetrare postulantem, ut quaecunq. habes eiusmodi nobis non inuideas.

- Ecclesiam Dei veram, omni tempore
  - ante missum & exhibitum Christum Messiam in carne nostra
    - ante diluvium & ante repetitam promissionem de ven-turo semine Abraha-mo conditori & propaga-tori stirpis Messiae, atque institutam cir-cumcisionem
    - post diluvium & repetitam Abraha-mo promissionem: atque institutam cir-cumcisionem
  - post missum & ex-hibitum Christum Messiam in carne nostra
- SOLA FIDES co-ram Deo semper iustificavit: amplexa personam
  - PATRIS: atque eius gratiam & misericordiam: excludentem dignitatem personae cuiusque creaturae quae non est Deus
    - Nostram pro-priam
    - Alienam
      - quia Deus non est προσωπο λήπτης. In Ecclesia: A.
  - FILII: atque eius inter-cessionem, meritum & iustitiam: quae excludit
    - fiducia promissio-nis de Messia: spesque adventus eius in carne:
    - fiducia exhibiti Christi Messiae in carne
      - omnes intercessio-nes alias: simulque omnem fiduciam B.
  - SPIRITUS SANCTI: & virtutem S. Sancti efficacem liberrime, in quibus vult, & quae vult mensura fidei, virtutis & donorum: exclu-dentem in omnium tem-porum Ecclesia
    - Cuantum ad Spiri-tum Sanctum ipsum: C
    - Cuantum ad nos: & vires omnes
      - Nostras D.
      - Alienas F.

A

- Primorum parentum ante Diluvium & Abraham: q̃ a Cainica multitudine fuit distincta
  - Doctrina de vero Deo patefacta primum in Creatione rerum omnium: mox iterum post lapsum in promissione promulgata ac tradita Adae in paradiso de venturo semine mulieris, quam haud dubie multis alijs pate ×
  - Sacrificijs incensis saepe caelitus: sed omni tempore ad hunc verum & patefactum Deum, fide promissionis ac venturi seminis spe directis.
- Israëlitica: sub circumcisione: cuius membra fuerunt
  - Circumcisi
    - Israelitae ex posteritate Abrahae
    - Proselytae: asciti ex Ethnicis, solius caeremoniarum
  - Incircumcisi: ἄνδρες εὐλαβεῖς καὶ σεβόμενοι.
- Christiana: post Christum natum, passum & resuscitatum: collecta ex
  - Iudaeis
  - Gentibus

× patefactionibus & testimonijs perpetuae Dei praesentiae cum sanctis patriarchis, ijsdem repetita atque illustrata est, ut testantur exempla Cain & Abel: dictum Enoch recitatum in Epistola Iudae: historia Noha &c.

B

- meritorum & Iustitiae operum
  - nostrorum: a nobis praestitorum
    - Seu mandatorum a Deo
      - moralium
      - Ceremonialium
    - Seu
      - arbitrio cuiusque excogitatorum
      - auctoritate publica humana traditorum
  - alienorum: quae quomodo aut fieri opponi in iudicio Dei, & pro alijs applicari possint
- Operis operati: nitentem operantis
  - nostris
  - alienis.

E

E. In Ecclesia omnis aetatis.

- Primorum parentum & Patriarcharum.
- Israelitica & Iudaica
  - ante captivitatem Babylonicam: Hypocrisin & iustitiam omnium operum
    - mandatorum legalium
      - moralium
      - Leviticorum.
    - non mandatorum, sed contra prohibitionem electorum sponte receptorum in
      - Lucis
      - Excelsis & similium aliorum.
  - post reditum ex Babylone: eodem modo Hypocrisin omnium & operum omnium iustitiam Pharisaicam
    - in mandatis
    - in sponte electis aut similibus humana autoritate
- Christiana: Omnes enim sectae quotquot fuerunt in Ecclesia post Christum habuerunt communem errorem de iustitia operum. Nimirum homines esse iustos coram Deo sua dignitate, suis operibus & meritis: ex toto aut parte: qualia sunt
  - ante pontificias tenebras, ut pomona recensam
    - Origenica
    - Novatiana
    - Catharica
    - Pelagiana
    - & innumera alia
  - post initium tenebrarum pontificiarum: Curiae Romanae, in eadem
    - Pelagiana
    - Scholastica: ex Pelagianis simplex
      - Merita de congruo, de condigno, praeparatoria & dispositoria virium humanarum ad gratiam infundendam receptionem.
      - traditionum humanarum autoritas & potestas
    - Monastica
      - opera & merita sanctorum
      - opera indebita & supererogationis
      - satisfactiones Canonicae

Necessitatem omnem Stoicam.
Omnem coactionem violentam.
Raptus & afflatus omnes Enthusiasticos & Swenkfeldianos.

C

Impressiones, affectiones, conversiones, mutationes omnes Flacianas, physicas, brutas, mere passivas, hostiliter repugnantes, cum sensu peragendas sed sine motu in hominibus obitas, & nihil agentibus.
Infusiones novae qualitatis pontificias, iustitiae inhaerentis, Essentialem iustitiam Osiandricam, infusiones similes Flacianas novae qualitatis, velut in vacuos urceolos, & similia deliria alia.

D Nostras. Non ut non adsint, aut si adsint, ut nihil agant, tanquam homo sit brutum irrationale, otiosum, pure passivum, & tantum convertibile subiectum, sentiens at nihil agens, ut Rana hyberno frigore enecta in tepore verno: aut prorsus tanquam lapis & truncus: aut quod perpetuo adversatur, hostiliter & pertinaciter repugnat: qualia habent Flaciana deliria. Nec quasi sua vi insita & naturali agant aut cooperentur, ut Pelagiani docent. Sed quod nihil agunt

agunt ex se & sua natura spiritualē, Deo placens, & salutare, ac necessarium ad salutem aeternam: Etsi huius organon sunt, sed illuminatum & vivificatum à spiritu sancto. Virtus enim tota est donum & efficacia spiritus sancti, sine tamen coactione & raptu, liberrimè efficacis quanta sunt mensura fidei & virtutis in cordibus, & per media ordinata ministerij verbi & sacramentorum: Inque actione ipsa, & usu ordinato atque legittimo. Et quidem est.

ficientis { velle / perficere } per fidem { iustificantem / Renovantem }

Sed inde usque a principio, in seria, vera & perpetua lucta cum carne & omnibus eius corruptis viribus, cum Diabolo, & mundo. Vita enim hominis pij est perpetua conversio, in perpetua lucta, fiducia promissae misericordiae, propter filium, virtute spiritus, reprimens peccatum, ne regnet in hoc mortali corpore nostro. In qua lucta qui vincunt salvantur: Qui succumbunt, pereunt.

F. Alienas
- Ministrorum
- Mediorum

Utrorumq. commentitias, ex mutatione

- substantiae
- virium insitarum

in novas

- substantias
- vires spirituales

per Verbi H:.

H:
- pronuntiati sermonis
- picti characteres

Exequentes sese efficacia secundum haec commentitia: vere magica

- in homines primis, cum quisquis.
- in res alias quascunque

falsa persuasione ex diaboli fascino.

C. P.

Glossa D. Martini Lutheri
super sententias patrum de
Communione Calicis exhibitas
[illegible] a D. Philippo
Melanchthone.

Ex ipsissimo utriusque autographo
quod habet in manibus suis
dn. D. Casparus Peucerus, gener
[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] { [illegible] { [illegible] { [illegible] { [illegible] { [illegible]

{ [illegible] { [illegible] { in homines pravos [illegible] { [illegible] Ex Bibli [illegible]

C. P

Non ed.

Glossæ D Martini Lutheri
super sententias patrum de
Controversia Cœnæ, exhibitas
ipsi à D Philippo
Melanchtone.

Ex ipsissimo utriusq. autographo
quod habet in manibus suis
dn. D Caspar Pencerus: quodq.
ego vidi oculis meis.

bona fide descripta
à D R.

JMonan

TTT

Augustinus contra Adimantum cap. 12.

Non enim Dominus dubitauit dicere: Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui.

Sic sanguis est aīa & signum aīe; si inclusum, et p̄sentis. Nam hoc agit, et cogitat ibi. Tu crassis loqr infra, Petra erat Chrs &c.

August. Psalmo 98.

Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui.

visibile, et palpabile.

Tamen in spiritu verissimē illud ipm corpus manducamus qd occisum est. visibilem.

Dum facit rei: inclusae sed rei vel p̄sentis, vel mystice; extraneae & Eccliae

non sequitur nō ēe corpus, sed sacro & velamine.

Et hic verbo cōmendationis aliquo utitur. Commendauit nobis isto sacramento sanguinem suum, et corpus suum.

Hoc pro nob.

Prosp.

Sicut ergo coelestis panis, qui Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cum revera sit sacramentum corporis Christi, illius quod visibile, palpabile est, in cruce positum est. Sic immolatio quae sacerdotis manibus fit, passio est non rei veritate, sed significante mysterio.

i. sub specie et sacro et pug.

i. panis operculum

i. verum

i. passio Christi

visibiliter

impleta fuit facta fit.

Carne et sanguine inuisibili, spuali signatur visibile corpus Dni. 2.

sub sacr.

impleta est

sub pane

i. veru

fuit in cruce.

3. de dra Christiana de figuris.

Ipse Dominus et Apostolica tradidit disciplina baptismi Sacramentum et celebrationem

corporis et sanguinis Dni

quæ unusquisq cum percipit,

quo referantur imbutus agnoscit.

Ut aut literam sequi et signa

pro reb. his quæ significant

accipere, seruilis est

infirmitatis.

Item.

Nisi manducaueritis &c facinus

vel flagitium videtur iubere.

Figura est ergo pcipiens passioni

Dnicæ esse coicandum. et

suauiter et vtiliter recodendu

in memoria.

855.

8

Contra Adversariu
legis Tomo 6
pag. 439.

Sacramenta id est sacra signa
Chrm carnem suam nobis
dantem fideli ~~ore et~~ corde
et ore suscipimus. Atq
in omnibus scripturis secundum
fidei regulam figurate
dictum vel factum si quid
exponitur de quibuslibet
rebus et verbis, non
aspernatq, sed sapienter
audiamus.

de c[ar]ne
ut comedatur
spiritualiter.

Aug. contra Faustum
lib. 20. p. 261.

Huius sacrificij caro et sanguis, ante aduentum Christi per victimas similitudinum promittebatur. In passione Christi per ipsam veritatem reddebatur. Post ascensum Christi per sub signo Sacramentum memoriæ celebratur.

Tn vocat carnem et sanguinem.

Ad Bonifacium.

Nonne semel immolatus est Christus in seipso et tamen in sacramento quotidie immolatur. Sunt enim Sacramenta similitudines quaedam, ~~ita~~ secundum quendam modum, Sacramentum corporis Christi corpus Christi est.

Aug. de fide ad Petrum.

Tempore veteris Testamenti
animalia sacrificabantur.

Tempore novi Testamenti
sacrificium panis et vini;
in illis figuratio fuit
carnis Christi, qui erat oblaturus.
In hoc autem gratiarum actio et
commemoratio carnis Christi est.

alioqui meliora fuisset sacrificia illa quam nostra.

In Johannem.

Illum panem Christum significavit
manna, hunc panem signi-
ficavit altare Domini. Sacramenta
illa fuerunt, in signis
diversa sunt, sed in re quae

Hec nihil ad nos, imo pro nobis. nam dicit hunc panem eundem et varia significata fuisse.

~~illa vetera~~ signa panis significata.

Significatur, paria sunt.

Qui non manet in Christo

proculdubio nec manducat

eius carnem, etiamsi — si mystice

tantae rei sacramentum — i. corp. Christi

sibi manducat &c.

Hic est ergo panis, qui

de coelo descendit, ut

si quis manducauerit

ex ipso, non moriatur.

Sed qui pertinet ad — i. panis mystici

virtutem sacramenti, non — coin

qui pertinet ad visibile — et ad praesen.

sacramentum.

Augustin.

Quo die voluit, in coelum
ascendit, illuc
levavit corpus suum, unde
venturus est, ut judicet.
Quomodo est ergo panis
corpus eius? Ista fratres
ideo dicuntur sacramenta,
quia in eis aliud
panis videtur, aliud sc. corpus corpus mysticum intelligitur.
Quod videtur speciem habet
corporalem; quod intelligitur
fructum habet i. coiez (?) spiritualem.
Corpus ergo Christi si vis
intelligere, Apostolum audi
dicentem. Vos estis corpus
Christi et membra. ergo

Ecce corpus Christi mysticum.

vos estis corpus Christi et
membra mysterium vestrum (i. tali corporis mystici ibi repraesentalis)
in mensa positum &c.

Ambrosius ad
Corinthios.

Quia n. morte Domini
liberati sumus, huius
rei memores in edendo
et potando carnem et
sanguinem, quae pro
nobis oblata sunt,
significamus.

Significando scilicet commemorando et repraesentando vel fatemur pro nobis oblata quae editis carnem et potatis sanguinem.

Testamentum quod sanguine (animalium Ebr. 9.)

constitutum est, in cuius veteris sanguinis
Typum nos calicem mysticum sanguinis Christi et myst.
percipimus.
Ante benedictionem alia species
nominatur, post benedictionem
corpus significatur. si nolis seu confitearis
non in re ipsa et sibi.

Tertullianus lib. 3.
contra Marcionem
ubi non legitur
de figura Geometrica
sed alio loco.

Sic n. Deus in Euangelio quoq vestro
revelavit, panem corpus
suum appellans, ut et hinc
jam intelligas corporis sui
figuram, panem dedisse, corp. Geometrica
cuius retro corpus in panem
propheta figuravit.

i. dixit fore speciem corp.

512

Irenaeus lib. 4. cōtra Valent.

Sed et suis discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ne ipsi ingrata essent, cum qui creatura panis est, accepit dicens: Hoc est corpus meum, Et calicem siliter qui ex ea creatura q̄ est scdm nos suum sanguinem confessus esse est ergo est, et non signum et novi testamenti novam docuit oblationem non figuris quam Ecclia offert Deo, qui alimenta nobis pstat primitias suorum munerum.

Origenes in Matthæum et Leviticum.

Allegoricus nimius.

Panis est verbum Justitiæ quem manducantes aīæ nutriuntur.

Potus autē est verbum agnitionis Chri.

Caro eius verus est cibus id est verbum.

more suo hystoriam fugiens.

Agnoscite q̄ figuræ sint q̄ et in novo testamento sit lrā occidens. Hæc in Levitico diserte de figura admonet.

More suo Ergo non ſi ei fidi.

313

In veteri Canone

græco.

προσθέντες ταῦτα τὰ
sub quibus vera iustitia et figura corporis.

ἀντίτυπα τοῦ σώματος

similis figura 1. Petri 4.

καὶ αἵματος. ∴ similitudinem.

Epiphanius.

ἐν ταῦθα δὲ ἐν Χριστῷ

ἰσχυροποιούμεθα διὰ

τὴν δυνάμεως τοῦ

ἄρτου, καὶ τὴν τοῦ

ὕδατος ἰσχύος

ἵνα οὐκ ἄρτος ἡμῖν

γένηται δύναμις

ἀλλὰ δύναμιν ἄρτου
καὶ βρώσεις μετὰ ὁ ἄρτος
ἤδε δύναμιν ἐν αὐτῷ
ἐν ζωογόνησιν,
καὶ οὐχ ἵνα τὸ ὕδωρ
κρέας καθαρῇ μόνον
ἀλλ' ἵνα ἐν ἰσχυΐ
τοῦ ὕδατος διὰ τῆς
πίστεως καὶ εὐεργεσίας
καὶ ἐλπίδος.

A13

Textus Ev.^ lii clarus
Dicta prum consona
Eccle consensus vetus et ulis

Cum e nihil sint Tmo dicta qum prim q obscura et incerta recipiunt comoda glose. Nec tutum est istis fidem incertis, Et relinquere illa certa. Conscien. n. postea non feret, si traxerim tot pplos in nouum opiois tam infirmis dictis q tam firma.

Glosa aut e pus loqui de significatione primum rei pssetis Et non sit negare gratias q Capernaitas sensuales p fide. Dato q hypocritas sine certe aredicitas de n ~~extrema~~ mystica pro certe significate per Sacrm.

Non ipsi cogitabat de signo corp absente sic nos.

Et pius sic Origenes libent Allegorica et figurata sectatus, Ideo nihil probat figura.

Altera species cui tolerata sit Sacramus, Ad prohibere q sud utriusq quis sit consentire. Nam ista prohibitio nonum crimen, et blasphemia est in Deum et p.tr illud negledere vel potius rapere utriusq spei.

Et est negare Deum, et rejicere eius dona.

Tractatus de Cena Domini
in gratiam Illustrissimorum
Ascaniae principum con-
scriptus.

authore
Caspare Peucero D.

MDLXXVIII

515

Textus Cui [illegible] clarum
Dicta pro [illegible]
[illegible]

Cum [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible]

Glosa [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
Non [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Tractatio de Cœna Dominj: in gratiam Illustrissimorum Ascaniæ principum conscripta.

authore Casparo Peucero D.

M D L X X X V I I I

:: DE COENA DOMINI ::

Caput primum.

Certissimum est, immane illud & funestum bellum de cœna sacra, quo nunc concutitur & conflagrat orbis Christianus, iusto iudicio Dei, ut fatali pœna abominandæ idolatriæ quæ viguit in Ecclesia Romana à sophisticis scholasticis defensa, & cuius nervi adhuc stabiliuntur: Illud, inquam, bellum certissimum est primæ, puriori & orthodoxæ Ecclesiæ fuisse penitus ignotum. Nunquam in illa quæsitum, disputatum nunquam est de pane, Utrum sit? multo minus affirmatum est quod sit verum, reale, naturale, essentiale, substantiale corpus Christi, ulla quacunque ad panem veri, viniq. corporis alligatione. Sed sensit orthodoxa Antiquitas uno consensu usque ad Gregorij Magni Romani Episcopi tempora idem quod Paulus; panem & vinum citra ullam mutationem substantiæ aut virium, citraq. connexum ullum, aut copulationem cum præsente corpore & sanguine physicum, aut hyperphysicum, miraculosum, magicum, qualis novo deinceps commento sub titulo & velo unionis sacramentalis introductus est, manere panem & vinum: in usu autem legittimo & instituto κοινωνίαν seu communicationem, vel communionem esse τοῦ ὄντως ὄντος σώματος, ut Theodoretus loquitur, id est corporis vere existentis, qua, cum obsignatione fidei de beneficijs omnibus incarnationis, passionis & meriti Christi, efficimur socij, & socia membra unius corporis Christi mystici, id est Ecclesiæ, cuius ipse caput est: vera etiam et viva membra veri & vivi corporis ipsius, in

sertione

sertione tamen seu implantatione, non naturali, non contactu mutuo & coalitu corporum materiali, sive physicus is sive hyperphysicus fingatur, sed spirituali, id est virtute vera & efficaci spiritus sancti liberrime agentis in hominem ut in creaturam rationalem, considerantem, intelligentem, amplectentem, & per virtutem spiritus fide sibi applicantem quae symbolis, tanquam visibili verbo, propter & secundum verbum designantur, docentur, denunciantur & offeruntur; virtute spiritus autem secundum promissionem exhibentur spiritui mentis ut parti & facultati ἡγεμονικῷ, ad vitam non praesentem, animalem, corpoream, sed novam, sanctam, aeternam, spiritualem, in actionibus novis, spiritualibus, perpetuis, & ad profectus atque incrementa huius vitae quae hic inchoatur & complebitur in beatis in omni aeternitate. Qui Domino adhaeret, unus spiritus est, inquit Paulus. Vere credentes adhaerent Domino, ut palmites viti, ut surculi arbori, ut membra corpori, sed coalitu spirituali per fidem, uno eodemque spiritu agente & efficiente in credentibus secundum mensuram donationis Christi, quod in suo corpore efficit per eundem Spiritum, sed οὐ κατὰ μέτρον. Transformamur enim in eandem imaginem ex gloria in gloriam, tanquam a Domini spiritu, ut ait Paulus. Hunc solum praesentiae modum in homine, ut per totum ministerium, quod propter solum hominem institutum est, & pro Ecclesia, hoc fine ut per illud doceat Deus & communicet se nobis & sua aeterna beneficia, eo ordine & discrimine personarum & rerum, quod verbo ex-

primitur

517

primitur, sic per sumtionem consecrati panis & calicis, uno consensu scriptura tradit disertis & perspicuis testimonijs. Et iuxta scripturam hanc esse & fuisse antiquitatis primae & Ecclesiae purioris propinquae Apostolorum temporibus doctrinam & sententiam, omnes coguntur fateri, qui non aut sponte accersita pertinacia vel caecucinant, uel contemtum & agnitionem veritatis recusant, aut illi Diabolico furore refragantur. Hoc propter Orthodoxi patres ut imaginationes Capernaiticas & physicas aut hyperphysicas omnes auerterent, & occasiones omnes somnijs humanis praeciderent: Graeci quidem media externa panis & vini σύμβολα καὶ ἀντίτυπα vocarunt, testibus Irenaeo, Clemente Alexandrino, Dionysio Areopagita, Iustino Martyre, Macario, Origene, Synodo Nicaena, Athanasio, Basilio, Nazianzeno, Epiphanio, Theodoreto, Chrysostomo & pluribus alijs: Latini signa & figuras vocarunt, testibus Tertulliano, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Prospero & alijs. Symbola autem & signa vocarunt non momentanea alicuius, sed perpetuae praesentiae corporis & sanguinis Christi, non in medijs pane & vino, sed in homine utente medijs & fide apprehendente atq. applicante sibi quae offeruntur & exhibentur. Actio externa tota cum symbolis ut res terrena, symbolum est actionis totius internae quae in sumentibus fide, à patre, per & propter filium in virtute spiritus sancti ut opificis, sed actu liberrimo perficitur, & communicatione bonorum aeternorum, ut rei caelestis: quibus duabus rebus εὐχαριστίαν constare Irenaeus testatur. Formalis ratio Sacramentorum in actione consistit, non in

in motis solis quocunq. modo mutatis. Sacra cœna tunc est sacramentum, cum concurrunt omnes hæ causæ: foris, minister distribuens lege & ritu institutionis symbola, panem & vinum: homo accipiens, comedens & bibens ore: intus tota trinitas virtute spiritus sancti pascens credentis corpore & sanguine Christi, ut effectu & fructu sit mantu & potu spirituali, ad vitam novam, spiritualem: & obsignans hoc quasi sigillo fiduciam promissionis, atq. omnium beneficiorum Christi & tanquam pignore perpetuam præsentiam Christi per fidem habitantis in cordibus: Deniq. cum tota actio dirigitur ad hunc finem & ad id consequendum, cuius gratia sacramentum institutum est, & non ad alium. In hac analogia externorum ad interna sola consistit ratio tota unionis sacramentalis, & in nulla re alia, qualemcunq. alij inter symbola & præter in symbolis corpus & sanguinem comminiscuntur. Unde autem exiterit, & quibus occasionibus, ac quo tempore opinio de oblatione in cæna sacra in Ecclesia irrepserit: & ex ea quomodo cæna sacra in sacrificium sit conversa? & unde ratio sacrificij sit extructa: unde fundamenta illius petita sint? Quomodo deniq. vetus & sincerior doctrina corrupta sit? quibus partibus, postea exponam, si prius tamen statum controversiæ definiero, & orthodoxam sententiam exposuero.

Caput Secundum.

Ante omnia statum controversiæ in hoc certamine oportet recte definiri

finiri. Certum est autem quæri præcipue ac principaliter de tertio gradu præsentiæ Dei, qui proprius est Ecclesiæ in hac vita, quo colligit sibi filius Dei æternam Ecclesiam & hæreditatem ex vniuerso genere humano disperso per totum orbem terrarum, ministerio verbi & sacramentorum. Qualis sit illa præsentia: Quomodo filius Dei, Rex, Mediator & Sacerdos æternus præsens & efficax in ministerio verbi & sacramentorum, per externa & sensibus obuia media, verbo tamen ordinata ac præcepta, denunciet, offerat, exhibeat & applicet beneficia sua, & communicet seipsum viuis Ecclesiæ membris, secundum fœdus nouum, pactum & promissionem: Denique quomodo (vt scriptura loquitur) habitet in credentibus. De hac quæstione quicquid vllo vnquam tempore in Ecclesia motum ac disputatum est, id omne in tres discrepantes sententias contrahi potest; duas extremas falsas & commentitias, tertiam mediam inter has expresso Dei verbo traditam. Extremarum & falsarum opinionum vna est euacuantium ordinata media penitus, idest eorum qui negarunt & negant omnem per verbum sonans auditum, lectum, cogitatum, & per media ac symbola sacramentorum præsentiam & efficaciam Dei in homine. Talia sunt deliria Papisiaca, Anabaptistica, Swenkfeldiana, & vniuersum Enthusiastica, ac fanatica omnia somniantium, Deum se patefacere & communicare per afflatus aut raptus immediatos: Verbum ac Sacramenta exercitia tantum esse externi hominis. Horum aliqui actionem totam in

sacra

sacra cœna imaginantur theatricum & inane spectaculum esse, simile tragœdijs de Hercule aut Theseo, in quibus mortuorum & absentium fit repræsentatio, recordatione sola & commonefactione utilis. Alij, ut profani omnes, cœnam sacram, sicut baptismum, & olim circumcisionem imaginantur tantum esse signum externæ professionis, & societatis cum Ecclesia tesseram: Nec aliter circumcisionem olim populum Israëliticum à gentibus, nunc Baptismum & Cœnam sacram Christianos discernere à Iudæis & Mahometanis, quam toga discernebat civem Romanum ab homine græco. Horum iam olim in Ecclesia orthodoxa veteri & nostri seculi confutata sunt, explosa, & damnata deliria. Altera aberrantium à medio vero opinionum in alteram partem vergit & peccat, estque illorum qui præsentiam statuunt in medijs & symbolis ipsis, sed talem quæ fiat mutatione substantiæ, aut facultatis seu virtutis mediorum in aliam novam spiritualem: aut novæ substantiæ ad priorem annexu, accessione: vel impressione novæ virtutis: aut utroque modo potius, cum sine proprio subiecto nulla existat, nulla efficax sit δύναμις. Hanc præsentiam, ne in physicam incurreret aut magicam, architectis ac defensoribus miraculosam mentiri, & hyperphysicam: ac virtuti efficaciæque peculiari verbi & omnipotentiæ divinæ tribuere libuit. Ex hoc genere sunt omnes magicæ præstigiæ Curiæ Romanæ, quibus fingitur ad recitationem certarum & conceptarum vocum aut precum incantatorio more, nova natura vel vis spiritualis & omnipotens aut indita scriptis, pictis, sculptis

verbis

Verbi characteribus, ut Evangelij Ioannis Cap. 1, externisue alijs medijs Sacramentorum: aut inesse per se verbis, propter Deum autorem, quam prolata verba derant in eas res quae his consecrantur pronunciatione sola; Unde emersit illud infinitum ac monstrosum chaos abusuum teterrimorum ac vere magicorum verbi & [Sacramentorum] symbolorum in Sacramentis apud pontificios, & consecrationum nihil ab incantationibus differentium, quibus finxerunt salem, oleum, aquam baptismi, panem sacrum, calicem, & alias res creatas, aut substantia aut viribus, aut effectibus mutari in spirituales & hyperphysicas conversione miraculosa & spirituali, ad miraculosos & hyperphysicos effectus, illitu, aspersu, alligatione, gestatu, mansu, haustu &c ad delenda peccata, ad fugandos Daemones, ad arcenda & avertenda pericula vitae, ad sanandos morbos animi occultos, corporum manifestos, & quicquid huius generis est amplius. Ex horum numero est et commentum illud pontificium, quo introducta est inclusio carnis Christi, praesentia substantiali, in panem consecratum: alijs μετουσία alijs συνουσία, tam inveterato errore, tam caeca obstinataque dementia, ut nodum hunc tueri ac propugnare violenta sophistica & crudelitate immani certent Pontificij, & eorum nunc confoederati & servi Lutherani & Pseudolutherani: diversissimo quidem des inter se molimine argumentorum, id est imposturarum; fine tamen eodem, nempe ut Idoli ratio, fundamentum & nervus in consecrato pane his, quicquid inficientur: illis & idoli

&

& regni pontificij maiestas conseruetur ac stabiliatur. De hac qualis in pa„
ne sit: quando ceperit: & quibus occasionibus: & ad veram præsentiam quo„
modo congruat, ostendemus narratione historica, cæteris incantationibus o„
missis, de quibus satis ab alijs scriptum est. Tertia inter utramq. media,
orthodoxa & vera eorum est, qui cum scriptura affirmant, quod ministeri„
um verbi & sacramentorum, & præsentia Dei in hoc vna & singularis, à præ„
sentia in ordine rerum natura creato diuersa, sit instituta propter genus
humanum, certo expressoq. Dei verbo in hunc usum & finem, ut per illud
denuntientur, offerantur, exhibeantur, & applicentur generi humano bene„
ficia filij Dej: Et hoc modo colligatur, regeneretur, & conuersa ad Deum
instauretur ac sanctificetur Ecclesia, futura hæreditas filij Dej ad vitam
nouam, sanctam, spiritualem & æternam, in qua habitet Deus, & communi„
cet sese fide acquiescentibus in apprehensa misericordia, & filium amplec„
tentibus: quod præsentia sit in ijs qui vocantur & in cœtu vocatorum
hoc propter ordinata, regularis, perpetua, vnius modi tam in Sacramen„
tis quam in verbo, liberrima, spiritualis. Quod exerat se virtute, actione,
& efficacia liberrima, in quem vult hominem, nec in rem ullam aliam:
Sed nec per contactum, adnixum, effectum & qualitatem mediorum cum ho„
mine aut materialem & physicum aut hyperphysicum, multo minus ma„
gicum: Sed virtute spirituali, efficaci in vero, ordinato & legittimo me„
diorum vsu: Et quidem in actione, id est in hominem, non ut in
truncum

truncum, aut in brutum, actione & passione physica & bruta; Nec ut in subiectum habens se pure passive, otiosum, convertibile quidem nihil tamen agens, eo usque donec sufficienter mutatum seu conversum sit: sed ut in creaturam rationalem, habentem organa & facultates rationis & liberae voluntatis, quamquam corruptam peccato, eoque ex sese & sua vi prorsus invalida ad aeterna bona intelligenda ac percipienda cum fructu, talem tamen, ut luna & nova Spiritus sancti luce accendi, ac virtute cieri, moveri & agitari & vi illius virtutis secum ipsa, cum Diabolo & mundo luctari, & insita vitiosa, aut immissa vel obvia reprimere, elidere, vel emendare possit. Quod Spiritus sanctus luna quidem & efficaci virtute cieat, sed absque impetu & raptu violento, & absque coactione. Quod conversio fiat non ad homine vitam physicam & animalem, nec affectione & mutatione naturae, corporum, temperamentorum, facultatum materiali, bruta, physica, aut hyperphysica: nec evulsione aut extirpatione physica radicis peccati ex vitiosa carne: sed renovatione vivifica, spirituali, singulis viribus conveniente, eo ordine quo vires conditae sunt, in auditu & lectione verbi, in usu sacramentorum, in utrorumque consideratione ac meditatione seria & ardente, secundum verbum & promissionem, ad vitam novam, sanctam, spiritualem, aeternam, congruam ordini & voluntati divinae, iuxta verbum patefactum, in vera agnitione, ad imaginem eius qui condidit nos: in sincera fide, qua iustificamur, id est reconciliamur cum Deo, fiducia misericordiae Dei patris, et obedientiae ac meritorum filii, induti Christo, id

id est, vestiti eius iustitia per fidem, & donati remissione peccatorum, Spiritu sancto, & hereditate aeterna vitae. In iustitia & sanctitate vera: in actionibus novis, spiritualibus, per omnem vitam quae in homine pio nihil est aliud quam conversio perpetua ad Deum, in perpetua agnitione, deploratione, ac deprecatione innatae infirmitatis ac pravitatis, & lapsuum multiplicium, cum conatu serio atque ardenti, & perpetua lucta in virtute Spiritus cientis ac regentis, cum insita pravitate, & peccati radice, nunquam ociante aut quiescente in singulis viribus: in mente cum tenebris, ignoratione Dei, dubitationibus, aliensis, aberrantibus & impiis opinionibus de Deo: in voluntate aversa a Deo cum contumacia repugnante Deo, odiente ac fugiente Deum, diffidente Deo, quaerente praesidia sine Deo: in caeteris viribus caeco, aut bruto impetu ruentibus, aut impellentibus voluntatem contra ordinem divinum in verbo propositum, & contra Spiritum sanctum. denique cum mundo & Diabolo: In qua lucta qui virtute Spiritus sancti, fiducia filii Mediatoris vincunt ac perseverant, ii salvantur: Cum negligentia, ocio, securitate, voluptatibus, curis & cupiditatibus honorum, dignitatum, opum potentiae mundi negligunt vel effundunt, vel hostili rabie, furoribus manifestis, pertinacia immedicabili repellunt aut exulant Spiritum sanctum rectorem, & vivam eius virtutem, sive sua pravitate id faciant, sive mundi aut Diaboli impulsu aut persuasu, ruunt in exitium aeternum.

Quod in tota vita hominis pii, inde usque a principio primo regenerationis

nis semper concurrant hæ tres causæ, Spiritus sanctus movens: Verbum & vo-
luntas seu vires humanæ, quælibet agente suo loco & ordine, quod suum
est. Viribus humanis incitatis à duobus principijs contrarijs: Uno innato pra-
vo: altero adventitio novo Spiritus sancti: & in certamine, ac lucta per-
petua peragentibus quod bonum & rectum est Victoria spiritus: quod pravum,
Victoria carnis ex sese, aut Diaboli & mundi impulsu. Præterea affirmant
ijdem orthodoxi, quod tota trinitas præsens & efficax ~~est~~ adsit in verbo &
Sacramentis, eo ordine personarum, & in actionibus eo discrimine quod Verbo
patefactum & traditum est. Nimirum, quod Pater adsit, ut principium,
fons, & causa prima reparationis, atque instaurationis generis humani, accendens
& augens fidem per verbum, & obsignans ac confirmans eandem per sacramenta
ut sigilla, in luce filij, & virtute Spiritus sancti, recipiens in gratiam ac do-
nans remissione peccatorum, luce, iustitia, & vita nova & æterna, & Spiritu
Sancto, cum sit certissima hæreditatis æternæ reconciliatos sanguine filij,
per & propter eundem. Filius verus Deus & verus homo adest & efficax
est ut Mediator & Sacerdos perpetuus, applicans merita obedientiæ, passio-
nis & mortis suæ, tegens umbraculo iustitiæ suæ, interpellans pro nobis,
placans iram patris, sonans ac lucens per verbum & Sacramenta in cordibus
audientium & utentium, accendens & confirmans fidem qua habitat in cordibus,
communicans sese, & pascens participatione sui corporis & sanguinis, agensque
& efficiens in nobis, sicut vult in singulis κατὰ μέτρον, qui in suo

Corpore

corpore efficit ὃν κατὰ μέτρον, obsignansq. sua beneficia virtute spiritus, & dicens perpetuam consolationem, qua eripit ex terroribus Diaboli, mortis, inferni & mundi. Adest filius Dei totus utraq. natura, sed secundum utriusq. proprietates, & modo utriq. conveniente ac proprio, eo scilicet quem Scriptura tradit, & agente utraq. quod suum & proprium est. Nec agit divina natura in, cum, & per humanam, quae sua & propria sunt, & quorum humana capax non est, tanquam per organon quod participatione deitatis, aut Deitati propriorum sit συνεργὸν ἢ συναίτιον. Talis enim participatio conversio esset humanae naturae in Deitatem: nec sine ea fieri posset. Adest denique non praesentia in pane aut homine suae carnis verae, realis, naturalis, substantialis ex communicatione reali (quam fingunt) sine essentialium proprietatum cum pane aut humana natura, sive actionum sibi propriarum: nec per contactum, mansum, pastum, actum, effectum aut coalitum cum pane aut homine materialem, physicum, vel hyperphysicum, & invisibilem corporis, quod corpus non est: Distribuitur etiam non in proprietatibus assumptae naturae corporaliter aut hyperphysice: sed adest, distribuitur, & agit secundum ordinem ac promissionem verbi, in hominem ut in creaturam rationalem, virtute spirituali ac liberrima Deitatis, & vivus eius denique praesentis Spiritus, quo & ipsum corpus Christi vivificatur, & eidem tanquam viti vivae credentes inseruntur ac cooptantur insitione efficaci & viva, ac cohaerent atque coalescunt illi cohaesu & coalitu vero & vivo ut palmites

tes, ut membra, trahentes & haurientes ex eo fide succum nutricationis spiritualis vitae, qui derivatur ex eo tanquam capite & vite, ex Deitate, ut fonte per corpus tanquam per organon & canalem mediante spiritu. Caro Christi enim vivifica est, quatenus per fidem, in virtute spiritus (non enim alio modo cum ipsa vera & essentiali carne Christi coniunctio fieri potest) carni eius inserimur & unimur. Tunc vero & spiritum Deitatis τοῦ λόγου participamus, qui nos vivificat, etsi neque eadem mensura neque eodem modo (cum pote qui τῷ λόγῳ uniti non sumus, sicut illi assumpta caro unita est) sed tamen nos sed tamen nos ad vitam aeternam, sicut suam sibi hypostatice unitam carnem seu humanam naturam vivificat. Non enim caro Christi est causa illius vitae ἐνεργητικὴ seu efficiens, quae virtus & potentia tota est solius Deitatis τοῦ λόγου, neque assumptae carni communicatur reipsa & essentia, ne λόγος qui Deus est aequalem sibi creaturam fecisse, atque ita novum Deum procreasse putetur: sed tantum medium est quoddam primarium, & canalis, per quem propter ὁμοουσιότητα cum nobis & propter opera redemptionis ac reconciliationis nostrae in ea carne impleta, spiritus a Deitate τοῦ λόγου in nos transfusus defluit in nos, insertione & unione spirituali, quae fide per spiritum sanctum efficitur. Hoc spiritu & hac fide, qui manducant carnem & bibunt sanguinem Christi, nutriuntur operatione & effectu spirituali Deitatis τοῦ λόγου, & spiritus sancti, ut proficiant & crescant in vita nova spiritualis donis & fructibus: Et evadunt inde unus cum eo spiritus, non unum corpus cum ipsius corpore, sed unum corpus inter

se

se & illius corporis membra, cuius ipse caput est, & tamen caro de carne, & os ex ossibus ipsius, & manent in ipso, & ipse in eis, sicut Iohan. VI & XV Christus ipse, & Paulus ad Corinthios & alibi testatur, quibus Hilarij dictum consonat: Haec sumta & hausta faciunt ut Christus sit in nobis & nos in Christo. Spiritus Sanctus praesens adest, & effirax est, ut opifex proximus & immediatus totius operis, missus & datus in hoc credentibus, ut semper sit & maneat in eis. Hic virtute convenienti ciens, movens, fovens, & dirigens opus totum, secundum facultates singulas, suo loco & ordine, & afflatus suos miscens spiritibus nostris (quia sancti sunt templa Spiritus sancti) efficit primo ut fiat apprehensio & applicatio totius doni & beneficij, propria cuiusque fide, in usu verbi & sacramentorum legitimo, & accendit ardens perpetuumque novi obedientiae desiderium & studium erga Deum, in conatu & lucta perpetua adversus carnem, diabolum & mundum. Eadem denunciant, docent, offerunt, exhibent, applicant Sacramenta quae verbum, nullo rerum aut internae actionis discrimine, sed externorum tantum; Verbum sicut sonat, auditu sono lectione visuque: Illa visuque tactu, gustu, in mediorum administratione externa: Utraque menti, Verbum per se, Sacramenta significato, secundum verbum & promissionem tamen, quia mens in utrisque, in auditu verbi, & in actionis & symbolorum adspectu usuque intuetur verbum, & propter verbum Sacramenta promissionem ut sigilla obsignant. Nec adest filius Dei Coenae sacrae nova alia, inusitata, extraordinaria, miraculosa

raculosa, hyperphysica praesentia, quatem fingunt. sed una eademq. praesentia omnibus medijs externis, quia & ipsa specie externa, & uni ac sine inter se dissentiunt, instituta hoc discrimine, ut opitulentur ac medeantur imbecillitati nostrae modis pluribus. Baptismus est lavacrum regenerationis ad vitam novam spiritualem, cuius fit initium in infantibus baptismo, & deinceps per omnem vitam est & manet obsignatio seu sigillum reconciliationis cum Deo per & propter filium, insertionis in Christi corpus verum & mysticum, & doni Spiritus Sancti qui habitat in nobis, ut opifex & director vitae novae. Quae incoata hoc modo, deinceps cum aetate proficiente vires ingenij & corporis crescunt, ac virtus Spiritus Sancti evidentius sese exerit in pijs, studio doctrinae & exercitijs fidei, invocationis, & pietatis in omni obedientiae genere erga Deum & homines assidue augetur & confirmatur. Ideo semel baptisari, id est regenerari, ac renasci ad primitias & exordia vitae novae spiritualis: sicut semel nasci ad vitam animalem & corporalem satis est. Verbum est alimonia & perpetua medicina toto vitae tempore: alimonia doctrinae, institutionis & gubernationis gradibus cuiq. aetati congruis ad profectus vitae spiritualis. Medicina praedicatione poenitentiae arguente peccata omnia innatae pravitatis & actualia, & consolatione annunciante perterrefactis & anxijs remissionem peccatorum, secundum promissionem, propter merita & intercessionem filij. Cum radix non extirpatur peccati physica & materiali eradicatione ex corrupta substantia, sed infixa,

ac

ac reliqua manet & repullulat. Reatus baptismo tollitur ut deinceps, post lapsus, in conversione ac poenitentia, voce absolutionis. Radix autem ipsa, id est, ingenita labes & pravitas lucta contraria, in virtute Spiritus sancti viva, serijs et assiduis conatibus ac certaminibus mortificatur. id est. reprimitur & coërcetur, ne regnet, ne, si repullulet aut regerminet, erumpat in actum & exerat sese. Caena Domini est alimonia robustior ac plenior ad profectus uberiores in vita nova & spirituali, ad alendam, acuendam & confirmandam fidem, frequenter iterato usu, pro adultis, qui viribus ingenij, iudicio, doctrina, usu, exercitijs fidei & donis Spiritus sancti aucti ac confirmati plenius & solidius intelligunt, considerant & meditantur totum opus missionis filij ad redemtionem ac reparationem generis humani, & fructum incarnationis, passionis & mortis eius. Ad quam vitam regeneramur, ad eandem nutrimur deinceps alimento interno, spirituali, eodem, sed externis medijs pluribus, ut spiritus noster exsuscitetur & exerceatur cum fide circa & studium obedientiae novae erga Deum. In his omnibus si rem secundum patefactum verbum recte consideremus, communicatio, qua se Deus communicat nobis est spiritualis tantum: Unio cum Deo est spiritualis tantum: Efficacia est spiritualis tantum: Effectus & fructus sunt spirituales tantum, ad vitam novam, aeternam, spiritualem. Quid ergo assumuntur media physica nova in sese virtutibus & actibus efficacia, usu tamen & applicatione physica? Affirmant

ergo

ergo Orthodoxi, quod tota Trinitas hoc modo praesens & efficax sit in toto minis-
terio, & partibus singulis; quod sicut in baptismo ablutio fit gemina, Una sacra-
mentalis, externa, symbolica, quae fit aqua: altera spiritualis, interna, viva & vera
quae in spiritu fit, sanguine Christi: sic manducatio corporis & sanguinis
alia sit sacramentalis, panis scilicet & vini, externa, similiter typica quae fit
ore: altera spiritualis corporis & sanguinis interna quae fit fide in spiritu.
qua sola fit perceptio, participatio & applicatio significatorum & oblatorum.
Quod tota actio externa sit internae symbolum, & unio sacramentalis sit
communio rerum cum signis, in verbo gratiae & promissionis, ex instituto
& ordine, qua res cum signis offeruntur coniunctione pacti & promissi, se-
cundum analogiam signi ad rem signatam. Ergo symbola non mutantur
in res signatas, quarum figurae & typi sunt, quando commutatione qua-
dam nomina rerum suscipiunt: Nec sunt ipsae res significatae absolute,
καὶ καθ' ἑαυτὰ substantia aut qualitatibus, sed κατά τι, ἢ καθ' ἄλ-
λο, ac relative, usu & fine, ex ordinatione divina, tamquam signa ad res
significatas. Quod verba institutionis vera sint ac maneant, Et panis
sit corpus Christi, non tamen, ex sententia pontificia, substantia, sed ex sententia
scripturae, ex ordinatione & interpretatione Christi, relative in usu, quem
Christus ipse & Paulus declarant. Ideoque illa oporteat intelligi μετωνυ-
μικῶς, non ὑπαρκτικῶς, nec συνεκδοχικῶς, ne concipiatur animo
aut mutatio symbolorum, aut ad ea alligatio aliqua. Quod acce-
dente

dente verbo ad Elementum fiat sacramentum, eoq. soli percipienti utrumq., ele-
mentum ore, verbum & promissionem cum beneficijs omnibus promissis fide,
sine qua symbola sola sumenti nuda sunt & inania symbola. quia fides ver-
bi nititur & symbolis quatenus sunt verbum visibile. Quod etsi tota
Trinitas praesens coniungit se nobis, vera, viua, & efficaci societate, & habi-
tat in nobis fide, non momentanea praesentia, sed assidua & durabili: &
communicat & applicat nobis sua beneficia: Filius Dei tamen, ut qui in
carne nostra factus est pro nobis victima, & redemit nos precioso sanguine
suo, testatur ἐξαιρέτως sacramenti utriusq. usu, sacrificio sui cor-
poris, id est merito mactati corporis ac profusi sanguinis, totiusq. obedi-
entiae opus hoc & donum misericordiae diuinae partum & oblatum esse.
Eoq. credentes non tantum effici per fidem corporibus templa & habitacula
Dei patris, filij & Spiritus sancti, sed & membra Christi, id est, inseri
etiam & uniri viua insertione corpori ipsius, tam vero quo factus est no-
bis ὁμοούσιος, & cui nunc vicissim conformamur per Spiritum sanctum,
incoatione tamen in hac vita: atque mystico Ecclesiae, cuius ipse est glorio-
sum caput, tamque suae haereditatis, & in utroq. gestari & sustentari cre-
dentes, ex vero etiam nutriri, sed ablutos prius ipsius sanguine in bap-
tismo ad initia vitae & haereditatis aeternae, quod fit Deitate τοῦ
λόγου succum & vigorem aeterna vitae in nos transfundente. De-
nique affirmant & hoc Orthodoxi, etsi eadem fiunt interna actione Spiri-

tuali per Verbum & baptismum, quae per sacram coenam: quod in hac tamen filius Dei tanquam testamento ultimo & monumento perpetuo singillatim appellationibus corporis & sanguinis sui pani & vino attributis, consecrare & commendare fideli posteritati memoriam passionis & mortis suae: Mansuri vero pastique corporis & sanguinis fidem veri, unius solius & spirituali fructus in virtute & efficacia spiritus sancti, ac praesentiam suam in cordibus per fidem perpetuam, ac societatem perpetuo durantem, coalitumque cum suo corpore obsignare & confirmare voluit. De hac praesentia, actione, & efficacia unius modi perpetuo, sed liberrima per verbum & sacramenta concionatur & docet Christus cap. VI Joann. (Esg?) nondum instituta ceremonia, expressa tamen & saepe repetita carnis & sanguinis sui mentione. Hanc in ea concione declarat, sub finem Capernaitarum carnales imaginationes redarguens, Caro non prodest quicquam: Spiritus est qui vivificat. Verba quae loquor vobis, spiritus sunt & vita. Nec postea aliam introducit spirituali contrariam, multoque minus hanc ipsam Capernaiticam, quam hic improbat ac damnat, cum ritum sacrae coenae instituit: sicut nec praesentiam in Baptismi ritu aliam ac diversam tradit ab ea de qua concionatur Nicodemo: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu &c. Hanc praesentiam vere & recte vocatur Mysticam & pactionalis. Mystica, ut opposita physicae cum Paulo, cui totum ministerium verbi & sacramentorum est mysterium absconditum sapientibus mundi & patefactum per spiritum solis Electis in Ecclesia.

Rom.

Rom: 16. Ephes 1 & 2. Coloss. 1. Item 1 Timoth 1. Tit. 1. Item 1 Pet 1.
Inter hanc & physicam non est alia tertia media, quocunq. intellectui aut vendicetur nomine, seu miraculosa vocetur, seu hyperphysica seu magica: quo tria in unum redeunt, ut commentitia & fabulosa omnia, si ad veritatem scripturae examinentur rebus ipsis. Nisi illa velimus miraculosa vocare, quae etiam in hoc ordine perpetuo, & sibi conveniente nova sit, ut extraordinaria, qualis fuit vocatio Pauli. Sed tamen & hic remittitur post vocationem ad ministerium verbi & baptismi: alioquin solis vocatilis differunt: sua natura nihil nisi fabulae, praestigiae & fascina. Pactionalis vero recte vocatur eadem, quia pacti est & promissi, editi per prophetas: Esai 48. 51. 55. 59 Cap. Ierem 31. Ezech 37. Ioel 3 Zach. 2: a quibus vocatur foedus & pactum novum, & sempiternum, & consummatum per Christum in carne, sicut ipse vocat testamentum seu foedus novum in verbis Institutionis Coenae. Sed de ipsa praesentia saepe docet praeter VI Cap. Ioannis apud eundem 14. 15. 16. 17. Cap. & Paulus locis plurimis. Tantum de hoc praesentiae genere meminisse satis sit hoc loco. Nunc veniemus ad alterum illud pro quo tantopere pugnant Pontificij, Lutherani, & Pseudo Lutherani.

Caput Tertium.

Perpetuo sit in conspectu discrimen inter ordinem divinum in rerum natura & inter ordinem divinum in ministerio Ecclesiae: Inter gradum praesen-

tiae

tia per ordinem naturæ, & gradum presentiæ diuinæ per ministerium Verbj: Inter usum & finem utriusq., qui est in illo ad præsentem animalem, in hoc ad nouam æternam, & spiritualem Vitam. Nec commisceantur inter se vel ordinata in Vtroq; vel extraordinaria, & hæc hyperphysica mysticas. Nec putentur media, quæ ministerio ex rebus naturalibus destinata sunt ac seruiunt, nostræ infirmitatis causa, efficaria per se esse, ex noua substantia aut virtute, sed ex ordinato usu, secundum verbum & promissionem, dono gratiæ & in actione atq. usu. Nulla fit noua & miraculosa mutatio aut conuersio substantiæ uel naturæ mediorum sensui subiectorum, in ministerio Verbi & sacramentorum, non vocis ministrj verbum sonantis: non aquæ in baptismo cum perfusio fit aut mersio: non panis & Vinj in sacra cœna, quando fit consecratio & distributio: multo minus extra actionem & usum. Nec symbola, cum nomina usum & finem mutant, ex dono & ordine gratiæ, mutant etiam proprietates suas & effectus, quod fierj, nisi naturis & substantijs mutatis nequit. Nec vi ordinis instituti aut singulari aliqua vi verborum acquirunt vel deriscunt in sese aut naturas alias nouas, aut vires nouas, serias, συνεργοὺς καὶ συναιτίους nouorum operum diuinorum & spiritualium effectricos q solius Deitatis propriæ sunt, ex acquisita virtute noua spirituali, quocunq. conuexu. Nec unio sacramentalis est alligatio rei signatæ ad signum materialis, physica, hyperphysica aut magica. omnia hæc falsa sunt & commentitia. Sed in Cœna sacra (ut de hac dicatur de qua controuersia est: eodemq modo de baptismo

baptismo) externa symbola consecratione seu benedictione (ut Paulus loquitur) transferuntur ab usu physico & profano ad usum sacrum & mysticum, ordinatum verbo, cum typi ad archetypum, operisque externi ad internum similitudine & congruentia, secundum normam verbi, spiritu potiunte & fruente reb. spiritualibus fide, uti corpus potitur & fruitur physicis ore. Adeoque tota externa manducatio discernitur & separatur ab omni alia physica ac profana cibi alterius manducatione, ut fiant symbola συνεργὸν ὄργανον Spiritus sancti, non tamen ex virtute sua aliqua insita natura, aut hyperphysice acquisita, sed per gratiam collata, quae talis est, ut ex ordine institutionis agant tamquam verbum visibile, virtute verbi ordinantis ac promissionis, & tamquam symbola ac signa exhibitiva rerum quas designant, denunciant, offerunt verba, totiusque in legittimo actionis internae usu, qua fit rerum participatio & applicatio; perinde ut vox ministri, opus naturae, συνεργὸν fit organon Spiritus sancti, non singulari aliqua virtute innata, aut adscita hyperphysica, sed dono gratiae, quia sonat verbum, cuius est virtus, si tamen eodem dono gratiae legitime utatur, & recte id declaret. Vocatione enim & ordinatione per impositionem manuum sacerdos non mutat substantiam aut vires insitas in spirituales, sed destinatur ac consecratur ministerio novo & sacro, ut in eo administret, quae Dei sunt, iuxta mandatum. Virtus & efficacia in legitimo ministerii usu & executione liberrimum donum est gratiae Dei & Spiritus sancti in ipso, & in illis in quibus exercetur, sicut docet Paulus 1 Cor: 3 Deum

eorundem

ἔσμεν συνεργοί, θεοῦ γεώργιον, θεοῦ οἰκονομία ἐστε κατα την χάριν τοῦ θεοῦ, ὡς ἑκάστῳ ὁ κύριος ἔδωκεν. Dei administri sumus, Dei agricolatio, Dei aedificatio estis, secundum gratiam Dei, sicut unicuique Dominus dedit. Blasphemum mendacium est, tonsura, unctione & consecratione Romana Sacerdotem acquirere & induere virtutem novam spiritualem conficiendi corporis Christi, & opera alia divina, Dei propria, perficiendi suo opere. Denique ut paucis dicam, Eadem est ratio externorum mediorum in sacramentis, quae vocis sonantis verbum. Vox ministri, vox hominis est: Verbum quod sonat, Dei Verbum est, si id recte sonat & non depravat. Sic media in sacramentis res sunt physicae. In ordinato, vero, & recto usu sunt symbola rerum divinarum verbo & promissione. Virtus & efficacia in utrisque per verbum est opus liberrimum Spiritus sancti: Utraque. συνεργὸν ὄργανον sunt Spiritus verbo, sed in eo tantum qui audit, accipit, et utitur secundum mandatum, non in actu magico. Propterea & Christus tribuit symbolis appellationes sui corporis & sanguinis, & in usu ordinato habent illa rationem sacramenti, id est, hoc praestant sacro & mystico significato, & usu cui destinata sunt, soli tamen utenti fide, quia a verbo id habent & ab ordine divinae institutionis per verbum. Verbum autem fidem requirit. Panis qui frangitur est κοινωνία corporis Christi, id est: medium est quo consociamur & unimur tanquam membra corpori Christi resuscitato & mystico; sicut distinctim de pane & mystico corpore Christi mox subdit Paulus: Unus

panis

panis, vnum corpus multi: Omnes enim de uno pane participamus. Calix bene-
dictionis est κοινωνία sanguinis Christi, quo fide hausto corda purificantur
à peccatis, non merito tantum & abolitione à reatu, sed efficacia etiam spiri-
tuali, contrarijs actionibus, in virtute spiritus opera carnis enecante. Vetustas
recte dixit, Symbola quæ ante consecrationem sunt panis & vinum, à conse-
cratione esse corporis & sanguinem Christi: nullius tamen substantia aut qualita
tibus corporis: id enim orthodoxorum veterum nemo vnquam dixit aut sensit: sed
relatiue. Nec mutatione substantiæ aut qualitatum, sed relatione signi
ad res significatas, id est, ordinatione diuina per verbum ad hunc termi-
num, & ad hunc usum seu finem, ut legitime utenti, & fide assentienti verbo
sint participatio corporis & sanguinis Christi, eo ordine tamen & modo, qui
verbo sæpe ac clare institutus ac monstratus est, scilicet, ut tanquam symbo-
la testentur, vere pasci sumentem corpore & sanguine Christi, spirituali
effectu & modo, & virtute spiritus. Ab hoc ordine, vsu & fine mediso-
rum, & à modo præsentiæ corporis & sanguinis Christi in homine per mi-
nisterium verbi & sacramentorum expresso perspicuoque Dei verbo tradito
discedunt omnes quotquot fingunt quoquo modo media & symbola externa
mutari naturis, proprietatibus, viribus, & effectibus, siue ex sui conuer-
sione materiali aut spirituali, siue ex accessu & copula alterius na-
turæ & virtutis, quæ illa ex sese efficiant, edantque actiones spirituales
nouas.

Caput quartum.

Nihil habet scriptura, nihil novit Ecclesia orthodoxa de commentitia & miraculosa conversione panis in corpus Christi, vini in sanguinem: nihil de miraculosa corporis in panem & vinum inclusione aut alligatione ad illa. Sed si considerentur historia, & considerentur ordine nata paulatim ex certaminibus doctrinae depravatione & superstitione invecti, aucti[q]. abusus rituum veterum: tempora docebunt, quando & quibus occasionibus coeperit. Notum est ex historijs, quibus ritibus sincerior Ecclesia sacram synaxin in congressibus publicis celebrarit, distributione panis fracti & poculi consecrati. Inter alia fiebat commemoratio sacrificij Christi, quo uno ille mactatus in cruce & ingressus in sancta sanctorum, placato patre consummavit sanctos. In huius sacrificij & meritorum eo partorum monumentum perpetuum ac memoriam ostendebatur hac coena instituta esse, non ut theatricum spectaculum, aut actus quis panegyricus, commemorationis & celebrationis solius causa: sed ut ritus sacer talis, quo filius Dei nobis exhibens & efficax in distributione panis & vini, virtute sui spiritus distribuat fide sumentibus corpus & sanguinem suum, ad fruendum pastu, fructu & effectu spirituali ad vitam aeternam spiritualem, tanquam sigillum & pignus certissimum promissae gratiae, omnium suorum beneficiorum & perpetuae suae praesentiae in nobis, nostraq. vicissim coniunctionis atque coalitus cum ipso. Fiebat & applicatio concepta ac solennibus verbis, in distributione sumentibus singulis, & adiungebantur gratiarum actiones & preces communes: illae pro toto opere & beneficio redemptionis, collationis, gubernationis, & conservationis

tionis Ecclesiae: hae pro ipsa Ecclesia & pro singulis, qui communia vota Ecclesiae
explebant, & dirigebantur ad Deum patrem per filium Mediatorem, rati-
one & consideratione ritus praesentis, cum mentione sacrificij atque omnium
meritorum Christi, iuxta mandatum, sic, ut filius invocaretur ac siste-
retur patri tanquam ἀρχιερεὺς & princeps dux precum, tanquam intercessor &
sacerdos summus ac perpetuus ad dextram patris in caelo, quo & conver-
tebantur ac dirigebantur corda expressa voce; Sursum corda: quibus signi-
ficabatur Christum semel ingressum in Sancta sanctorum & conscium arcani con-
silij patris, semper in conspectu patris interpellare pro nobis, & intercessione
sua applicare nobis fructum sui sacrificij, perferre preces invocantium,
ac placare patrem. Inde εὐχαριστίας, & sacrificij, & oblationis nomi-
na hic ritus acquisivit, non quod in eo sacrificium aliquod perage-
retur, in quo nova fieret oblatio Christi & mactatio, sed quod consum-
mati semel memoria celebraretur, ac quasi repraesentaretur in eo opus re-
demptionis nostrae, sacrificio & victima passionis completum, fieretque illius
applicatio manducantibus fide cuiusque propria, tum quod offerrentur sa-
crificia precum & gratiarum actionis quae εὐχαριστικὰ erant non ἱλαστικὰ,
ut postea finxerunt Pontificij. Totum opus, id est manducatio cum
precibus & gratiarum actione erat antiquitati cultus, & sacrificium & oblatio.
Cuius appellatio videtur etiam alludere ad ritum quo ἀντίδωρα propo-
nebantur in altari, & quasi offerebantur Deo, cum dedicarentur usui

instituto

instituto per consecrationem. Sed offerebantur etiam in prima Ecclesia ad mensam Domini Eleemosynæ, quæ nominabantur ἀγάπαι & oblationes, quarum pars aliqua destinabatur sacro usui, reliqua erogabatur in pauperes. Inde confirmatum est ritum hunc vocatum esse ἀγάπας, quasi fœdus mutuæ dilectionis inter pios. Etiam oblationis nomen potius inde extitisse, quam à symbolorum oblatione consentaneum est. Hanc fuisse Ecclesiæ sincerioris & continentudinem & de sacramento cœnæ, ut sacrificio, sententiam ex patrum sanctorum testimonijs minime dubium est. Progressu temporis, cum obscurata paulatim luce purioris doctrinæ, & opiniones erroneæ & falsæ irrepsissent, & invaluissent ex superstitione nati abusus, in hoc ritu quoque ex compellatione Christi quâ patri sistebatur, ut mediator, pervasit opinio in animos hominum, ut crederetur pani adesse Christus, exaudire, & efficax esse, & certam communicare semetipsum corpore suo, & applicare merita sua, intercessione & opere Sacerdotis, quod sumentibus tantum contingere initio putabatur; sed paulo post transferebatur etiam initio quidem per oblationem Christi in precibus, mox per oblationem eiusdem in sacrificio in non sumentes, adstantes tamen, & vivos, demum invalescente superstitione, in absentes vivos, tandemque & mortuos, cœptumque est symbolis externis ut numinibus inhærere. Sicut omni tempore non Ethnici solum sed in Ecclesia etiam maxima multitudo oblita verbi & promissionum, vertit signa in res ipsas & numina. Non soli Persæ finxerunt ignem esse numen, quia audierant igne de cœlo lapso incensas esse

esse victimas, sed & in populo Dei Israëlitae alligarunt Deum suum addanā propria ad vitulos aureos, Et in Iudaea ad aeneum serpentem concursus & adoratio facta est, tanquam ad numen, cum mandatum in deserto datum multis ante secu- lis expirasset. Et qua occasione, quove alio modo irrepsit in Ecclesiam cultus atque adoratio imaginum & statuarum, quam per conciones panegyricas de sanctis? de sanctorum meritis, de miranda ipsorum gubernatione ac liberatione, de intercessione apud Deum pro Ecclesia. In hunc usum cum memoriae Sanctorum conderentur ac dedicarentur templa, ut Gregorius Magnus Romae fecit serviens erroribus sui seculi, & superstitio cresceret, conciones in cultum detorserunt non honoris tantum, sed & invocationis soli Deo debitae, qua non intercessio tantum petita est, sed & auxilium omnipotens, Et dirigebatur illa fascino superstitionis & ludibriorum diabolicorum ad imagines ac statuas. Eadem prorsus ratione, cum ex consuetudine publicarum precum in usu Coenae facta esset per preces applicatio meritorum Christi & quaedam quasi oblatio Mediatoris ad patrem, cum obtestatione petente per & propter ipsum exaudiri & impleri preces: amissa paulatim aut valde obscurata ra- tione Sacramenti vera, sacra Coena ab usu vero in sacrificium commuta- ri, prior q. ac potior & maior sacrificij quam sacramenti ratio & usus ha- beri coepit. Gregorij Magni seculo qui mortuus est anno Christi 604; annis 157 post Augustinum. Eius ergo seculo oblationem Coenae ut sacrificij pro vivis & mortuis jam alte intedisse & radices

egisse

egisse in animis maximae multitudinis, ex ipso constat, quia spectris motus eam confirmavit, ut ludibria Diaboli ad statuas & imagines εἰκονολατρείαν καὶ ἀρτολατρείαν auxerunt & stabilierunt. Eiusque scriptum Gregorij extat, in quo privatas missas reprehendit. At post Gregorij seculum hanc de sacrificio, & oblatione in missa opinionem vehementer invaluisse, cum & de firmando idolo, & sacrificio missae quaereretur, certamina maxima mota esse, circa tempora fatalis illius mutationis, qua imperium occidentis, fracta penitus Graecorum potentia, ac iacente, translatum est ab his in francos, minime dubium est, ab infusis & commixtis novis, peregrinis & superstitiosis gentibus magis corrupta doctrina, & superstitione atque abusibus auctis.

Omnis error inde exilit, quod ad panem apta sunt referri, quae in homine sumente pane considerari debuerunt. Inclusus est in pane Christus, quem fidelium quisque in suo corde quaerere fide, & praesentem adesse statuere debet. Maxima multitudo turbabatur fascino illo falso, impio & idolatrico, ad panem consecratum, & oblationem & adorationem Christi reddi fieri, & opera sacerdotis offerentis peragi sacrificium, quo fiat applicatio omnium meritorum Christi, non vivis & sumentibus tantum, sed & non sumentibus & mortuis. Nec sine sacrificio Sacramenti rationem & usum concurrere inesse: immo sacrificij esse sacramenti potiorem esse. Haec deliria innumera sunt & spargata non sine contentionibus. Nondum enim exoleverat doctrina Augustini, quam post mortem istius quasi per manus traditam custodierunt & confirmarunt

Crossis

Prosper Gallus, auditor Augustini circiter annum Christi 438. Et post hunc Egippius, fulgentius illius σύχρονος qui scripsit ad Thrasymundum Regem Vandalorum eo tempore quo Gelasius Afer Romanae Ecclesiae praefuit, annis post Augustinum quinquaginta, Primasius Afer, postea Isidorus Hispalensis Epus circiter annum 600, Maximus Taurinensis, Synodi etiam Arausiaca & Constantinopolitana sexta, Et paulo ante, ac sub ipsa tempora Caroli Magni, Beda presbyter Anglosaxo, Deinde Bedae discipuli, Alcuinus, Rabanus Maurus ex abbate fuldensi Archiepiscopus Moguntinus circiter annum 840, Bertramus, Paschasius circa annum 900, & plures alij. Nec minore animorum atq. odiorum acerbitate & immanitate res semel mota deinceps agitata est. Cum enim patroni idoli & sacrificij missae quaererent praesentiae in pane fundamenta ac neruos, nec alia reperirent in tota scriptura quam verba institutionis, pro hypothesi immota hoc statuerunt & attriverunt, Primum verba institutionis oportere accipi & intelligi sicut sonant, sine omni tropo & figura, tanquam verba testamenti quae conueniat ambigua minime aut obscura esse. Deinde Testatorem, quia verax sit & omnipotens, quod dixerit non minus opere perficere posse ut fiat & sit, quam creauerit rerum naturam. Hac hypothesi firmata & obtenta, constare contenderunt sacrificio missae suum cum idolo, & idoli cultu fundamentum. Ex hac hypothesi constitutum ab ijs hoc est, Quod panis consecratione vertatur in Christi corporis substantia: seu fiat Verum, substantiale & naturale

turale corpus Christi, vi verborum & omnipotentiae Christi, & virtute spus sancti efficientis. Indeque teneri, atque offerri corpus manibus Sacerdotis, cujus novo & praestigioso mendacio, quamquam Augustiniana puritatis studiosi & adseclae adversarentur, multitudine tamen impiam & novam opinionem pertinaciter amplectentium ac retinentium, Pontificum Romanorum jam confirmata autoritate & potestate, & principum ac vulgi adplausu res eo deducta est, ut orthodoxis oppressis, & veritate explosa, idolum mendacijs introductum, & tyrannica crudelitate stabilitum vinceret ac regnaret. Certum est enim Johannem Erygena Scotum Bedae discipulum cum Dionysij libellum de hierarchia discipulis suis enarraret, & τὴν ἐπιπολάζουσαν seu praevalentem iam opinionem sui seculi de oblatione in missa corporis Christi pro vivis & mortuis redargueret, Augustinj & aliorum autoritate, à suis discipulis graphijs confossum esse, imperante Ludovico Pio. Nec dubito similia accidisse multis alijs. Ante Carolum Magnum, post annum Christi 700, primi inter graecos Johannes Damascenus & Theophylactus meminerunt mutationis symbolorum panis & vinj, cujus modi à nullo veterum statuitur. Joannes Damascenus Christum juxta veritatem patefactae doctrinae immotum τοπικῶς in caelo existentem ac manentem secundum modum existendi corpori proprium, sine ullo descensu aperte fingit & asserit, corpore & sanguine in pane & vino esse κατὰ μεταποίησιν, quod de conversione simplici accipio. Clare enim inquit Damascenus: σῶμα ἐστιν ἀληθῶς ἡνωμένον θεότητι, τὸ ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου

παρθένου σῶμα, οὐχ ὅτι αὐτὸ τὸ ἀναληφθὲν σῶμα ἐξ οὐρανοῦ κα-
τέρχεται, ἀλλ᾽ ὅτι αὐτὸς ὁ ἄρτος καὶ οἶνος μεταποιοῦνται εἰς σῶμα
καὶ αἷμα θεοῦ. id est: Corpus vere vnitum est Deitati, corpus scilicet, quod
est ex Maria Virgine, non quod assumptum illud corpus e cælo descendit, sed
quod ipse panis & vinum in corpus & sanguinem mutantur. De mutationis
modo mox subijcit. εἰ δὲ τὸν τρόπον ἐπιζητεῖς, πῶς γίνεται; ἀρκεῖ σε
ἀκοῦσαι, ὅτι διὰ πνεύματος ἁγίου. πλέον οὐδὲν γινώσκομεν, ἀλλ᾽
ὅτι τοῦ θεοῦ ἀληθὴς ἐστι καὶ ἐνεργὴς, καὶ παντοδύναμος, ὁ δὲ τρόπος
ἀνεξερεύνητος. Id est. Si modum quæris, quo modo fiat? Satis est te au-
dire, quod per Spiritum sanctum. Plus non nouimus, nisi quod verbum dei verax
est, efficax, & omnipotens: modus vero inperscrutabilis. Amplius addit:
ὁ τῆς προθέσεως ἄρτος, οἶνος, καὶ ὕδωρ, διὰ τῆς ἐπικλήσεως καὶ
ἐπιφοιτήσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος ὑπερφυῶς μεταποιοῦνται εἰς
τὸ σῶμα Χριστοῦ καὶ αἷμα: καὶ οὐκ εἰσὶ δύο, ἀλλ᾽ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ γίνεται.
Id est: panis propositionis, vinum & aqua, inuocatione & superuentu Spiritus
sancti supra naturam mutantur in corpus Christi & sanguinem, & non sunt
duo, sed vnum idemque. fiunt. Denique ne quid sit dubij, quod a veteris
Ecclesiæ sententia discedat, & nouum quiddam vetustati ignotum adferat,
negat panem & vinum symbola esse, contra antiquitatem, inquiens: Non
sunt panis & vinum typus corporis & sanguinis Christi: non hoc statuatur.
Sed est ipsum corpus Christi deificatum, dicente Domino: Hoc est corpus meum.

non

non typus corporis, sed corpus: Et non typus sanguinis sed sanguis. οὐκ ἔστι τύπος ὁ
ἄρτος καὶ ὁ οἶνος τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ. μὴ γένοιτο: ἀλλ'
αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ κυρίου τεθεωμένον, αὐτοῦ τοῦ κυρίου εἰπόντος: τοῦτό μού
ἐστι τὸ σῶμα. οὐ τύπος τοῦ σώματος ἀλλὰ τὸ σῶμα: καὶ οὐ τύπος τοῦ αἵ-
ματος, ἀλλὰ τὸ αἷμα. Quis unquam ex pontificijs pro idolo panis & missæ aliter
ait ex alio fundamento locutus est? Ut autem è corpore Christi in cælo manentis
vim illam spiritualem quæ panem mutat, manare ostendat, addit: πνεῦμα
ζωοποιόν ἐστιν ἡ σὰρξ Χριστοῦ, ὅτι ἐκ τοῦ ζωοποιοῦ πνεύματος συνελήφθη·
τὸ γὰρ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος πνεῦμά ἐστι. τοῦτο δὲ λέγω,
οὐκ ἀναιρῶν τὴν τοῦ σώματος φύσιν, ἀλλὰ τὸ ζωοποιόν, καὶ θεῖον τούτου
δηλῶσαι βουλόμενος. id est, Spiritus vivificans est caro Christi, quod ex vivi-
fico spiritu concepta est. Quod enim ex spiritu natum est spiritus est. Hoc autem dico,
non destruens naturam corporis, sed vivificum in eo & divinum declarare volens.
Theophylactus Damasceni σύγχρονος, aut non multo posterior, mutationem illam
in pane κατὰ μεταστοιχείωσιν fieri sentit, propius alludens vocabulo ad naturam
τῆς μεταβολῆς φυσικῆς, quam ait fieri manente tamen conformata specie:
Quod quomodocunque excusetur, si fit cum mutatione proprietatum panis & ef-
fectuum, fit mutatione naturæ & substantiæ panis. Proprietates enim seu vires
& effectiones mutari, nisi mutatis substantijs, non possunt. Non video quomodo
à pontificio errore hi duo liberari possint, cum & illorum seculo iam opinio de
præsentia corporis in pane prævaluerit veritati, & uterque evidenter mutationem
in pane

in pane & vino fieri hyperphysicam statuat, qualem nullam superior aetas agnouit aut credidit. Si nullam .n. in pane fieri mutationem uoluit, quid opus fuit virtutem Spiritus sancti ad panem superuenienti singulari dirigi, quae in usu panis in salutem hominem se exprimit. Verecundior tamen est Damascenus postea in hoc, quod modum mutationis peruestigari & definiri posse negat. De illo uero mox circa Caroli Magni tempora & deinceps acerrime dimicatum est, cum Romanae Ecclesiae autoritate pro certo iam haberetur & confirmato, Christi corpore in pane praesentem esse, non tantum cum Augustinianae doctrinae propugnatoribus, sed & inter ipsos sacrificij & idoli missae patronos. Acrius inter hos tamen post illos oppressos, post annum à Christo nato 800. Non acquiescebant enim Damasceni sententiae, modum inperuestigabilem esse, sed quia oportebat sacrificium mactantem & offerentem Christum denuo, de corpore, quod offerat in manu sua, certum esse, alioquin sacrificium fuisset inane futurum, si aut nulla aut incerta esset hostia, ideo modum certum quaeri ac definiri oportere censuerunt. At non satisfaciebat simplex, & indefinita mutatio Damasceni regno illi tenebrarum superstitionis abusuum & idolatriae, quod moliebatur Diabolus, cum symbola externa apparerent contemnenda naturas & accidentia, & manere (ut Theodoretus inquit) ὁρατὰ, ψευστὰ, ἁπτά. Non ergo ad decipiendos imperitos et hoc commentum satis erat: sed de alio argutiore & minus obuio cuius cogitandum erat. Id uero unde peterent: cum a scriptura penitus destituerentur? Constat .n. hoc indubitato, Quod nullum scripturae dictum commento de praesentia in

pane

pane suffragetur, ac ne ipsa quidem verba institutionis, sicut ostendetur, nisi sola corporis mentione, propter quam excogitata ab ipsis, & decreto sancita est haec falsa hypothesis, verba hoc sensu oportere accipi quo sonant. Huic uni insistit commenti fundamentum totum, quod ipsum tamen protinus suis, interq. se multum discrepantibus interpretationibus convellunt ac destruunt. Quantum anguntur .n. & ringuntur? Quot modis depravant verba, divellendo & lacerando contextum, & violenter in varios sensus detorquendo, ut inde exsculpant, quam fingunt & tuentur praesentiam? Quot modis inter se dissident? Cumq. minime, quod se quam se evicisse putant praesentiam ex verbis probarint, quod primum esse debebat, multo magis tamen in definiendo praesentiae modo laborant, determinatum insano conatu modum in eo quod non est. Certum est enim si recte examinentur & sincere perpendantur verba institutionis (ut de Pauli testimonio non dicam) nec vocabuli corporis usum in significato proprio de pane sed corpus in sua substantia, nec praesentiam illius corporis talem ullam physicam aut hyperphysicam miraculosam qualem somniant exsculpi inde posse. Ideo Scholastici fatentur si corpus Christi in mortem traditum de fracto pane dicatur, nec proprietatem in verbis, nec transsubstantiationem, nec ullam realem praesentiam esse, aut defendi posse. Servata .n. proprietate verborum in hac propositione: Hoc est corpus meum, id est hic panis est corpus meum: lege praedicationis usitata & regularis, subiectum & praedicatum erunt eiusdem naturae, & quicquid praedicato competit ac tribuitur, idem competet & recte

tribuetur

tribuetur subiecto. Ut disparatam enim speciem corporis de pane erraneo tamen praedicari posse, cum naturae sit contraria, prorsus est impossibile, ut diceba. Necessario ergo sequitur, panem esse ipsum crucifixum corpus substantia, & repugnant alia quae sequuntur de corpore tradito in mortem, in remissionem peccatorum, & manducando in commemorationem Christi. Item quae à Paulo interprete de manducando pane & bibendo poculo, morteque interhac Domini annunciandã donec venerit tradantur. Hoc cum persuasum eis certò fuerit, inveterato tamen errori multitudinis, decreto Romanae curiae confirmato innixi, omissa quaestione: An sit talis praesentia, in modo praesentiae cudendo laborarunt. Hinc repudiata Damasceni & Theophylacti conversione simplici, alii transubstantiatione alii consubstantiatione definierũt. Sed rursus in tempore discrepant inter se, Quando sit facta, & fiat mutatio? & quorum verborum enunciatiõe consecrationis, an distributionis & exhibitionis? De interpretatione verborum prius: in quibus cum evidentia verborum, illorumque & actionis in institutione ordo nullam interpretationem verborum, nullam etiam in pane praesentiam talem corporis admittat qualem commenti sunt Pontificii: Innocentius Papa ut scrupulum qui ex perpetuo verborum & actionis contextu obstat declinaret, ad explicandum pronomen Hoc, fingit panem cum porrigeretur, iam fuisse transmutatum, quando gratiis actis fregit, & sub specie panis pectoris demonstratum. Mutationem quidam aut aliis verbis, de quibus non constat, aut absque

verbis

atq. verbis occulta & omnipotente virtute factam credi volunt. Caeteri divellendo contextum negant pronomen, Hoc, relatum esse ad praecedentia, & contendunt δεικτι-κῶς esse, atq. ita intelligi volunt, vel ut Guitmundus interpretatus est, Hoc scilicet corpus, non panis amplius, aut hic usq. panis, ex hoc iam est corpus meum, aut hoc, quod do vobis est corpus meum. Alij, ut Richardus Mediavillanus, per hoc intelligunt aliquid sub hac specie praesens vel de propinquo futurum est corpus meum. Alij per pronomen Hoc accidentia panis designari volunt, ac si dixerit, Sub illis accidentibus latet corpus meum. Alij, ut Occam, verbum seu copulam Est pro Erit accipiendum esse contendunt. Alij panem quidem per pronomen Hoc demonstrari contendunt, sed verbum Est evangelice seu ef-fective pro substantialiter fit seu convertitur accipi volunt. At fatentur tran-substantiationem retineri non posse nisi verbis tribuatur significatio & vis ἐπερ-γητική, quod aliud est quam magica. Joannes Scotus cognomento Duns & Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis per pronomen Hoc, dum pro-feruntur verba, nihil portari, sed demum postquam tota oratio complete fuerit e-nunciata, corpus ipsum volunt demonstrari. Scotus vero, Occam & alij pleriq. non dubitant affirmare: nulla necessitate, nulla urgente scriptura, nulla cogente autoritate patrum, solius Romanae Ecclesiae decreto Transsub-stantiationem introductam esse. Scotus etiam, Marsilius, Richardus & alij amplius addunt, Verba planius, rectius, & simplicius declarari posse, nisi obstaret commentum transsubstantiationis approbatae a Curia Romana. Ex

his

Ex his quomodo constet & congruat sibi ipsi veritas hypotheseos, id est intellectus verborum, sicut sonant, quod fundamentum est alterius mendacij prodigiosi, extinctiq. inde idoli, intelligi a quouis liquido potest. De monstrosa mutatione ipsi fatentur Scholastici, fidem ea Christianam ludibrio & contemptui exponi. Qualem vero illi commenti sunt? Cum ex scriptura nihil suppeteret: decurrerunt ad rerum naturam, & quanquam mysticus ordo praesentia diuinae per ministerium & sacramenta sit idem cum ordine physico potentiae diuinae in creaturis omnibus alijs: in sola cœna sacra mutationem fieri praeter & contra ordinem naturae, nec sensui patentem, nec capacem intellectui: quam miraculi commendatione, titulo vero & authoritate Ecclesiae vendita. runt & obtruserunt rudibus pariter & eruditis. Finxerunt monstrositate mendacij admirabili, pronunciatione verborum a Sacerdote, quem oporteat esse ratum & unctum ritibus circi Romanae, effici hoc quod verba sonant. Cui cum repugnarent sensibus subiecta accidentia, ut mendacium vestitum fuco speciose persuaderent populo, finxerunt, euanescente substantia panis, superstitibus tamen accidentibus, sed sine subiecto, suoq. nixu ac fultu subsistentibus, seq. conseruantibus contra regulam Damasceni: ἀδύνατον ἐστι φύσιν ἔξω τῶν φυσικῶν ἰδιωμάτων: id est impossibile est consistere naturam extra naturales proprietates. Hanc contra ergo finxerunt, succedere in locum eius sub operculo & velamine accidentium substantiam corporis Christi, extantem suis proprietatibus essentialibus & accidentalibus, id est materiam vestitam forma

tam forma substantiali sine dimensionibus & sine qualitatibus, salvis & inte-
gris accidentibus panis, eousque donec sua sponte corrumpantur. Hoc novum com-
mentum μετουσίαν & transsubstantiationem vocarunt, quam non voluerunt
esse mutationem unius substantiae in aliam, per antegressas mutationes physicas,
sed substantiae corporis Christi in locum evanescentis substantiae panis successionem.
Hoc commentum non tantum scripturae, sed & naturae rerum adversum cum mul-
tis displiceret, fuerunt qui mox ab initio restiterunt acriter, & aliud illo melius
pro idolo missae se producturos rati, finxerunt: Substantiam corporis suis acci-
dentibus spoliatam, substantiae panis sub iisdem accidentibus panis sentiri expo-
sitis uniri uno in loco, & intra eandem panis περιγραφήν, citra tamen dimen-
sionum penetrationem. Hoc commentum μετουσιάσαι ferre non potuerunt, nec
voluerunt, eo quod verbis institutionis repugnaret, quae oporteat διαρρήδην
καὶ κατὰ τὸ ῥητὸν intelligi: fabricatque novam interpretationem per assutas
verbis Christi particulas, In, Sub & Cum: quae & hypothesi primae contraria
sit, & prohibeatur severissimo Dei mandato, praecipienti, ne quid addatur, ne
quid dematur. Deinde, quod impanaret Christum unione cum pane hypo-
statica, hoc adscito in unitatem personae, & societate regni aeterni, potentiae &
cultuum. Unde quae praedicentur de Christo Deo & homine, ea oporteat
eodem modo praedicari de Christo Deo & homine, & pane. Et quae exhiben-
tur ac ostentur Christo Deo & homini una λατρεία, ea oporteat similiter
exhiberi unito pani. Vocarunt hoc novum commentum συνουσίαν & consubstanti-
ationem. Hac dum ferbuerunt certamina inter ipsos, ad veritatis
antiquae

antiquæ repetitionem & assertionem prodijt, & opposuit sese utrisq. Berenga-
rius Ecclesiæ Andegauensis in Gallia Diaconus, in quem commouit sese Lan-
francus Papiensis Italus, ludibrio diabolico cuiusdam presbyteri incitatus, qui inter ce-
lebrandam missam, oblatam certo more, seu Diaboli fascinio, super altari, carnis
veræ & vini in calice sanguinis speciem cum se sumere horruisset, Lanfranco
indicasset, hic reposita illa tamquam singularia monumenta in medio altari condi-
dit. Idem ipse munitus & fultus autoritate pontificis Romani Berengarium ad
παλινῳδίας atrocissimis tetrorum carceris minis adegit circiter annum Christi
1058, & Synusiastis silentium imposuit. Cuius contra Guitmundus Lanfranci
discipulus Episcopus Contrauerientis sic scribit. Christum incarnari humanæ
redemptionis ratio expostulabat: at impanari Christum nulla expetebat ratio.
Nec prophetæ hoc prædixerunt, nec mundus, exceptis paucis his hæreticis,
credidit. Item: Hos impanatores ipse Dominus Iesus verbo oris sui in-
terficit, cum accipiens panem, gratiasq. agens & benedicens ait: Hoc est cor-
pus meum. Hinc & Ecclesia in Canone Missæ non orat ut in oblatione
quam petit fieri adscriptam & acceptabilem lateat seu adueniat corpus, sed
ut nobis fiat corpus. Hæc Lanfranci victoria, quicquid fuit reli-
quum, doctrinæ, rituum, & religionis veræ & antiquæ in sacra cœna mu-
tauit & aboleuit. Erant iam inuecta aurea & argentea vasa circiter
annum Christi 422. Vestimenta vero & ornamenta alia in usum mis-
sæ theatricæ fabrefacta sunt primum sub Carolo Magno, & sub Ludo
vico pio cumulata. At post stabilitum ex commentitia præsentia

&

& corrupto verborum institutionis contextu, contentusque novum sacrificij & idoli-
introductus est in ritum missae qui vocatur Canon, ex veteribus nonnullis male
accomodatis, & recentibus falsis, velut lacinijs consutus non uno tempore sed di-
uerso, quaeque paulatim ante creuerat autoritas, dignitas & reuerentia misse-
per & propter idolum, tanquam capitis, cleri autem tanquam fabrorum & ministrorum
idoli, amplificata est in immensum. Extulit sese & in immensum, potestate
exaequata Deo, pontificum maiestas & tyrannis, novi dogmatis & iuris in
ordinem utrumque. sacrorum & laicorum praetextu, iuxta decreta pontificum. Novum
& doctrinae genus conflatum est, autoribus doctoribus novis, qui se Scho-
lasticos nominaverunt. Et ius civile peculiare conditum, Romani iuris tanquam
ethnici ἐπανορθωτικόν, architectis Canonistis, quod Canonici iuris ad-
pellatione a civili distinctum est, ut docerent, veteris Romanorum ad hoc
velut canonem explorari & censeri oportere. Doctrinae genus ex patribus,
quos autoritate aequiparaverunt scriptis prophetis & apostolis, depravatis
tamen, & in sua somnia ac deliria tractatis: ex his ergo consutum pri-
mo, vel consarcinatum potius doctrinae genus a Lanfranco & successoribus
vix ducentis annis post Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Scotus &
alij, in Aristotelicam philosophiam commiscuerunt, Utramque corruptam penitus
obruerunt quaestionibus manifeste totis atque impijs, & mendacijs detestan-
dis Dogmatistae novi alij post annos non multo plures centenos, seculo
Durandi de S. Porciano, autore Herveo de Boio Britane, & Carmelita,
quod Lutheri aetate sustulit & compescuit filius Dei suo spiritu, & luce suae veritatis.

Adhaec idolum istud nouum peperit nouum etiam sibi ministrorum genus, innumera stabula monachorum, qui uberrimo & felicissimo prouentu, patre diabolo & superstitione hypocritica matre, minus vario discrimine initio, tandem infinita varietate monstrosis habitus, & vita tetrica simulatione fucata fascinarunt ac dementarunt, perq. leges & obseruationes superstitiosas traditionum humanarum, cum horribili conscientiarum carnificina exagitarunt & excruciarunt orbem Christianum. Etsi autem semper extiterunt aliqui, qui contradixerunt, alij magis alij minus aperte & fortiter: & adhuc exstant ea quae decretis pontificum ex Augustino & alijs patribus inserta sunt, ac glossae ipsorum interpretum & commentatorum: praeualuit tamen ratio sacrificij & idoli ex inueteratae superstitionis fascino grata animis per opus operatum, autoritatiq., dignitati, potentiae & opibus totius ordinis sacri accomodata, ac pontificum & monachorum tyrannis ac rabies, ne eniti ac superare veritas posset. Dum uiguit enim regnum idoli panis falsum miraculo transsubstantiationis, sub umbraculo harum persuasionum, quod missa sit sacrificium propitiatorium: quod panis sit substantia corporis Christi: quod ad panem fieri debeat adoratio & inuocatio Christi: quod debeat offerri pro viuis & mortuis, pro peccatis, poenis praesentibus & aeternis, satisfactionibus & alijs necessitatibus: quod sacerdos pronunciatione verborum mutet substantiam panis in corpus Christi: quod opus sacerdotis meritum sit & precium remissionis peccatorum: quod haec ceremonia prosit etiam non intentibus, ex opere

operato

operato, sine fide, absentibus & mortuis: Nemo contra multis seculis à Lanfranco usque ad Petrum de Aliaco Cardinalem Cameracensem aperte & palam sine discrimine summo hiscere aut mutire fuit ausus. Imo tam odiosum & detestabile euasit inde Berengarij nomen, ut non modo palam professi dogma mox fulmine anathematis ferirentur: suspecti de eo tanquam haeresiarchae habrentur: sed quos cupiditas eius erat, & studium aeterna labe infamatos ad necem usque persequi, ut Sacramentarij, è schola Berengarij egressi, & manifesti Necromantici proclamarentur, ut ostendunt exempla Henrici quarti Imperatoris, & Gregorij septimi Pontificis Rom. qui dictus fuit Hildebrandus ante pontificatum. Causa tantae rabiei fuit, quod nossent hoc idoli velut adamantino vinculo solo contineri, ac stare totam hierarchiae ac tyrannidis Romanae maiestatem. Nec vera causa vel unius totius commenti de praesentia in pane ullius est aut fuit unquam alius. A Lanfranco itaque usque ad Petrum de Aliaco fulsiunt idolum panis Transsubstantiatio. Aliacus circa Basiliensis concilij tempora post Hussium crematum, illo senescente ac labascente, restitutione conatus est ante condemnatum τὸ συνουσίας praesidium. Hunc secuti sunt Joannes Gerson, Gabriel Biel scholasticorum rhapsodus & alij, inter quos est D. Doctor Martinus Lutherus, qui quidem hic in nullo discrimine ponit, alterutro utro modo pani corpus includatur, seu manente seu euanescente substantia panis, sicut & nullo discrimine pro συνουσία συσωματωσιν usurpat, corporis cum pane veri, naturalis, substantialis, integri, non apparentis tamen, & sensui nulli subiecti, definitiuo praesentiae modo qui spiritualibus creaturis tantum proprius est. Fundamenta, quibus superstruit

sua,

sua, constituit quatuor: Veritatem personae individuam, Veritatem verborum institutionis, Sessionem ad dexteram quae est ubique, Plures existendi modos, quibus alicubi Christus esse possit. Capite causae seu controversiae, id est, praesentia in pane consentit Pontificijs: De modo, nec secum quidem consentit, etsi frequentius cum Aliaco in consubstantiationem inclinat. Capi autem & manducationi corporis ore cum illis contendit, In, Cum, & Sub pane, non spiritualiter tantum sed & physico mansu, a pijs pariter & impijs. Hi vero omnes etsi interpretatione sua vim se attulisse verbis Christi inficiari non possint, id tamen caverunt quantum fieri potuit, ne palam & manifeste impingerent in articulos fidei de Christo vero Deo & homine. Cum pane luserunt, ut conservaretur Christus integer & inconfusus natura utraque in uno hypostatismo. At Lutherum sequuti, et titulo ac nomine falso professi degeneres eius discipuli, pane relicto, retenta tamen cum longe monstrosiore depravatione verborum, pontificia hypothesi de praesentia in pane, & particulis; In, Cum, Sub; Vim omnem in Christi personam converterunt & in articulos de hac fidei, vere θεομαχοῦντες. Petitis enim fundamentis & praesidijs ex Antichristi castris utrisque, tam solventium Christum, quam in carne negantium, sicut a Ioanne describuntur, & ab Orco resuscitatis veteribus haeresibus blasphemis atque olim condemnatis, gravissima Ecclesiae & Synodorum oecumenicarum censura, fumos vendunt. Christum enim corpore quod pani se praesens cum Pontificijs & Luthero asserere contendunt & clamant, indutum rentra

negant

negant, proq. illo in pane, ludificantes Deum & homines, nec spectrum, nec umbram corporis, imo nec umbram spectri offerunt. Horum ἀρχηγοὶ, auctores & duces τῆς πανταχουσίας seu ubiquitatis Brentius, & illius discipulus, ubiquitatis Apostolus Jacobus Andreas humanam naturam in Christo exagnatam divinae diffundunt in immensum, communicatione seu effusione reali omnium proprietatum essentialium ex natura divina in humanam assumtam, inde usq. ab exortu in utero Virginis Mariae. In hac illa constituunt totam rationem unionis hypostaticae, ut fingant, per proprietatum essentialium omnium effusionem λόγου omni plenitudine suae Deitatis habitare in natura assumpta σωματικῶς seu essentialiter, hoc ab aliis sanctis discrimine quod in Christo exerat sese potentius quam in aliis sanctis. Ex hac proprietatum essentialium effusione humanam naturam Christi hoc adeptam fingunt, ut sit facta omnipotens, [illegible], immensa, infinita, ἀπερίγραπτος, ut sit ubiq. in omni loco, in omnibus creaturis, in elementis, & corporibus inde compositis, in pane sacro etiam ante consecrationem, eodem modo in omnibus: sed in solo usu sacrae coenae dispensatione. De verborum interpretatione κατὰ συνεκδοχήν realem nova portis & inaudita, quam illa in sensum suum trahunt, fundamentoq. praetentae quod statuunt, accomodant, dicam postea. Kemnicius, & huic consortes rebus nuptis dissoni Kirchnerus, Selneccerus & alii abhorrentes nomen & modum effusionis Suevicae, subtiliori mendacio, rudibusq. minus obvio, sed monstroso magis fingunt ex aeterno nova seu dispensationes, unionis hypostaticae proprietates divinae naturae

essentiales communicari humanæ hyperphysice, citra separationem à suo sub-
iecto, & citra adhæsum in alieno, id est, ita ne separentur a diuina, uel, ut
isti loquuntur, ne egrediantur diuinam essentiam; Et humanæ ne adhæreant sub-
iectiuè, formaliter, habitualiter, essentialiter, substantialiter: Realiter tamen, sic,
ut vinculo unionis hypostaticæ, & communicatione reali essentialium proprie-
tatum humana natura sit efficax, mox ab exortu in utero Virginis, omnipotens
omniscia, omnipræsens, quod adsit ubiq; rebus omnibus non minus quam diuina,
sed hyperphysice; Et quod communicatas illas proprietates, cum in terris uer-
saretur, occultarit; exercuerit autem plene totas, ut organum συνεργὸν
omnium actionum & effectionum diuinæ naturæ propriarum, post exaltationem,
mutata etiam glorificatione in essentialibus proprietatibus aliis, & sensibus sub-
iecta tota, uisui, gustui, tactui &c. Quod ergo arbitrio liberrimo, ut Proteus
quispiam aut Vertumnus, nunc specie illa quam conspectus est in terris, exhi-
beat sese Angelis & beatis, quando uult, & quibus uult in locis certo modo: Alte-
ra uero inuisibili, eadem cum deitate τοῦ λόγου proprietate, impleat omnia,
& adsit omnibus, aliter tamen systemati toti rerum & creaturis singulis: aliter
baptismo, in quo ablui fingunt infantes sanguine Christi, contactu, actu, ef-
fectuq; præsenti, sed virtute diuina: aliter Cœnæ sacræ in qua hyperphy-
sici corporis, omniumq; proprietatum essentialium & realium expertis, veri
tamen, physici & substantialis, hyperphysico contactu, manu, haustu, vero
tamen & physico oris esu, & pastu, sed citra sensum ullum fingunt, pasci

ac

ac potari sumentes actu & effectu hyperphysico credentes ad vitam & salutem: impios
ad interitum & mortem. Hesshusius explosa ubiquitate universali seniorum resistit
in argumentis veritatis verborum & omnipotentiae testatoris cum ubiquitate restricta,
ad quam inclinat & Kemnitius, permittens ut in altera abundet quisque suo sensu.
Haec fatebuntur omnes pij, qui historiam Ecclesiae & doctorum in ea testimonia de
mysteriis Coenae considerant, ac verissimam narrationem de occasionibus, causis,
exordijs & progressibus quaestionum ac certaminum quibus quaesita & stabilita
sunt fundamenta & nervi sacrificij & idoli missae multis seculis. Nec ea excitata
recens, sed ex veteribus resuscitata ac renovata sunt. Nec propter hominem, cum
quid possit praesentia illa corporis in pane aut cum pane in ipso, nullo iota scrip-
turae demonstrari potest: sed super panem & propter idoli rationem in pane, ac
faecundum & fructuosum cultum, aulis, opibus, & potentiae Pontificum & cleri
sacrificulorum missae, quod unum & solum hierarchiae pontificiae velut anima
adhuc est & ἐντελέχεια. Ante Gregorium Magnum nunquam de his quaesti-
num quicquam reperitur, ut supra monui. Etsi enim multa leguntur veterum
Sacramentales locutiones, quae ad exemplum Christi videntur symbolis hoc tribuere,
quod ipse tribuit appellationibus sui corporis & sanguinis: tamen non aliter
illis quam verbis Christi indicantur res ipsae in symbolorum usu legitimo, commu-
nicatione, & applicatione interna, spirituali; secundum institutum atque ordinem,
qui in toto ministerio & singulis partibus unius modi ac perpetuus est. Prop-
ter ordinem hunc, ac propter sacramentalem [illegible], qui spiritualis est,
quicquid in symbola dicitur, commissum confertur in corpus & sanguinem
Christi

Christi, ut Pauli sententia: Qui comedit de pane hoc, & biberit de hoc calice indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Item, Qui manducat de hoc pane & bibit ex hoc poculo indigne, iudicium sibi ipsi manducat, non diiudicans corpus Domini. Sic multorum patrum dictis similibus. Indigne manducat panem & bibit de poculo qui non discernit hunc mysticum & sacrum panem à physico & profano, & iudicium sibi manducat, & fit reus corporis & sanguinis Domini, quia non credit ex institutione in ordinato usu, symbola ista κοινωνίας esse & participationem corporis & sanguinis Christi, eo ordine & modo qui in verbo traditur, eoque & symbola contumelia afficit, & ipsum corpus ac sanguinem, participationem horum ordinatam repellens. Diiudicationem .n. seu discretionem in usu facit sola fides. Veterum tamen & sacramentales de pane phrases simplices & quandoque ex occasione aliqua exaggeratas discerni oportet ac procul removeri à recentibus vetustati ignotis quae ex commento pontificio natae, impiae, blasphemae & idolatricae sunt. Quales est, panem esse verum, naturale, essentiale, substantiale corpus Christi: & hoc ipsum ore & manu physico, physice seu naturaliter, ut Pontificij & cum his Lutherus: hyperphysice ut Hemmiliani: spiritualiter ut Ubiquitarij alij contra utrosque corporeum scilicet spiritualiter, ore tamen eoque physico sumi statuerunt.

Caput Quintum

Historiam postquam recensui, examinabo nunc & horum inter se fundamenta sententiarum tot modis dissidentium. Caput controversiae continetur his quaestionibus. Primò: Utrum sacramentalis praesentia Christi in sacra Coena sit in pane & homine praesentia nova, extraordinaria, irregularis

laris, miraculosa, diversa non tantum ab illa praesentia perpetua in ministerio Leviti
tico, sed alia etiam penitus à mystica & pactionali, quae uno scripturae consensu
una eademq. statuitur & traditur in ministerio verbi & sacramentorum utriusque
testamenti, ac nostri in sola Caena nova & diversa? Secundo: Utrum miracu-
losa illa praesentia recte statuatur esse praesentia pro pane, sub accidentibus panis,
aut in pane, cum vel sub pane, corporis Christi; veri, viui, naturalis, substantialis,
miraculoso, novo, & reliquis ministerij partibus inusitato modo? Et Utrum iuxta
Damascenum modum sit ἀνεξερεύνητος: secundum Durandum nesciatur sed cre-
datur: Modum nescimus, praesentiam credimus? An vero sit praesentia spiritualis,
corporis & sanguinis in spiritu corporis Christi, qualem Christus & cum ipso reliqua
scriptura docet? ut supra est recitatum. Tertio: Utrum Christus praesens
corpore naturali, seu carne in pane, hoc ipso corpore, eodem, quo panis, ore mandu-
cetur physice & corporaliter: An vero hyperphysice aut spiritualiter à credentibus
& impijs. De prima quaestione respondeo; Quod non sit praesentia nova,
extraordinaria, irregularis, miraculosa, Quia praesentia & efficacia dei in mini-
sterio toto, & singulis eius partibus, Ut in verbo sic in Sacramentis, Ut in uno
sacramentorum sic in altero, est ordinata, regularis, perpetua, Una eademque,
talis qualis describitur, nimirum in verbo externo, physico, legitimo tamen &
ordinato mediorum, interno in mente spirituali, virtute efficaciaque divina spiritus,
effectu spirituali; in donis spiritualibus per fidem. Nec fuit alia in verbo &
sacramentis hierarchiae Leviticae, etsi ritus externi fuerunt alij, & accesserunt

quamdoque

quandoq. Externa testimonia presentiæ Dei in illo populo, in patefactionibg sin-
gularibus, qualia fuerunt deductio & protectio populi in columna nubis & ignis,
Inflammationes Victimarum, impletio templi per nebulam cum initiaretur ac
dedicaretur Deo, & similes apparitiones factæ alijs sanctis. Ritibus Leviticis
abolitis, qui fuerunt typi futurorum, Christus alios instituit, sigilla completo-
rum. Patefactiones illas singulares finiuit adventu suo in carnem, quo se
omnibus semel exhibuit. Visibili vero missione Spiritus sancti, perpetuam
eius præsentiam per verbum & sacramenta in cordibus credentium Ecclesiæ com-
mendauit atq. obsignauit, secundum pacti sui fœderis noui leges, & promissa à
prophetis edita, ab ipso repetita & explicita. Nec aliter se Deus communicat
per ministerium noui testamenti, nec alia æterna bona sed eadem q̄ fidicia
unius promissionis, fide tamen redemtionis peractæ nos nobis, ut illi spe fu-
turæ, per & propter Messiam unum & eundem sibi applicabant. Multo minus
alia & diversa est noui testamenti præsentia in verbo, alia in Baptismo,
alia in Cœna sacra. Quia unum corpus, unus spiritus, unus Dominus, una fides,
unum baptisma, unus Deus & pater omnium, unus panis etiam & unum cor-
pus multi sumus oēs qui de uno pane participamus. Vnicuiq. autem nostrum
data est gratia, secundum mensuram donationis Christi: Et omnia operatur
unus & idem spūs diuidens singulis sicut vult. Quid his verbis euidentius
quærenti serio, & sinceris oculis spectanti veritatem? Sed de his supra satis.
Cum sint igr ministerij divinj, ordinata semper sunt & fuerunt, id est,

certo

certo expressoq. verbo instituta, interq. sese congrua ac perpetua. Sed ordo ministerij longe alius est, & fuit semper, & ad alium usum & finem institutus, quod ordo rerum in natura: nimirum, ut generis humani post lapsum destituti penitus a tota rerum natura & in aeternum interitum, sed arcano mirandoque decreto diuinitatis, unius filij intercessione conseruati, & morte eius redempti tandemq. redempti instauratio una virtute spiritus sancti eidem adplicare. tum ad primitias in hac vita amissae integritatis, in noua Deoq. placente vita spirituali. Et sicut ordo est alius, sic & praesentia atq. efficacia alia quam in creaturis. Quare commisceri inter se & confundi nunquam debent. Quae autem ordinata sunt, miraculosa non sunt. Etsi enim omnia miraculosa sunt, & plena miraculosi stuporis, quae fiunt a Deo, atq. imperscrutabilia: Non minus .n. miraculum est creatio, conseruatio & administratio rerum & operum naturae quam redemtio, reparatio, & instauratio generis humani quod perierat ad aeternam vitam, & consuetudinem cum Deo: tamen sicut ordo naturae conditus ad usum vitae caducae praesentis regularis est ac perpetuus: sic ordo ministerij ad aeternam vitam institutus, sed hic inchoandam, regularis ac perpetuus est pariter, non nouus ac miraculosus. Miracula enim illa sunt & vocantur, quae in ordinatis utrobiq., id est in ordine naturae & ministerij noua sunt, singularia, rara, extraordinaria, id est ab instituto ordine variantia, actus unius certi & non perpetui ad hunc usum & finem edita ut ostenderet Deum esse agens liberrimum, & quando uult

desecedere

discedere ab ordine singularibus exemplis, propter alias causas, quib. tamen
ordinata ac regularia non tollit. Tales erant immediatae vocationes prophe-
tarum, talis Pauli. Per prophetas emendat abusus & corruptiones ordinatorum
in doctrina & ritibus. Paulum ne quis imitetur, imaginatione aliqua falsa,
aut Diaboli ludibrijs simile quid sibi persuadens, potius remisit Christus ad
ministerium Ananiae & baptismum, cum mandatis etiam Ananiae datis. Haec
de genere potestatis monui nunc addo etiam de specie, id est de praesentia in
sacra coena: Quod nec in Baptismo, nec in sacramento coenae praesentia sit alia
quam in ministerio Verbi, sed haec mystica, pactionalis, ordinata, perpetua, vnius
modi. Talis omnino qualem supra descripsi. quia Christus vna persona ve-
rus Deus & homo adest, ut λόγος Deus sua Deitate: ut homo, non corpore ipso
praesente, non contactu coalitu q. cum corporibus nostris materiali, physico, ca-
pernaitico, non commentitio physico, sed Spiritu suo, quem Paulus vocat Spiri-
tum Christi, & virtute atq. efficacia spiritus illius qui in carne Christi ut
in fonte; in fidelibus ut in riuulis habitat, communicans se nobis in hoc eo-
dem Spiritu carne sua, ut pastu viuifico, nosq. vitissim consocians & vniens
sibi, & efficiens nos hoc modo ut templa Dei seu totius Trinitatis, ut templa
Spiritus sancti habitantis in nobis, sic & nova ac viua membra corporis sui, re-
suscitati ac mystici. Fiunt n. credentes simul & templa & membra Christi:
templa inhabitantis: insertione vera in ipsum ut vitem & arborem viuam
vitis etiam palmites ac surculi resuscitati corporis, os ex ossibus,

caro

caro de carne eius Ioh. 6 & 15. Ephes. 6. Et ut membra simul insertione in corpus
mysticum corpus unum fiunt inter se mutuo singuli, alter alterius membra in Christo
qui caput est. Rom 12. 1 Cor. 10. & 12. Ephes 1. 4. 5. & Coloss 1. Sicut ergo Christus ac na-
tiuitate ex utero Mariæ Virginis in assumpta carne factus est nobis ὁμοούσιος, si-
ne peccato: sic regeneratione spirituali conformat nos uicissim suæ massæ, uiuificans ac
sanctificans nos illo spiritu, quo suam carnem. De præsentia & efficacia spiritus clara
sunt testimonia in Prophetis sub promisso & pacto noui fœderis. Esa: 48. 51. 55. 59.
Ierem. 4. 31. Ezech. 34. 37. Ioel. 2. Zach. 12. In nouo testamento plura & il-
lustriora de Spiritu sancto, & de tota trinitate Ioan: 6. 14. 15. 16. 17. Rom. 1. 10. 12. 15.
Item 1 Corinth 2. 3. 6. 12. & 2 Corinth. 3. 4. 6. Gal. 3. Ephes. 1. 3. 4. 5.
Item 1 Thes. 2. & 2 Thess. 1. Heb. 1. 4. Item 1 Pet. 1. De Baptismo sunt
illustria testimonia Matth. ultimo, Ioh 3. Rom. 6. 13. Item 1 Cor. 12. Coloss. 2
Tit. 3. De cœna sacra similiter illustria sunt testimonia Ioh. 6. & 1 Cor.
10. 11 & 12. Et præter hæc omnia testimonia, quæ ostendunt ac testantur uno
contextu, spiritualiter, & in spiritu totam Diuinitatem, & personas singulas in
sanctis habitare, Et uicissim sanctos ut templa & habitacula totius Diuinitatis
coniungi & uniri carni Christi, coniunctione spirituali per fidem, in spiritu Christi,
qui ideo Spiritus Christi uocatur, tum quia est ὁμοούσιος ut Patri sic filio,
procedens ab utroque, tum quia habitans in assumpta natura Christi, tamquam
ipsius carne propria, & in ea efficax οὐ κατὰ μέτρον, effunditur tanquam
carnis Christi spiritus ex dono gratiæ, secundum prophetarum & noui testa-
menti dicta, in sanctos, ut & in ipsis habitet, sitque efficax in eis, & con-
formet

formet eos massa Christi, sed κατὰ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ
id est, secundum mensuram donationis Christi, ut Rom. 8. & 1. Cor. 6 & 2 Cor.
3. Gal. 4. Cum Christum praesentiam aliam, id est, illam ipsam Capernaiti-
cam, quam Ioan. 6. arguit ac damnat, in ritu Caenae institutae fingunt, & Christum
& Spiritum Sanctum, & Paulum inexplicabili antilogia sibiipsis & contentionibus
testimonijs de ordine, usu, fructu, effectuque ministerij contrarios, hocque propter me-
daces faciunt. Una est igitur eademque praesentia in toto ministerio, & in par-
tibus singulis, eaque ordinata, regularis, perpetua, unius modi, sed spiritualis. Nec
est alia in Caena nova & miraculosa. Estque praesentia non in pane, sed in homine.
Non enim propter panem adest Christus, sed propter hominem, cuius Sacramentum
conditum & commendatum est, inque eo Spiritu suo Sancto est infixum, secundum
pactum & promissum, si in usu panis & vini servet leges & ordinem institu-
tionis. Tantum de prima quaestione.

Caput Sextum.

Ad secundae quaestionis primam partem, Utrum illa miraculosa praesentia
sit praesentia in pane verae carnis, seu veri corporis Christi, & sanguinis
in vino veri, vivi, naturalis & substantialis: Seu Utrum panis sit ipsum
verum, vivum, naturale & substantiale corpus Christi, novo & inusitato sa-
cramentis reliquis miraculo? Ad hanc ergo respondeo categorice &
ἀναμφισβόλως: Quod non sit, Et quod hoc affirmare sit impium,
haereticum, blasphemum & idolatricum. Primo: quod testimonia scrip-
turae nulla habet, & ignotum est prorsus primae atque orthodoxae anti-
quitati

quitati, cepitq., quemadmodum ostensum est, origine cuncta ex erroribus, superstitione & abusibus in ritum sacrae coenae invectis, in finem & usum non alium, nisi ut sacrificium missae & abusus sacri panis teteros & multiplices stabiliret. Secundo: quia commentum hoc sua semetipsum interpretatione & multiplici inexplicabilium contradictionum implicatione evertit. Tertio: quia multis modis pugnat cum scriptura, cum ordine in ministerio verbi & sacramentorum expresso, verbo instituto, & confirmato ad hoc, ut per illud condatur Ecclesia filio Dei, in virtute spiritus: cum ipsa etiam rerum natura. Quarto: quia abolet articulum symboli christiani de Christo vero Deo & homine, deque unione hypostatica duarum naturarum in Christo, ipsamque naturam humanam penitus. Quinto: quia, ut saepe dictum est, nullum habet usum alium, quam quod sancit ac tuetur errorem idoli & sacrificii in missa idolatrica. Et cum nullo testimonio scripturae demonstrari ac definiri possit, nec quid sit, nec qualisnam sit, aut quanti temporis praesentia in pane, quo actu & effectu, quanto tempore in pane aut cum pane sumtum corpus moretur in homine: quando discedat, cum ve repetendum sit: quam hominis consolatione: quo fructu ac profectu ad vitam novam, aeternam, spiritualem: Nihil confert aliud quam quod perniciosissimum, sed inveteratum morem de opere operato, ac deterrimos, summeque detestandos abusus alios, & plane magicos in reposition, circumgestatione, adoratione panis, in expiatione pollutorum, in depulsione daemonum, & periculorum spiritualium ac corporalium, ipsiusque coenae abominandas quas non referre modo, sed & meminisse mens horret, profana

nationes: Quód illas ergo in excaecatae multitudinis animis cum intentu

aeterno plurimum alit, auget & confirmat. Haec examinatis ordine om-

nium fundamentis, ita se habere demonstrabimus. Ac primo: quód ipsum totum

commentum de praesentia in pane tale, quale fabulantur esse, nihil sit, & sit

mendacium, ostensum satis est, cum declarata est vera praesentia in toto mi-

nisterio, quia est praesentia in actione per hominem, & in hoie, non in medijs, sed in

usu mediorum ordinato exerit & effundit sese in hoiem solum, & in nullam

rem aliam, virtute & efficacia liberrima Spiritus sancti. In hominem vero nescientem

occlusum, aut habentem se pure passive, ut brutum & truncum. In talem n. nihilo

plus agit quam in vere lapidem, aut truncum, aut in quadrupes aliud brutum: Sed

in hominem organis rationis & voluntatis libera, virtute viua mouentis Spiri-

tus sancti agentem, eo discrimine quód pingit parabola de semine ac semina-

te secundum agrorum discrimina, in quos semen cecidit, serio conatu tamen

stabilique ac perseuerante usque ad finem, cuius ager bonus: & agentem ea quae

sunt spiritualia nouae & aeternae vitae in lucta perpetua cum sua carne, Dia-

bolo, & mundo: sicut dictum est. Praesentiae corporis seu carnis Christi

scriptura ne quidem in homine meminit aliter quam in virtute Spiritus per fidem.

In pane vero nunquam prorsus; de pane non nisi praedicatione sacramentali in ver-

bis institutionis coenae, quae qualis sit, de eo praecipuum certamen est, nimi-

rum, utrum identica praedicatione, ut subiectum & praedicatum significent &

sint idem reipsa? an vero synecdochica, ut contentum id est corpus inclu-

sum aut alligatum pani praedicetur reali praesentia de continente? an de-

nique

deniq. metonymica, ut res signata de signo prædicetur commutatione appellationum propter analogiam inter se signi & rei signatæ, eo quod symbola sunt exhibitiua rerum signatarum, ordine institutionis propter uerbum. Μεταποιοῦνται ἢ Μετουσιάζεται, cum urgent ac defendunt uerba, ex sua tantum falsa hypothesi omni alio adminiculo scripturæ destituti penitus, multipliciter discordis interpretationis inter se dissidio, quod commemoratum supra est, quid aliud efficiunt quam quod docent & conuincunt quemuis sana mente præditum hypothesin falsam esse, quam statuunt, siquidem nulla constructione uerborum regulari: nulla dilaceratione contextus irregulari & uiolenta: nullo sensu ex uerbis intellectus, ut sonant, extorqueri possunt, panem esse corpus ipsum. Interpretationem enim, de qua contendunt, nullam reperiunt. Quodq. alijs negant περὶ ῥητοῦ ἢ διανοίας certamen esse, id sibi tamen fas & concessum permittunt. In hoc ergo primo principio fundamentoq., quod solum unica basis commenti, cum deficiant, quomodo constabunt reliqua inde detexta? Valde anguntur hac in parte Scholastici. Cum enim, ut dictum est, proprietatem uerbis constare non posse uideant, si pronomen, Hoc, relatiuum sit ad panem fractum, nihilo plus tamen præsidij reperiunt, si faciant demonstratiuum, itq. fatentur. per pronomen, hoc, inquiunt demonstratur res aut ad sensum, aut ad intellectum. Si uero ad intellectum, quid aliud quam Christi corpus demonstrare potest? Inde uero hæc propositio: Hoc est corpus meum: intellectu eadem erit cum illa, Hoc corpus meum est corpus meum. Si ad sensum, quid aliud demonstrabit quam panem? Unde sequetur quod fractus panis

sit corpus christi. Neutrum autem admitti posse dicunt; illud propter ina-
nem ταυτολογίαν, hoc non magis quam si referatur ad panem, quia impossibi-
le sit, panem fractum aut esse aut esse posse, simpliciter & proprie loquendo,
corpus christi, nisi mutatione. Ergo quamquam in verborum interpretatione haererent
ac discordarent, tamen quia praesentiam carnis in pane, ut necessariam ro-
mano idolo, requirebant, prius quam probassent quod sit aliquid, qualis sit &
quomodo fiat definierunt, aut Christo etiam in prima institutione, tanquam
praestigiatori, affingere illa mendacia & portenta quae ex sese cuderunt, imo
mendacii sui Christum autorem faciunt & testem. Quid aliud .n. Christo
tribuerent? Sed unde sumunt illam suam panis in corpus Christi muta-
tionem, & qualem statuunt? Quod ex scriptura sumant, quomodo docebunt?
Omni mutationi panis irrefragabiliter reclamat Paulus, qui panem perpetuo
vocat & calicem id quod consecratur, quod distribuitur, quod capitur ore,
quod sumitur a dignis & indignis, cuius usu profano indigni fiunt rei
corporis & sanguinis Domini, in cuius sumptione praecipit fieri commemorationem
mortis Domini, donec veniat. Denique docet quod unus panis & unum
corpus multi sunt, qui unius panis participes fiunt. Non mutationem tan-
tum a pane excludunt haec Pauli concorda sibi ubique testimonia, sed elidunt
& obruunt etiam uno eodemque ictu pariter nugas inanissimas & vanissi-
mas alterius continentiae ex dilaceratione & depravatione textus non tantum de
significatu & vi particulae Hoc, sed de mutationis tempore modoque excogi-
tantia

sentia, Utrum in ipsa consecratione, dum fit, aut postquam peracta est? An vero in fractione, distributione, & porrectione? Item: Utrum vi energetica verborum institutionis, vel occulta aliqua alia fiat conversio? quae & ipsa semel ac mutationem commentitiam evertunt. Hoc enim concesso, quod alia vi fiat quam verborum, quae erit illa nisi magica, quae mandatum non habet? Cuius vero erit usus pronunciationis verborum, si non per illa efficitur aut perficitur quod afferre statuunt? Adhaec Deus operabitur aut efficiet aliquid operum necessariorum ad salutem in Ecclesia, sine fide, quo solo & per quod, sed in mandato usu, non in abusu magico & incantatorio traditur Deus efficax esse, spirituali virtute & operatione, & agere ac perficere quae verbo patefacta & promissa, & sacramentis ut per verbum visibile sancita sunt, in homine tamen tantum, & non in re bruta. Alterum si concedatur vi energetica verborum id perfici, quae quaeso erit illa alia quam magica, incantationi similis? Cum non valeant haec verba sono, aut sensu, nec in hunc finem aut usum tradita sunt, sed ordinant administrationem ritus, ac de mediorum legitimo usu praecipiunt. Quare abusus magicus exagitatus est ad persuadendum populo mutationis figmentum. Neque enim divinam illam esse, ullo alio testimonio aut ullo exemplo simili scripturae ostendi potest. Adhaec vanitatem redarguit illa quae non sequitur mutatio, cum nulla fiat. In ipso vero modo conversionis miraculosae per transsubstantiationem supra descriptam, tantum est aperti mendacij, tantum monstrosae absurditatis, ut non solum mens pia & religiosa abhorreat, sed & perpetuus ordo naturae repugnet, & seniores ex scholasticis reclament. Quid est mendacium hoc totum, quam confusio inter se ordinis divini in utroque, in natura rerum &

in

in ministerio, & praesentia Dej atq. extraordinariorum in utroq? An per prae-
sidia naturae nouis spiritualibus viribus instructa, aut commixta substantijs in
spirituales sub physicorum specie, voluit Deus renouare & separare genus huma-
num actu physico & bruto? Quid uero in eadem simile est miraculis, quae
singularibus actibus extra ordinem naturae Christus edidit in suo corpore, manifesto
effectu & omnibus conspicuo ad ostendendum, se & essentia diuina vere Deum esse
omnipotentem, & corpore uerum hominem in omnibus proprietatibus, & non spectrum
esse? Hoc uero miraculum pontificium Christi corpus & panem sic transfor-
mat & commiscet inter se, ut mutilato utroq diuulsione ordini naturae im-
possibili, & in miraculis nullis alijs unquam comperta, in pane accidentibus suam
substantiam a qua pendent & cui inhaerent: in corpore Christi contra essentia-
libus & proprijs accidentibus, quibus, ut corpus cognoscitur, & existit, substantiam
corporis & accidentia panis, citra coalitum tamen & contactum copulat in unum
compositum, non compositum, id est in quiddam quod reipsa & effectu nihil est.
Quid est enim, aut quae est substantia? Quid agit sine proprietatibus,
sine dimensionibus, sine viribus & facultatibus actionum effectricibus? nisi par-
tim accidentia, & formae vires suas relinquere, materiales solas tollere, nouo
iterum portento uolunt? Quid sunt accidentia separata a subiecto? Et
separatio illa qualis est, ac quomodo fit? Quomodo consistunt accidentia
si substantiae corporis non innituntur? Aut si uelut operculum & velamen
tantum obtenduntur? Si enim ita inhaerent, ut uelut illita & agglutinata

ac externalisq;

ἀχηματίστῳ massæ, substantiæ externam panis formam induant et adaptent, quomodo congruet formæ essentiali in toto, & membris singulis forma panis accidentaria & externa? Quomodo mus rodens accidentia, non massam ipsam substantiæ rodet? Si denique in substantia corporis gestantur & sustentantur, non sunt in alieno sed in suo subiecto, quomodo in corpore vivo & nullis obnoxio mutationibus corrumpuntur? Talia & similia alia portenta plura miraculis simo venditant, non tantum physica mysticis falso confundentes, sed & Christum præstigiatorem facientes, qui ostendat aliud, aliud in visa specie det, & quidem cum sui corporis mutilatione magica, cuius veritatem omnibus ijs miraculis, quæ in scripto edidit, demonstrare ac confirmare discipulis noluit, sicut dei talem omnipotentia: ac si non posset nos pascere carne sua, si vellet, nisi luderet præstigijs magicis. At vero non solum in ordinem ministerij scripturæ & verum in natura incurrunt μετουσιάσαι sed & in ipsos impingunt scopulos deliriorum de persona Christi, & de humana natura in persona, imo fidei articulos de hac non minus quam Ubiquitarij, quod declinasse tamen se putant. Si enim conversio panis fit in substantiam corporis ἀσχημάτιστον seu informem, eoque inconspicuam & insensibilem partis, an non duæ erunt substantiæ diversæ, una proprietatum expers in pane: altera in suis proprietatibus caelum obtinens? Quomodo una erit eadem habens & non habens uno eodemque tempore? Aut si de corpore nolunt intelligere transsubstantiationem, quale erit illud corpus in pane carens essentialibus & accidentalibus proprietatibus?

in

in quibus verum in cælo regnat? an non spectrum erit, aut quid spectro vani
us? ἀόρατον, ἄζευγον, ἀψηλάφητον, ἀπέζον, ἀλλήλον; Quamquam si de
sola substantia μετουσίαν intelligant, & non de toto corpore, discedunt a verbis
Christi, qui de corpore non de corporis substantia loquitur, de qua tertia men-
dacium suum intelligi volunt, quia essentiales & accidentales proprietates ej
adimunt. In quibus vero unque miraculis fecit Deus contradictoria una inre?
quæ simpliciter & absolute fieri & esse simul impossibile est, & quæ nec apud
Deum nec apud homines simul vera esse possunt, qualia in hoc commento
sunt plurima? Adhæc corpus, vel corporis substantia quæ pani indui fingi-
tur, necessario eadem est aut numero cum corpore Christi, aut specie.
Si numero eadem est, quomodo non erit ubique, si eodem tempore in hostijs est
innumeris? Ad Ubiquistas ergo accedunt quos condemnant, & a quibus
propter μετουσίαν repelluntur. Si eadem specie est, erunt innumera cor-
pora, tot scilicet quot sunt hostiæ. Nec erit illud corpus quod Christus ait
traditum esse in mortem, sed novum aliud virtute verborum creatum. At quæ
veritate verborum institutionis? Ut probent vero commentum totum magi-
cum esse adijciunt & hoc, μετουσίαν non fieri virtute verborum, nisi illa
pronuncientur a presbytero rato & uncto ritibus Romanæ curiæ. Presbyte-
rorum dicunt hoc proprium esse, sicut audivimus Monachum Bavaricum
Crettenicum impudentissime pro concione Wormatiæ Anno 1557 Colloquio
pollicitus gloriantem, presbyterum multĩ modis & prærogativis matrem Christi

Mariam

Mariam Virginem antecellere, quae Christum semel peperit, quum Sacerdos quoties
velit momento conficere possit. Virtute ergo concepta ex Romana unctione
& pronunciatione verborum a raso conficitur, id est, creatur corpus novum in pane
de nihilo, substantia panis extrusa sub eius accidentibus. Id si magicum non est,
quid similius illi sit, non reperio. Haec summa est illius praeclari men-
dacii, quod tot seculis orbem Christianum excaecatum dementavit: in quo cum
tantum sit absurditatum, tantum manifestorum mendaciorum, non verentur
id tamen excusare Jesuitae ac defendere in gratiam Pontificum, & Regum
ac principum animos inflammare ad idem suppliciis, exiliis, armis & vasta-
tionibus stabiliendum, non volentes agnoscere quanta contumelia & quam multi-
plici afficiant filium Dei, cum ipsa depravatione doctrinae ac defensione idoli
& abusuum, tum quod mutationem illam suam ab ipso profectam, id est, a
prima institutione ortam fingunt, ut quemadmodum ipse vi omnipotenti
effecerit eam per institutionis verba recitata, sic perficiat deinceps per
Sacerdotem eadem repetentem. Quanta blasphemia Spiritum sanctum affici-
ant adversando tam pertinaciter manifestae veritati, & tot modis.
Damascenica μεταποιήσεως, & Theophylactea μεταστοιχειώσεως nullo modo
excusari, aut ad sacramentalem mutationem accommodari possunt, quia sit
translatio a profano usu ad sacrum, mysticum & spiritualem gratiae, ordina-
tione divina quae significatur in Canone Basilii & Chrysostomi, quia hyperphysi-
cam talem in symbolis pane & vino statuunt, quod post mutationem non
symbola

symbola sed corpus & sanguinem manducans, hyperphysice, id est miraculose sumat, sicut superius allegata demonstrant, & praeter illa plura alia dicta, ut cum inquit: ὥσπερ πάντα, ὅσα ἐποίησεν ὁ θεὸς, τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐνεργείᾳ ἐποίησεν· οὕτω καὶ νῦν ἡ τοῦ πνεύματος ἐνέργεια τὰ ὑπὲρ φύσιν ἐργάζεται, ἃ οὐ δύναται χωρῆσαι, εἰ μὴ μόνη ἡ πίστις. id est: sicut omnia, quae fecit Deus, efficacia Spiritus sancti fecit, sic & nunc efficacia Spiritus sancti ista supra naturam facit quae non potest capere nisi sola fides. Item: πνεῦμα ἅγιον τὰ ποιεῖ ὑπὲρ λόγον καὶ ἔννοιαν: id est: Spiritus sanctus efficit supra rationem & intellectum. Haec manifeste affirmant, mutationem fieri substantiae panis & vini, ut operum divinorum, generali & communi actione a Spiritu sancto, in corpus & sanguinem talem quae tamen non fiat ordine naturae, sed hyperphysice & extraordinarie, & quam credi oporteat, quia mente & intellectu pervestigari aut comprehendi nequeat. Talis autem a ministerio in Ecclesia alienissima est. Neque scriptura sic loquitur. Neque ordinata ad ministerium externa media mutari docet, ita ut fiant res ipsae hyperphysica mutatione, sintque unum idemque cum rebus, usuque physico utentibus eadem communicent & applicent, sed uno contentu tribuuntur omnia virtuti Spiritus sancti efficaci in homine in usu legitimo mediorum, quae a verbo & gratia hoc habent, & ex ordinatione divina, virtute Spiritus operantis per usum in actione ipsa, ad quae sunt ordinata. Haec ordo

Nec ordo ministerij recte hyperphysicus, aut quae in eo fiunt, hyperphysica di-
cuntur, eo quod ab ordine & operibus naturae diversa sunt. Sed hyperphy-
sica tantum vere & proprie sunt quae in creato ordine naturae supra na-
turam & extra statutum ordinem in natura conditum fiunt. Ordo minis-
terij spiritualis, novus & singularis est, propter electos ad novum & alium
finem institutus, & perpetuus atque uniusmodi est, in quo hyperphysica locum
non habent, nec fieri possunt, nisi ordinem utrumque confundere, ut plurimi
nunc faciunt, somniantes praesentiam & efficaciam in ministerio aut physica
actu effectuque physico, hyperphysico titulo tamen: aut plane magicam, vel
nisi spiritualem etiam ministerij per commentitium hyperphysicum evertere fun-
ditus velimus. Ac multo detestabilius est in una parte aliqua, ut Da-
mascenus in sacra Coena facit, novum aliquid extra ordinem religio minis-
terio proprium, novam praesentiam corporis & sanguinis per hyperphysicam muta-
tionem panis & vini comminisci. Nec illa quidem hyperphysica sunt aut
recte vocantur quae spiritus sanctus per ministerium operatur. Hisque non
ita vocantur, sed spiritualia sunt & vocantur, ut ordini huic propria.
Denique longe alia ratio est eorum quae a scriptoribus Ecclesiae traduntur
ὑπὲρ νοῦν, λόγον, φύσιν ἀνθρώπου facta esse in unione hypostatica
duarum in Christo naturarum, contra totius naturae ordinem. Recte autem
negat Damascenus, corpus Christi descendere de coelo, in quo si illum iuxta
scripturam ubique secum, & cum antiquitate de natura veri corporis Christi
consen

consentientem fuissent secuti παρακουσίας, minusque ubiquitatem introduxissent. Sicut vicissim ille nullam in pane & vino hyperphysicam μεταποίησιν finxisset, si ad hominem in panis usu dixisset quod pani tribuit tanquam manducatio corporis fieri non posset, nisi panis in hoc conversione. Tantum περὶ τῆς μεταποιήσεως Damasceni: Nec addam περὶ μεταστοιχειώσεως Theophylacti plura. Venio ad συνουσίαν seu inclusionem substantiæ corporis Christi in panem, coalitumque cum substantia panis sub ijsdem accidentibus, quam μετουσίας Lanfrancus, Guitmundus, Thomas & alij ita exsibilarunt, ut quam Berengarij sententiam non minus execrati sint argumentis illis quæ supra recensui. Duobus ab his synusiastæ dissentiunt, verborum interpretatione, & præsentiæ modo. Cætera consentiunt per omnia. Commentum enim pariter & cum ordine naturæ, præsentiæque Christi in misterio tradito in scriptura & cum ordine condito in natura pugnat. Nec minus hæc μετουσία in articulos fidei de natura veri corporis Christi allidit. Repudiatur ergo a Metusiastis non hæc sed præcipue etsi in modo præsentiæ, quod duarum substantiarum vel corporum συζυγίας vel συνδετισμοῦ sub ijsdem accidentibus, eademque perigraphe sine dimensionum penetratione definitur, non minus monstrosæ absurditatis habet quam ipsorum conversio, sed quia discedit ab hypothesi constituta de veritate verborum sicut sonant, qua labefactata aut

convulsa

conuulsa, praesentia corporis Christi nulla adstrui possit. Verba ex hoc sensu,
quo sonant, aliter vera esse non posse, nisi conuersione panis in substantiam
corporis, praedicatione identica subiecti, & praedicati de re eadem & copula hyparc-
tica. Deinde, quod non tantum hypothesin hanc euertat, sed affingat textui
particulas: in, sub, cum: & ex his violenter eruat atque extorqueat inter-
pretationem à verbis alienissimam. Christum enim non dicere, In vel sub hoc
pane, est vel latet: aut cum hoc pane est, vel hic est, sed hoc est corpus
meum; demonstratiuâ particula panem visibilem ipsum designans. Si
cum inclusione proprietas & veritas verborum conseruanda sit, non posse id
aliter fieri quam inclusione accepta de vnione hypostatica corporis & panis,
qualis est duarum naturarum in persona Christi; id est, de assumptione
panis in vnitatem personae à λόγῳ, & natura humana quae tamen ἰδιο-
συστατος non est sed ἐνυπόστατος, vt haec propositio: Hoc est corpus
meum: sit sensu, valore & explicatione eadem cum illa de Christo: Verbum
caro factum est. Cumque haec ipsa eadem sit pariter, Verbum panis factum e[st],
scilicet impanatione τοῦ λόγου, sicut homo incarnatione. Et vt commu-
nicatione idiomatum ex dispensatione vnionis, per vnitatem hypostaticam
competant ac tribuantur in concreto pani, quae diuina & humanae naturae
propria sunt. Nulla alligatione enim alia corporis ad panem verbis
veritatem asseri suo sono posse: Hypostaticam autem vnionem hic com-
minisci fore nimis aperte mendax & blasphemum. Non repetam alia,

glia

gnalia sunt: Quod efficacia mori magica verborum aut detrahi corpus Christi e caelo, aut creari novum in pane fabulantur: Utrumque tamen accidentibus orbum, evidenter omnibus his mendaciis repugnante scriptura. de definitivo item existendi modo corporis quem fingunt, et plurima horum similia. Tot modis et suâ ipsius vanitate scripturae ac naturae adversa, et à pontificiis ipsis ingulatum, penitusque confixum figmentum Consubstantiationis seu impanationis, ut vocant Lanfrancus, resuscitavit tamen Petrus de Alliaco ante annos nondum 200: sed solo disputationum conatu, nullo authoritatis publicae consensu.

Caput septimum.

Hoc tam foede impieque consarcinatum fundamentum ex corruptis detestanda ... scripturae dictis, operibusque naturae, et inter se confusis utrisque, ad quem alium finem aut usum Pontificij sunt fabricati quam ad idolum in pane et introductum sacrae Caenae abusum, plenum mendacij, impietatis, blasphemiae et idolatriae, ex ratione sacramenti in sacrificium commutata fulciendum? Consideretur enim, quo modo ad sacramenti rationem, et ad Caenae sacrae institutionem sacrificij propitiatorij commentum quadret. Primum confusione sacramenti et sacrificij sacramento tribuitur quod sacrificij proprium est, ut offerat Deo aliquid, cum sacramentis nobiscum agat Deus et exhibeat ac communicet nobis obsignetque tanquam sigillis quae promisit, id est, testetur credentes à Deo recipi et eis adplicari promissionem. At Pontificij

filij fingunt contraria ratione in Sacramento Cenae, oblationem manu Sacerdotis, et oblationibus applicationem fieri opere Sacerdotis pro realibus et peccatis, pro vivis et mortuis, quae prosit ex opere operato utrisque, promerendo illis remissionem peccatorum, et mitigationem aut liberationem a poenis praesentibus et purgatorij. Hoc mendacio quid potest esse impudentius? Quae sunt enim mandata de oblatione? Quae promissiones de effectu illius et fructu tali? Sacrificium omne aut εὐχαριστικόν esse, aut ἱλαστικόν in confesso est. Εὐχαριστικὰ sacrificia sunt omnium piorum bona opera, suntque aut typica aut moralia opera praecepta in Decalogo. Levitica sacrificia typi erant et umbrae futurorum, non erant merita remissionis peccatorum. Ἱλαστικόν autem seu propitiatorium sacrificium unicum tantum fuit, quo nunc ira patris aeterni adversus genus humanum placata est, scilicet tota obedientia filij Dei usque ad mortem qua se obtulit aeterno patri, derivavit in se iram, et poenas, et reconciliavit nos patri, sicut expresse scriptum est, Unico sacrificio consummavit sanctos. Hoc sacrificium in cruce peractum semel non repetitur oblatione et mactatione nova Sacerdotis, sed valet ac prodest fructu perpetuo, in perpetua intercessione filij ad dextram patris: applicaturque singulis propria fide, cum audiunt Evangelium, et utuntur Sacramentis, iuxta dictum: Iustus fide sua vivet. Huius futuri spe ante natum: peracti fiducia post natum Christum salvati sunt et salvantur quotquot salvantur, participatione corporis eius et sanguinis in fide in spiritu. Praeter hoc sacrificium ἱλαστικόν quod seu ipsius oblatione fecit et complevit filius Dei, nullum aliud fuit

ullo

illo tempore, vel erit: nec ullum aliud agnovit Ecclesia nova unquam. Sacerdotium Leviticum typicum erat, quod certos habebat ac mandatos ritus, cum in aliis ceremoniis, tum in sacrificiis, institutos ad hoc, ut velut umbra futurorum, durarent usque ad Messiae adventum. Inter illa erat & ἱλαστήριον, typus quidam propitiatorii veri, non tale tamen quod merebatur remissionem peccatorum coram Deo: sed testimonium erat societatis cum illo populo, ne excluderentur ab Ecclesia. In novo testamento unus est Sacerdos summus atque perpetuus Christus, qui ipse in arcano consilio aeterni patris sacrificium obedientiae & mortis suae applicat credentibus usque ad consummationem Ecclesiae. Ipse enim solus, per se, & non per alium coram offert sacrificium suum patri, non repraesentatione μιμητικῇ, sed assidua & ardentissima intercessione pro Ecclesia: solus ingreditur in sanctum sanctorum: solus intelligit arcanum consilium patris: solus satisfacit iustitiae patris & placat iram, &, ut Mediator unus & aeternus semper interpellat pro nobis. Applicationem autem facit in usu proprio ministerii, virtute & efficacia Spiritus sui, propria cuiusque fide. Credentes sunt sacerdotes participatione, id est, offerunt aeterno patri virtute Spiritus sancti, sacrificia εὐχαριστικά seu hostias spirituales acceptas Deo per Iesum Christum, hoc est, fidem, invocationem, gratiarum actionem, iustitiam bonae conscientiae seu inchoatam novam obedientiam, placentem patri in filio. Ministri vero Ecclesiae non sunt Sacerdotes Levitici, multo minus gerunt officium summi Sacerdotis,

sed

sed mandatum habent, tanquam synergi, certum à summo sacerdote, ut doceant Euangelium, & annuncient remissionem peccatorum, & consolationem agentibus poenitentiam, inque agnitione ac detestatione peccatorum fiducia promissi Mediatoris se ad Deum convertentibus. Cogitet pia mens, quantum sit horrendae impietatis vel in his duobus solis, quod fingunt virtute sacerdotis rasi & uncti, ac verborum ex pane condi unum verum, potentia & cultu aequale Deo. Deinde, quod operi humana autoritate instituto, contra ordinem verbo divino traditum tribuunt ea, quae sunt solius Mediatoris, & maiorem fructum operis humani, quam divini. Etiam fingunt, opus Sacerdotis tantum posse, ut vivis ac mortuis prosit, eo ipso tantum, quia à Sacerdote fit. Christus autem fructum sui operis virtute sui spiritus in usu ministerij fide applicari testatur solis legitime utentibus. Consideretur & ritus Eucharistiae, quis ad singulorum pro vivis instituta est. & mandata de his habet quae percipiuntur ac sanciuntur, nimirum de consecratione, fractione, distributione & sumptione panis & vini, ut Paulus: sui corporis & sanguinis sui, ut Christus loquitur. Non inquit: offerte pro vivis & mortuis, sed vivis inquit: Accipite, comedite, Hoc facite in mei commemorationem. Haec non est mimatica repraesentatio, & applicatio sacrificij Christi pro vivis & mortuis, sed vera ardensque recordatio & celebratio privata & publica omnium beneficiorum Christi. Privata, qua sibi quisque beneficia Christi applicat sua fide, statuens cum unoquoque credentium filium Dei factus fuisse, ac

testari

tollari. quod nos clementer recipiat, ablutosq. sanguine, communicatione corporis & sanguinis membra sui corporis efficiat, notq. viritim cum ipso foedus faciat quod credamus ei, ac beneficia eius grati accipiamus. Ne dubitemus ipsum in nobis efficacem esse, nostramq. miseram massam sibi insertam servare ac vivificare velle. Publica vero, quae complectitur confessionem doctrinae de filio Dei, de remissione peccatorum, de restitutione vitae aeternae, de fide percipiente & amplectente beneficia, & gratiarum actionem publicam pro omnibus. cumq. hac coniunctam consolationem de collectione, gubernatione, & conservatione perpetua Ecclesiae. Haec praecipit Christus cum iubet sumptionem peragi in sui commemorationem. Hoc modo celebrata est Eucharistia in prima Ecclesia. Oblatio sacerdotis opus est diversum toto genere ab hac institutione. Nec missa, ut nunc fingitur, repraesentatio est & applicatio sacrificij Christi, quod sola ratione offerendi differat a sacrificio in cruce completo, caetera congruat. Figmenta sunt haec humanae audaciae ignota scripturae & Ecclesiae puriori: & horribilis profanatio coenae Domini, in qua opus non mandatum fingitur esse sacrificium & meritum ex opere operato remissionis peccatorum alijs, vivis & mortuis. Et impiae atq. idolatricae fiunt adorationes, quae fiunt ad panem, tamquam ad numen, non solum tunc cum ostentatur, elevatur, sed denique ubicumq. conditus asservatur, aut circumfertur in spectaculis festivitatum solennium, aut in publicis pompis praefertur Pontificibus, Monarchis, Regibus,

ut

Vt olim Reges Persicos antecedebat gestans ignem sacrum typus numinis: aut cum defertur ad aegrotos ad tintinnabuli pulsus: aut cum circumfertur tanquam φυλακτήριον aut amuletum magicum. Hoc propter fugiant & execrentur pij omnes missas pontificias, quibus fatales poenae attrahuntur & exacerbantur totis gentibus.

Caput octauum.

Sacrificium missae propitiatorium sustulit D. Lutherus, sed verum idoli panis ac superstitiosae idolatriae in eius adoratione atque abusum & profanationum Coenae sacrae multiplicium non modo non sustulit sed adstrinxit autoritate sua arctius, ac disputationibus vehementibus & pugnacibus confirmauit. Mansisse ille se in vestigijs Ecclesiae Romanae, & Petrum de Aliaco autorem sequutum se esse fatetur. Quoniam autem retineat huius vel aliorum opiniones, docebunt illa fundamenta, quibus se niti affirmat, quae ipsa pugnantibus secum & inter se contradictione multiplici & inexplicabili. Horum primum est articulus fidei, quo Christus Dominus noster naturalis, verus & integer Deus & homo in veritate indiuisus localiter. Secundum, Quod dextra Dei sit vbique, atque sic etiam in pane & vino sacrae coenae. Tertium, Quod Verbum Dei sit verum. Quartum, Quod Deus plures ac diuersos habeat essendi modos, quibus in loco esse possit, nec tantum vnicum illum localem. Duo ex his fundamentis accepit a Pontificijs: reliqua de suo adiunxit: primum maxime: vltimo enim nunc cum illis consentit, mox discrepat, nunquam sibiipsi constans. De tertio primum dicam. Vrget verba Lu

therus

therus cum Pontificijs. Interpretationi tamen τὸ ῥητὸν conservanti prae-
fert alteram ab illis reiectam, per particulas in, sub, cum: μετουσίαν
καὶ συνουσίαν ἀδιαφόρως habet. Hanc tamen prae illa amplectitur, quamquam
a Scholasticis explosam. Negat in verborum interpretatione admitten-
dum esse tropum. Cum vero, nisi μετουσίαν concedat, se effugere synecdochen
non posse agnoscat ac fateatur, hac concessa, quod contra tropum diu & acriter
pugnavit, totum evertit. Alibi rursus abiecto illo, quod de tropo statue-
rat, decurrit ad paradoxon aliud novum & inauditum, affirmans non esse
contra probatam dialecticam, disparatas res seu species, corpus, scilicet, Christi
& panem de se mutuo, proprie & absque ullius figurae tropo praedicari,
argumento & exemplo propositionis de Christo: Iste homo est filius Dei.
In ista enim ait, non esse necesse, ut humanitas dispereat, aut desinat esse,
sicut pontificij somniant de substantia panis evanescente. Vel ut subiec-
tum istius propositionis de Deo, non de homine intelligatur. Manere n.
humanitatem, & tamen hominem & Deum longe maiore inter se diversitate
distare, magisque repugnantia esse quam sit panis & corpus Christi, ignis & lignum
bos & asinus. Haec Lutherus. Cum si exemplo unionis hypostaticae
duarum extreme diversarum naturarum in persona filij Dei, imaginatur
eodem modo corpus uniri pani, doceat prius ex scriptura (ut supra dic-
tum est) panem impanari, id est unione hypostatica cum pane uniri. Do-
ceat item, propositionem Hoc est corpus meum: eandem esse cum hac:

Christus

Christus Deus & homo panis factus est, ut de verbo dicitur, Verbum caro factum est. Illo demonstrato facile admittemus, similes esse prædicationes in his propositionibus: Iste homo est filius Dei. &: hoc est corpus meum, propter hypostaticam in subiecto & prædicato identitatem. Per subiectum enim homo, non illud, quo Christus homo est, id est, humana natura, sed quod in Christo homo est, intelligitur, id est hypostasis seu persona assumta, & subsistens, in se habens humanam naturam. Si ergo eodem modo panem assumptum à Christo, Deo & homine, in uno hypostatico subsistere ostenderit, largiemur ei prædicationis genus in utraque non modo simile, sed idem prorsus esse, & quidem inusitatum utrumque. At quis unquam in Ecclesia orthodoxa vel unionem sacramentalem cum hypostatica, vel prædicationes sacramentales cum prædicationibus de persona Christi Dei & hominis easdem esse dixit aut sensit? Quod vero nec ipse, si vivat, nec pro eo quisquam alius hoc sit facturus, ac ne tentaturus quidem, minime dubium est. Illud vero delirium impanationis, quod tanquam impium & blasphemum iam olim à nostris patronis repudiatum sit ac condemnatum, supra ostendimus. Si vero absque unione hypostatica de homine Christo filium Dei prædicari posse existimat, eodemque modo corpus de pane, identica prædicatione sine tropo, sit ut disparatas species, quarum in subiecto & prædicato mutua est perpetua contradictio, nunquam hoc prædicationis genus regulare, usitatum & proprium esse, apud Dialecticos evincet. In Christo vero Deo & homine unum cuiusque naturæ indicari, necessarioque supponi hypostaticum concedet, quod Nestorianum prorsus, ex uno Christo duos homines faciet,
non

non naturis tantum, sed posteris etiam diremptos ac distinctos. De omnibus his autem sat dictum est antea. In secundo fundamento quantum sit ambiguitatis, ostendunt motæ controversiæ. Si dextra dei Luthero est omnipotentia, siq. in pane illi est eodem modo quo Pontificijs, nihil differt ab ijs hoc fundamento. Sed nec quæritur, nec controvertitur, ut notum & confessum est omnibus, Utrum dextra dej sit ubiq. & omnipotens? Utrum Christus ad dexteram Dej omnipotenter regnet? Utrum possit quicquid uult? Sed de Christi vero, naturali, & substantiali corpore in ipso Christo, ac deinceps ante & post resurrectionem, ante & post ascensum in cælos, ante & post reditum ad judicium, quid sentire & credere nos scriptura tota uno consensu doceat? Utrum corpus Christi reale & verum, quod in cælis est, præsens sit etiam in pane, omnipotentia seu consessione patris, seu annexu Christi ad patrem? De illo docet Scriptura, quod sit & semper fuerit finitum & περιγραπτόν, quod nunc sit in cælo, & occupet spacium unum magnitudini corporis σύμμετρον, ubicunq. est & vult esse: Quod in eodem venturus sit ad judicium, & conspicietur a pijs & impijs: Quod nec in pane, nec in homine uno aut pluribus, nec in pluribus locis alijs sit illo corpore præsens, uno momento & tempore, quo in cælo est: Nec hoc modo adesse & esse ibi velit, sed illo modo & ordine, quem voce sua tradidit, virtute mirifica sui Spiritus, sicut ostensum est: Quod nec uult nec facit contradictoria Deus, quia verax est: Quod omnipotentiæ divinæ hoc scripto nihil decedat, nihil derogetur.

Quia

Quia defectus ex impossibilitate contradictoriorum, cum ea fieri non possint, in Deo non est, sed in contradictionibus ipsis, q neq. apud Deum neq apud homines vera esse possunt: Quapropter, quae sine contradictione dici non possunt fieri posse, simpliciter & absolute fieri negremus. Quod de omnipotentia judicare nos oportet ex verbo patefacto, ne omnipotentiae tribuamus praestigias magicas & ludicra diaboli. Potest & facit Deus omnia quae vult. Quae autem velit, non fingere ex nobis, non ex depravato ad sensus nostros & imaginationes aut inflexo aut detorto uno vel altero verbulo alludente ad opiniones & affectus nostros exsculpere, sed ex harmonia, consensuq. inter se totius scripturae & omnium articulorum fidei judicare debemus & decernere. A qua norma quicquid discrepat, verum non est: δεῖ γὰρ πᾶν τὸ ἀληθὲς ἑαυτῷ αὐτὸ ὁμολογούμενον εἶναι πάντῃ: id est oportet enim omne verum sibiipsi ubiq & per omnia congruere: si in alijs, multo magis in religiosa fide, quae una est, & ex uno spiritu. Edit Deus opera nova, singularia, miraculosa, extraordinaria, ad ostendendam liberrimam omnipotentiae suae potestatem, sed actibus raris & singularibus, quibus non mutat nec abolet institutum vel in rerum natura per creationis ordinem, vel in ministerio verbi per scripturam & electis omnibus ordinem: Nec sibi ipsi est contrarius. Non tollit Christus in coena sacra, nec abolet ordinem & modum praesentiae sui corporis ante à se patefactum & declaratum, & consonum atq congruum inter se in ministerio toto: Nec instituit alium

priori

priori contrarium, & quidem illi ipsi ante à se reprehenso ac repulso, quod qui affirmat, mendacem facit Christum. Multo minus aut tradita tanta consensu testimonia de veritate sui corporis euertit, aut ipsum suum corpus miraculo destruit, quod tam euidentibus testimonijs Discipulis uerum esse & mortuum esse verum demonstrat. Miracula, & insolita omnia ac noua, si de causis à priori ex patefactionibus & testimonijs diuinis non constat ad verbi normam & fidei examinari ac conferri oportet. Sed de his quoque supra satis. Si vero D. Lutherus de dextra Dei idem sensit quod Brentius & Smidlinus Brentij hyperaspistes: id est, si hoc vult, humana natura assumpta mox ab origine in utero Virginis Mariae communicatas esse effusione reali omnes diuinas proprietates reipsa, actu & effectu, ut humana sit facta infinita, immensa, omnipotens, omniscia, omnipraesens, immortalis, incorruptibilis, sed occultarit illas in statu & conditione humilitatis; post resurrectionem uero demum glorificata & exaltata ad dexteram patris exeruerit se aequali potestate, seu, quod ab origine exaequata quidem sit diuinae per omnia δυνάμει, ut Philosophi loquuntur; in sessione vero ad dexteram ἐνεργείᾳ: relegetur cum hac opinione, & cum Brentio ipso ad Eutychis σύγχυσιν, συνάλειψιν, συμφυρμόν, ἕψιν, μεταβολήν, Chalcedonica synodo confutatam, conuictam & condemnatam, & ad Swenckfeldij ἀποθέωσιν, qui quales sint, & quomodo Christum penitus natura humana spoliatum in φάντασμα transmutant, eoque deleant articulum fidei περὶ ἐνσαρκώσεως καὶ ἐνανθρωπήσεως τοῦ λόγου, orthodoxorum scriptis cla-

rius

viris luce meridiana demonstratum est. Venio ad tertium o Luthere fundamentum, ad articulum fidei de christo vero Deo & homine, quod ipsi primum est. Hic si ab ipso sic accipitur & creditur, sicut in symbolis recitatur, & sicut ab orthodoxis assertus ex scriptura, conservatus, & quasi per manus traditus est: non modo non patrocinatur commento de praesentia corporis in pane aut homine, sed validius illud quovis ense ancipite configit ac profligatum penitus delet. Si, ut degeneres eius discipuli, multa super oeconomiam seu dispensationem unionis hypostaticae, seu διὰ τὸ ἀδιαίρετον, ἀχώριστον, ἀδιάλυτον, ἀδιάστατον, ἀδιάσπαστον naturarum, humanam factam esse participem omnium quae sunt divina propria & huius illi omnia recepta competere, & inesse ex foedere mixtionis insolubili atque inseparabili, eoque humanam ex coexistentia ubique esse, ubicunque infinitate atque immensitate sua divina implet omnia: relegetur cum illo ad Arium, Eutychen, Nestorium, Monophysitas & Monotheletas, quia ex his omnibus habet quiddam monstrose confusum, ut dicetur. De quarto & ultimo fundamento: Deum plures & diversos habere modos, quibus in loco esse possit, & non tantum unicum illum localem, res plana est. iterum, quod in eo nonnihil sibi ipsi, & iis quae allegat consentiat. Si enim, quod traditur de triplici existendi modo, secundum triplex per se existentium discrimen probat (ut probat), cum repletivus infinitae essentiae Dei sit: definitivus solis spiritibus finitis, corporeae molis tamen expertibus: circumscriptus sive

Commun

commensurationibus corporibus solis finitis ut proprius competat: Quomodo aut omnes Deo, aut omnes corpori attributo? quomodo praeter localem corpori naturali & vero definitivum etiam spiritibus proprium, qui ibi tantum sunt ubi agunt, cum Pontificijs congruere demonstrabit, nisi omnia evertat, & τὰ ἀόρατα & visibilia esse dicat creata omnia? Unus tantum modus existendi corporibus physicis proprius est, locatione physica, quae spatium σύμμετρον occupant, unum tantum, non plura. Nec si intra naturae suae metas manent, aut sunt, aut esse possunt in pluribus locis simul. Id contra naturam est non tantum finitorum corporum, sed & spirituum finitorum. Ut sit enim corpus in pane definitive, non tamen ne hoc quidem modo ad hostias plures, spatijsque distinctas brevibus aut immensis extenditur uno tempore. Nec miraculo extensum id potest, si ordinatum est & perpetuum. Sed hoc docendum est ex verbo, quod novum Christus, aliumque in caena, & in reliquis ministerij partibus modum praesentiae, ac talem quidem, qualem somniant ipsi, instituerit. Adhaec Lutherus & συνεσωμάτωσιν facit corporis & panis, utriusque integri substantia & accidentibus, corporis tamen non apparentis, ut quando κατ' ἀφανισμὸν Christus eripuit sese ex manibus prehensantium, aut cum tenuit oculos discipulorum viatorum ne agnosceretur priusquam discederet. Ubi cum abysse eum Scriptura referat corpore, quando ex oculis evanuit, hic Lutherus praesentem manere vult, sed invisibilem, inconspicuum, intactilem, gustui non obnoxium, non mutata tamen corporis

natura

natura. Affirmat etiam sic in pane esse corpus, sicut anima est in sanguine.
Quod si ita est, aget etiam & operabitur corpus in anima, & per hunc transitu
actu & effectu, ut in sanguine, & per hunc agit omnia. At rursus aliter
panem velamen esse tantum, & operculum facit inclusi intus & abditi cor-
poris. Haec de Luthero meminisse satis sit. Ex quibus conspicue pa
tet, quae ille ex lacunis pontificijs hauserit, quae de suo asperserit: Et
utraque qualia sint, quantum a veritate scripturae, ab ordine naturae & mi
nisterij, interque se dissona sint & discrepantia.

Caput Nonum.

At nostro seculo agmen novorum Dogmatistarum ex spuria ac degenere Lu-
theri posteritate in hac controversia profitetur & iactitat illum autorem
nomine: re vero & dogmate fundamenta non ipsius tantum, sed omnium re
liquorum sententiam carnalem in pane statuentium convellens abijciensque & in
vadens in personam filij Dei impudentia canina, audacia rabiosa, furore dia
bolico, blasphemia nova & inaudita haeticas (?) Eutychis errores, totum τοῦ
ἐνσαρκώσεως τοῦ λόγου articulum fidei, utramque doctrinam de persona
filij Dei, veri Dei & hominis, & de coena sacra, convertit verbis in hypo
physicum somnium, reipsa in praestigias magicas. Non urgent illi pontifi
ciam hypothesin, verba oportere intelligi sicut sonant. Hanc enim & illi
subtrahant μετουσίαν excrementum, sed corporis vocabulum urgent, idque
in simplici & propria significatione accipi oportere contendunt. A Synu
siastis

siastis ergo & Luthero hoc muniantur; cum à Christo dicatur: Accipite,
comedite, Hoc est corpus meum, oportere statim & credi praesentiam corporis
in pane: & si praesentiam, etiam manducationem cum pane, quae fit ore.
Ut verba autem figmento congruant, interpretantur ea cum ijsdem auto-
ribus per Synecdochen, additis particulis, In, cum, sub: Sed ad sensum suum
Synecdochen longe aliter quam illi trahunt atque accomodant. Praesentiae
modum (in quo, qualiscunque fingatur, omnes omni specie veri ex scrip-
turae & naturae praesidijs destituuntur) non ex verbis (unde non pos-
sunt) non ex μετουσίᾳ quam recte condemnant, non ex synusia,
quam ab ante fabulosa pontificiâ longe diversam fabulantur, sed novo
magisque monstroso figmento, ac blasphemo delexerunt, ex oeconomia seu dis-
pensatione unionis hypostaticae duarum naturarum in Christo, eversa
tota doctrina veteri, pura, per renovatas interque se confusas in chaos unum
monstrorum haereses antiquas omnes de filio Dei. Pater Ubiquita-
tis Brentius, & faber eiusdem χαλκευτικῷ atque Apostolus Iacobus An-
dreae, verba: Accipite, Comedite, Hoc est corpus meum: statuunt esse
verba dispensationis, significantia distributionem corporis & sanguinis iam
ante praesentis ex alia causa, quae fiat in sumptione perceptio illius &
adplicatio, eodem quidem per os manum & haustum, astu tamen effectuque
dissimili, alio in pijs, & alio in impijs. Coniunctim vero simul & semel

ostens

offerri atq. exhiberj cum pane corpus, cum vino sanguinem, nempe, & id quod datur, & alterum cum, in, uel quo sub datur, utq. ostendatur Coniunctio horum inter se vera, ac realis, synecdochice per particulas easdem verba, Hoc est corpus meum, declararj. Dissimilitudinis autem uerborum in institutione, quod initio qua porriguntur panem nominat qui frangitur, calicem cui benedicitur, eadem uero deinceps corpus & sanguinem vocat, denominatione sumpta a parte potiore, cuius causa institutio facta est, eiq rej causam esse, ut excludat omne somnium de mutatione panis, & mentes a uersas ab eo, quod oculi adspiciunt, conuertat ac dirigat ad corpus ipm, ne quis imaginetur panem & vinum nuda & inania symbola esse. Idcirco eundem horum verborum; Accipite, comedite, Hoc est corpus meum: sensum esse, & rationem eandem quae istorum, si quis in Canthoro porrigens vinum dicat, Accipite, hoc est vinum quod miscuj vobis, utrumq. quidem demonstrans, cantharum & vinum, sed illud solum nominans quod datur, id est vinum, non hoc quo datur, id est cantharum. Sic Christum dicentem, Hoc est corpus meum, utrumq. coniunctim demonstrasse, ut uere & realiter praesens utrumq, sed illud solum nomine expressisse quod principale est ac praecipuum. Hoc corpus simpliciter praedicari de particula & subiecto Hoc, sed subiectum dicj & intelligi esse praedicatum ipsum. Hec verba. Hoc est corpus meum: hoc sensu a Christo dicta esse, hic panis quem fregi & dedi vobis est corpus meum. Admitto enim hoc

sensu

sensu Transsubstantiationem pontificiam non posse refutari aut caveri,
Hoc idem significare aut valere has propositiones: Hoc est corpus meum &.
Hîc est corpus meum. Denique si per pronomen Hoc, fractus in cœna panis
corpus Christi esse asseveretur, perinde hoc futurum, ac si quis loculas pe..
cuniâ vacuos alicui offerens dicat, Accipe pecuniam. At Christum in re
omnium maxima nobilissimaque sic ludere voluisse, eoque per pronomen Hoc, non
principaliter panem, sed corpus sub pane realiter præsens, & una cum pane
exhibitum demonstrari. Hæc ergo illorum de interpretatione verborum
sententia est plena profanæ & nefariæ petulantiæ, abominatione & exe..
cratione dignior quam refutatione: quia vanitas per se omnibus manifesta est.
Primum enim præsentiam in pane carnalem pro concessa & confessa assu..
mit contra ordinem præsentiæ divinæ in ministerio, contra expressa Christi
& Pauli verba. Postea, pari ratione pro concesso assumit modum
præsentiæ illum ipsum per consubstantiationem, quam ut verbis repug..
nantem, nisi impanatio statuatur corporis, aut sine hac etiam, propter
absurditas particulas minime ferendam pontificii ipsi condemnarunt. Ad
hanc vero indifferenter, sineque ullo discrimine trahit verba eodem sen..
su, & simplici, ut sonant, Hoc est corpus meum, & particulis determi..
nata, In, cum & sub hoc pane est corpus meum, quasi ad modum
& proprietatem prædicationis, & verum veritatem explicandam nihil
intersit inter propositiones, in quarum una prædicatum de subiecto ita

dicitur

dicitur per copulam, ut in propria significatione illi affirmatiue tribuatur, In altera uero subiectum & praedicatum in ratione quod dicendi coniunguntur, seu copula de duabus rebus, ut simul coniunctis: neutra uero de altera affirmatur, quod nemo, nisi amens sit, dixerit. Ut se autem a Pontificijs sentire diuersum ostendant, ab Aliaco, nempe, Gersone, & alijs, a Luthero etiam ipso, nec patentur idem Consubstantiationis genus utrique parte, modum suae Consubstantiationis pingit oculis, similitudinibus a Cantharo & Vino, a loculis & pecunia sumptis. Addidisset imaginem straminis infarti in saccum, nisi fuisset ueritus, hac mendacij belle comti varietatem prodi, quod ea Lutherus inclusionem in panem redarguit, negans, se talem imaginari. Ipse uero audacter contra Lutherum asseuerat. Hac scilicet inclusio jam olim explosa, ipsi est & Consubstantiatio & Sacramentalis Unio illa realis & vera, qua cum pane corpus inclusum porrigitur. Hanc uult singulari ac nouo commento per pronomen Hoc ita designari complexiue uno continentis & contenti, ut cum uinum in Cantharo porrigens, utrumque quidem demonstrat ac tradit, Vinum & Cantharum, Vinum tamen ut principale tantum nominat. Sic per pronomen Hoc, utrumque panem & corpus demonstrari coniunctim, exhiberique affirmat, ut continens ac contentum. Sed corpus pani inclusum solum nominari. Utque fidem commento faciat, cum Melissiastis diuellit complexum. Negat particulam Hoc relatiuum esse ad panem fractum. Negat etiam propositionem, Hoc est corpus meum

meum, hoc sensu dictum esse, Hic panis quem fregi & dedi est cor-
pus meum, ne in μετουσίαν cum illis eandem incurrat. Et affir-
mat contra audacissime & impudentissime, in priore particulam Hoc,
demonstratiuam esse, & δεικτικόν utrinque, etsi aenum nominatur. In
altera parte nudum & inane, seu continens contenti vacuum demonstrari, ut
si de loculis dicat quis, Hoc id est saccus hic est pecunia. Imo parti-
culam Hoc, ne in priore quidem propositione panem principaliter, sed cor-
pus in pane realiter praesens, & una cum eo datum notare. Atque hoc usi-
tatum vulgo genus loquendi de continente & contento, tamque uno, deque prin-
cipali quod significatur, utrobique in subiecto & praedicato, quod nt ταυτο-
λογίαν Scholastici repudiant, eo facilius ab Apostolis fuisse intellectum
quod iam ante didicissent a Christo, quomodo caro ipsius vere sit cibus,
& sanguis vere sit potus. Haec enim sunt illius verba. Nec satis
erat illi discerpsisse textum & depravasse detorsione ad commentum
mendax carnalis & localis praesentiae in pane violenta, prorsusque
aliena, nisi etiam aperto mendacio alio id cumularet, Apostolos
Capernaiticam manducationem, quae ore fit, manducatione poculique & effectu
carnali, eamque a Christo damnatam, ab illo tamen accepisse. In his
eisque multo plus est profanae petulantiae & maliciosae impietatis, eisque
in pontificiorum dogmate, quod cuiuis sano iudicare promptum ac facile
est. tamen ultimo fine, ne hic quidem quidquam aliud spectatur,

aut

aut quaeritur quam sit modus praesentiae corporis in pane κατὰ συνουσίαν, quam à Pontificijs, aliter definiatur. Quod vero caput est, Nimirum, Utrum veri corporis praesentia in pane vel homine, per oralem manducationem, novo singulari, à religiosis ministrij partibus diverso ac miraculoso modo, claro verbo, & testimonijs scripturae liquidis doceatur: Et si doceatur, Quomodo ad panem adducendum, adductumque corpus sit introducendum, non explicatur. Horum illud nusquam uno verbulo attingitur, neque à Pontificijs, neque à novis istis Dogmatistis. quia nullum in hunc usum jota ex scriptura suppetit, cum tamen cardo totius controversiae in hoc uno praecipue vertatur. In altero, quomodo pani corpus copulent, conveniunt utrique, sed dissimiliter. Ex recentibus istis Dogmatistis, qui à novo commento Παντακουσίασαι & Ubiquitarij appellantur, aliqui, ut Brentius, Smidlinus & alij, cum Pontificijs loquuntur, Sacerdotis & verborum vi atque efficacia corpus aut coelo deduci in panem, aut in pane creari novum fingunt, Cum inde ab exortu usque humanae naturae in utero Virginis Mariae tam corpore quam Deitate Christi ubique, ex oeconomia seu dispensatione unionis hypostaticae, Eoque sicut in alijs rebus creatis, sic & in pane corpore praesentem esse, non ante consecrationem tantum, sed & ante formationem panis & situm in farina ipsa. Differre autem praesentiam in pane ab alia quamvis in omnibus alijs, quod in solo pane sit dispensatione. Aut ergo per dispensationem intelligunt rationem unionis hypostaticae panis cum Deitate & carne

carne Christi, Arii constituunt dispersationem duplicem: Unam, quâ corpus Christi est in omni ligno, lapide, angulo: alteram quâ est in pane cenæ sacræ. Illam mutuantur ab Eutyche & Swenkfeldio, delirio blasphemo somnio fabulantes, tum mox ab initio, ratione unionis hypostaticæ per communicationem idiomatum omnium essentialium realem divinæ naturæ cum humana, seu effusionem ex illa in hanc idiomatum, humanam naturam reipsa effectam esse infinitam, immensam, omnipotentem, πανταχούσαν, παντεπιστήμονα, tum exaltatione denique ac sessione ad dextram patris divinæ per omnia esse exæquatam actu atque effectu, quod erat antea sola potentia. Inde enim consignatur irrefragabiliter, humanam effusione tali converti ac absorberi in divinam, penitusque extingui, & in sacrosanctam Trinitatem quartam personam introduci: Eutychianum tamen, & Swenkfeldianum hoc esse negant. Chimæristæ dubitant, utrum aliquid, vel omnia effusa sint. Sed dubij hic nihil est. Essentialia omnia in Deitate sunt ἀμερῆ καὶ ἀδιαίρετα, q nec in partes dividi nec divelli à se invicem possint. Si aliqua, tunc omnia sunt effusa, & humana in Deitatem evanuit, relicto suo spectro, quod in Synodo Chalcedonensi damnatum est. Sed & illa, quæ cepit in utero Mariæ virginis Deitas cum humana natura per effusionem confusa non erit æterna, sed creata, quod Arianum est & in Nicæna Synodo damnatum. Si effusionem divinorum idiomatum in humanam naturam de hyperbo

sias

sicis dotibus intelligunt, Nestorianum est, quia Christus θεανθρωπος non
erit, sed θεοφορος ut ενθεος. Id vero falsum & haereticum esse Continet Ephe
sina Synodus. Praeter haec & alia inuehunt isti, de quibus paulo post. Aria-
na igitur, Eutychiana, Monophysitica, Monothelitica & Nestoriana commento
suo inuoluunt & amplicant Vbiquitarij, velut in fasciculum vnum. Al-
terum, quam in sacro pane statuunt dispensationem, quomodo intelligi
velint, non satis explicant: nimirum quomodo corpus κατα παντα χουσι..
ας seu omnipotentiam ipsorum, iam ante in pane, & in panem sumente
praesens, communicetur sumenti. Si per dispensationem ordinem institu-
tionis intelligunt, redarguuntur in figmento suo aperto de illo Contenti
scriptura. Si distributionem: quae fiet distributio eius, cum quod ante inest
homini, tum quod diuidi ac distribui non potest, quia immensum est & in-
finitum. Si adplicationem: quid confert ad hanc oralis manducatio,
& quomodo illud infinitum & immensum ore capietur? Quomodo fides
fieri id, aut esse credat, sine verbo? Aut, quomodo percipiet & amplec-
tetur id, quod scriptura esse & fieri pernegat? Vt summatim dicam:
Cuius erit coalitus corporum nostrorum cum illo, non dicam naturali
& inani (nam ne tale quidem est) sed imaginario spiritu, quod nullum
& nihil est penitus? Sed hyperphysica esse omnia, & hyperphysice
geri ac fieri dicunt! De hoc postea. ~~Haec~~ sunt igitur Suenci
delyrij fundamenta & argumenta, quae ut manifeste nimis absurda, falsa
Euty

Eutychiana, & Swenkfeldiana detestati socij & sectatores Saxones, Kemnicius, Selneccerus, Chytraeus, Heshusius & alij, pontificio commento fulcrum substruxerunt, reipsa ab illis nihil discrepantia, sed fuco tamen ac specie praestigiatricis sophistices, & ab illo Smidelico, & inter se quoque contradictionum implicatione perpetua multiplicium diversa. Kemnicius satis intelligens nullam posse desumi verborum proprietatem ex habitudine praedicati ad subiectum, comminiscitur novam quandam & peculiarem Sacramentorum naturam, & de hac illi convenientem in scriptura loquendi modum & morem, talem nimirum, quod quando duae res vel substantiae, divina ordinatione, singulari modo uniantur, tunc unam de altera praedicari, ut hinc intelligatur unam cum alia adesse & exhiberi. Quod commentum in consubstantiatione seu commixtu & coexistentia reali corporis cum pane, quae nulla est, nec physica, nec hyperphysica, nec magica: cum ubiquitate Brentiana consentiens, discrepat in verborum interpretatione, in qua Brentij Smidelinus alterum de altero id est panem de corpore & e converso praedicari posse negat. Kemnitius admittit praedicari posse secundum singularem illum & sacramentalem unionis modum, quem sibi fingit: Sed qualis tamen sit non explicat, nec modum praedicationis distinguit, nimirum, si novus est et re nova, Utrum ad identitatum an inusitatum genus praedicationis referri debeat? Et si ad inusitatum, Utrum idem sit cum praedicationibus in propositionibus de filio Dej? An vero novum prorsus, &

nulli

nulli unquam observatum ante in Ecclesia hac neque, sed ipsi soli patefactum primo!
Selneccerus in omnibus alijs Kemnitij simiolus, & ex illius scriptis erudi-
tus, oculatus ac disertus, ut Psittacus, in hoc solo ἰδιογνώμων plus videns
quam praeceptor, audacter & impudenter pronunciat in propositione ista: Hoc est
corpus meum: nec identicam, nec synecdochicam, nec metonymicam, nec
usitatam & regularem, nec figuratam ullam aliam, sed inusitatam esse
praedicationem, talem nimirum, qualis in hac propositione de filio Dei, Verbum
caro factum est, de qua ante sat dictum. Retinet is tamen cum alijs ex-
plosam dudum synecdochicam interpretationem per particulas In, Cum, Sub,
ne a Luthero dissentire videatur. Alij aliter nugantur. De modo
vero praesentiae non ex verbis, sed ex oeconomia unionis hypostaticae detexen-
do, cum Brentio & Smidlino conveniunt, sed nec de modo ipso congruunt
inter se, nec illum eadem ratione ex unione detexerunt. Musculus
censet & ascensionem Christi in caelos factam esse κατ᾽ ἀφανισμὸν in
nubibus, ubi adhuc versetur & subsistit, sed non visibili modo aut forma,
nec eodem conversationis modo quo ante mortem & ascensionem conversatus
est discipulis, fortasse, quia dignum non censuit ut inferretur in caelos,
sed ut in aditu praestolaretur, donec repetatur die ultimo, forma pristina
ad iudicium: aut verius, quia caelum, Dei & beatorum sedem, nullum novit.
Kemnicius effusionem Brentianam ut blasphemam abhorrens, ut hae-
reticam damnans, molliore vocabulo & sophismate imperitis minus
obvio idem statuit. Pro effusione enim communicationem realem

omnium

omnium Deitatis τοῦ λόγου essentialium proprietatum, nomine non re dif-
ferentium inuehit, quam tota plenitudo Deitatis sit deposita in humanam na-
turam. Hanc περιχώρησιν veteri uocabulo, id est ut ipse interpretatur, im-
meationem & immanentiam inter se naturarum nominat, confundens caro er-
rore περιχώρησιν diuinae essentiae in tribus personis diuinitatis cum ea
quam in unione hypostatica ἀντίδοσιν, & κοινωνίαν καὶ ἐπιζευξιν ὀνομάζουσι
vocant. Hac sua περιχωρήσει fingit Deitatem τοῦ λόγου cum omni-
bus idiomatis & operationibus esse in tota natura humana & singulis eius
portibus tam minimis quam maximis, humanam vero naturam realiter & re-
ipsa earundem κοινωνὸν καὶ μέτοχον & participem, simulque συνεργὸν
καὶ συναίτιον factam esse virtutum omnium atque operationum quae Deita-
tis propriae sunt, non quidem essentialiter, non accidentaliter, non physice,
& ordine naturae, non formaliter, non subiectiue, non inhaerenter, sed hy-
perphysice, vere tamen ea lege, ut una eademque vita quae essentialis est
τοῦ λόγου, & Deitas & caro Christi sit viuifica, eadem potentia potens
& efficax, eodem modo quo Deitas realiter & essentialiter praesens. Non
quidem ubique (ut Brentius & Iacobus loquuntur) sed ubicunque & quando
docunque uult. & quod hoc modo praesentia sit in, cum & sub pane sacrae
coenae. Inde pro ubiquitate Brentiana haec modus Multivolipraesentia
vocari cepit. Plenitudinem omnem Deitatis cum realiter in assumptam
naturam depositam esse, & reipsa in ea habitare affirmat, quid aliud

aut

aut diversum ab Eutyche & Brentio statuit? Quomodo plenitudo deitatis
q[uae] est essentia ipsa inerit, ut non essentia, nec essentialiter & essentiali mo-
do insit? Fundamenta sua de praesentia corporali in pane deinceps haec
quatuor statuit: quod verba Christi, Hoc est corpus meum, sint verba testamen
ti, Ideo non figurata. Quod τὸ ῥητὸν ideo urgeri oporteat: Quod cum di
citur corpus Christi (quod est verum corpus) pluribus in locis simul esse
non posse, ad physices id est ad veras & essentiales veri corporis notas &
proprietates pertineat: quod maiestaticum corpus esse possit ubicunque vult.
nec dimensionibus inclusum, nec loco sit circumscriptum. Ex hoc triplex
corpus Christo, & triplicem existendi modum affingunt: Corpus vivificum na-
turale, glorificatum, & maiestaticum. Existendi modum physicum, hyperphysi
cum, divinum seu maiestaticum. Physicum localem, naturalem, visibi
lem, mundanum, circumscriptivum vocant, quo Christus visibiliter in terris
sit versatus, mundoque relicto in caelis etiam nunc τοπικῶς versari, cumque
Angelis & beatis conversari possit. Secundum Hyperphysicum esse volunt
incomprehensibilem, utque spiritualis vim habentem expertem soliditatis
& dimensionum omnium, omniaque spirituum instar penetrantem, quem in
miraculis editis in suo corpore, Christum usurpasse volunt. Tertium
fingunt esse maiestaticum, divinum plane & omnipotentiae proprium, ra-
tione unionis hypostaticae & sessionis ad dextram Dei, quo omnes creaturae Christo
qua homo est, sint praesentes, subiectae & perviae, ipseque omnibus visibiliter
qua homo dominatur, non absens corpore, sed vere praesens, non

τοπικῶς

τοπικῶς tamen, praesentia naturali sed personali, id est in persona τοῦ λόγου,
in qua natura humana non cohaeret cum λόγῳ tanquam pars in et cum parte,
quae partem extra partem non habet, sed personaliter et indistanter in ea subsis-
tit. Iuxta hunc modum maiestaticum corpus esse ubique, et inesse omnibus atque
omnia implere: sed aliter adesse rursus toti systemati mundi, et creaturis om-
nibus aliis, in quo Kemnicius iubet unumquemque attendere suo sensu: aliter
Ecclesiae. Et in hac rursus aliter ministerio verbi et Baptismi, aliter Eu-
charistiae, in qua corpus Christi vere et substantialiter adesse vult pani, non
tamen iuxta modum visibilis conversationis, nec iuxta circumscriptam, et
localem formam carnis sub modo maiestatis a Deitate τοῦ λόγου commu-
nicatae, secundum invisibilem formam, et hyperphysicas conditiones, definitivo
tamen praesentiae modo spiritibus proprio, immensitati saltem et infinitati vi-
sis finito modo. De primo et secundo capite expositis fundamen-
tis quaerimus, quod attinet quaeri amplius. Verba, ut in quavis alia
quaestione et disputatione, sic hic multo maxime intelligi oportet, ac de-
clarari secundum veritatem rei consentientem totius scripturae explicatam, non
secundum speculationes et somnia humanae rationis. οἱ λόγοι γὰρ ἀλη-
θεῖς ὥσπερ τὰ πράγματα, verba nostra sunt sicut res et negotia. Ex
illis enim pendet veritas sermonum. Quae sit autem rei veritas in
hac controversia ex scriptura evidentissime est declaratum. Eam sermones
Scholastici bene intellexerunt, sed refragari Romanis decretis non fuerunt ausi.

At

Ac summa est in Christum contumelia, fictus a testamento sensus, consentanenum esse Christum non voluisse ut in testamento ludere, tamquam in aliis suis concionibus praestigiatorem egerit, & veritatem insidiose occultarit. Quid urget Kemnitius hypothesin pontificiam? quid τὸ ῥητὸν etiam secundum illam? tamquam non constet inter omnes verba nuda esse! Quaeri autem tantum τὸ τῆς διανοίας: Utrum pontificio sensu ex decreto Romano, an vero sensu scripturae vera sint? nimirum, Utrum panis sit corpus substantia, an vero relative? id est, ex ordinatione & institutione Christi; & secundum scripturam in omnibus fidei articulis contentum? Urget verba ipse: Urgeant & orthodoxi, sed iste mox quod urget, interpretatione & opinione nova sua ipsius non modo tollit semetipsum ingulans, sed pariter illa etiam quae de ordine ministerii, & quae Christi persona ac veritate utriusque naturae utrinque tradita sunt proiicit ac delet. Quid quaerit, ac quaeri iubet Christum carne & corpore vero ac naturali in pane, quem negat eum in caelo illo suo imaginario, in Ecclesia, & in verum naturam esse? imo quo Christum penitus exuit? Quid sunt .n. tria illa corpora Christi; [na]turale, glorificatum & maiestaticum? Quid tres diversi modi existendi quin uni corpori numero assignantur, nisi mendacia? Quomodo enim tria in infinitum diversa in uno eodemque subiecto conveniunt & coeunt, ut sub omnibus sit tamen manearque verum corpus in suis proprietatibus essentialibus, contra unam perpetuamque scripturae inter se συνῳδίας αἱ συμφωνίας? recte affirmante Damasceno: ὅτι ἀδύνατον ἐν τῇ μιᾷ οὐσίᾳ, ἤτοι

Quoti

φύσει ἄρα τὰ ἐναντία γενέσθαι, id est in una essentia aut natura simul esse contraria, quod sit impossibile. An non filii Dei admittes tot sua ipsius de se testimonia in Vertumnum, aut Protheum convertibilem? Nescio utrum insa-niam vocem, an impudentiam, quod videt possibile, non esse contradictoria, nec confundi naturas, nec humanam destrui, si asseveretur unum idemque corpus si-mul, & τοπικῶς uno in loco esse, secundum veri corporis naturam ac propri-etatem, & his salvis quod alicubi localiter est, eodem et tempore ac momento ubique esse, non respectu naturae suae sed personae τοῦ λόγου, in cuius unitate assumptum sit ex lege unionis, ut ubicunque persona sit & esse dicatur, ibidem sit corpus, non tamen aut localiter aut naturaliter, aut infinite, sed persona-liter, quasi personalis unio sit συνάφεια & coëxistentia humanae naturae cum divina talis, qua illa coëxtensa sit a divina in immensum? Et non sit assumptio humanae in unitatem personae citra omnem vel confusionem inter se, vel mutationem naturarum in essentia aut proprietatibus suis, citraque exaequationem inter se aliquam? Hac assumptione nec ἰδιοσύ-στατος nec ἀνυπόστατος facta est, tumque inde per se ac separatim ex-stiterit, seu quasi facta sit hypostasis per se, seu persona, seu pars personae, sed facta est ἐνυπόστατος, καὶ ἐν λόγῳ ὕπαρξιν καὶ τὴν ὑπόστα-σιν πρὸς αὐτὸν ἔσχε ταυτότητα. In assumente enim ipsa tota totam omnibus suis partibus ὕπαρξιν habere coepit, & identitatem perso-nalem ad eam; inque ea sustentatur, gestatur, regulatur & conservatur.

Unde

Vnde Damascenus ait, nec hypostati caret, nec alteram tamen personam in Trinitate inducit. Ex quo neutiq. sequitur, naturam finitam necessario gestare occupare & complecti omnia cum infinita, in qua sustentatur & gestatur. Sed hoc sequitur, assumtam naturam finitam, vbicunq. est, in cœlo aut in terra, esse necessario in Deitate τοῦ λόγου, quæ vbiq. est. Vbiq. autem non esse, sed ibi tantum est, iuxta modum corporis esse in loco circumscripto intra suæ περιγραφῆς metas. Aliud est ἕνωσις ὑποστατικὴ: aliud κοινωνία sequens ἕνωσιν, etsi κοινωνία pro ipsa ἕνωσει sæpe usurpatur. Illa propria & soli Christo, pertinens ad quantitatem gratiam essentiæ Dei. Hæc illius fructus & effectus, quo fit communicatio rerum vel nominum. Communicatio rerum, quæ est Basilio μετάδοσις τῆς θείας δυνάμεως, & aliis πλουτισμὸς, μετοχὴ, μέθεξις, ea est quam Scriptura inhabitationem vocat, ab vnione plurimum differentem, qua sese exerit & lucet Deitas τοῦ λόγου in assumpta natura per καλὰ effecta & dona, seu per qualitates creatas & inhærentes, οὐ κατὰ μέτρον ut in sanctis, sed κατὰ τὸ ὑπερβάλλον, supra omnes creaturas, ὑπὲρ φύσιν, λόγον, νοῦν, per hyperphysica dona, quæ superant omnem captum humanum, per dona creata tamen. Omnipotentia enim, sapientia, iustitia, sanctitas etc. hominis Christi non sunt ipsa essentialis Dei potentia, sanctitas etc. sed sunt essentialium illorum Dei attributorum tantum effecta, dona gratiæ, & creatæ in natura assumta qualitates, non ἔξωθεν tamen ei communicatæ, ut in sanctis aliis, sed ἔσωθεν ab illa Deitate, cui hypostatice humanitas coniuncta est. ἡ γὰρ τοῦ κυρίου σὰρξ τὰς θείας

ἐνερ

ἐνεργείας ἐπλούτησε διὰ τὴν πρὸς τὸν λόγον, ἀπαραλλακτότατην ἕνω..
σιν, inquit Damascenus. Pertinet autem ad secundum gradum praesentiae Dei.
Scholastici vocant gratiam habitualem. Altera nominum communicatio, id
est ἐναλλαγὴ ὀνομάτων, ἢ κοινωνία ἰδιωμάτων proprie dicta praedicatio est
qua utriusque naturae propria de tota persona realiter [realiter], cui revera in..
sunt, tanquam uni composito, secundum differentes tamen naturas: de altera
tantum κατ' ἐναλλαγὴν ὀνομάτων praedicantur utrobique in concreto, unum
hypostamenon demonstrante. Realiter enim nec competunt, nec insunt
unius alteri, alioquin propria non essent, sed communia, nec ullum essentiale
Deitatis τοῦ λόγου ulli creaturae realiter communicari & inesse potest. Prae..
dicatione competunt & tribuuntur in concreto, si considerentur, ut distinctae
naturarum propria, respectu unius hyphistamenti. Scholastici unionis grati..
am vocant, & inter gradus praesentiae Dei hoc locum non habent, sed unione
hypostaticam declarat. Kemnitius autem, quia unionem hyposta..
ticam ὕπαρξιν attingit in attramente esse negat, sed per inhabitatio..
nem eam definit, communicatione vel essentialium omnium ac totius
essentiae realis; vel donorum gratiae creatorum & habitualium; illo Euty..
chianus, hoc Nestorianus est. Deinde quia nomen personae intelligit
non de illo aeterno hyphistamento τοῦ λόγου, seu secunda persona Trinitatis,
sed de duabus realiter coniunctis personam Christi conflat ex duabus per..
sonis, ergo duas personas in Christo, in divinitate quartam constituit. De..

rogat

regat persona τοῦ λόγου integritatem personae, quasi sine humana integra non fuerit, sed pars tantum subsistentiae & perfectionem ex humana accessu sit adepta, quae falsa & blasphema sunt. Si negat coextensionem, quid erit ipsi unio hypostatica aliud quam impostura magica, qua Christus sit praestigiator ludens, spectandum se terris visibili specie exhibuerit, sicut Marcionis & Manichaeorum phantasma, cum esset in statu humilitatis, in qua & etiam vicerit in caelos: qua nunc etiam, quando velit, ostendat sese Angelis & beatis hominibus: denique quam repetiturus sit iudicij postremi tempore, & sine qua visibili specie, sineque omnibus corporis proprietatibus essentialibus non sit & dominetur in mundo, & in Ecclesia, ubique dissimili tamen potentiae modo. Neque enim de assertis ne sentiunt aliter quam Musculus, nec de caelo quam Brentius. Illud vero maiestaticum, quod ex hyperphysicis conditionibus hyperphysicorum essentia constituit: quod existendi modo hyperphysico ubique existens soli sacro pani dispensatione inest: quod a pontificijs & Luteranis mandu oris physico carnaliter & corporaliter: a Kemnitio & Selneccero hyperphysice: ab Ubiquitarijs Brentianis spiritualiter; ore tamen capitur & manducatur: quod denique invisibile, & incomprehensibile, corpus tamen verum est: quod hoc est, inquam, aliud quam figmentum & spectrum Marcioniticum & magicum? An non haec scripta mutuo pugnant, & ἀσύστατα sunt, seu contradicentia? Quis sanus ergo in eis non dixerit, esse aut insaniam, aut impudentiam manifestis praestigijs Deo & hominibus illudentem? Longum foret singula persequi. Summatim restant in paucâ

conferens multiplici contradictione uarie corrupta. Kemnizius cumsuo Sel-
neccerulo monstrosius & detestabilius quam omnes alij, primum facit Deitatem
duplicem: Unam communicantem, alteram communicatam humanae naturae in u-
tero Virginis conceptae. Cum enim nec communicantem Deitatem essentia & essen-
tialiter humanae naturae uult communicatam esse, nec essentiales proprietates illius
egredi subiectum suum; communicata ergo Deitas, quam cum plenitudine omni
Deitatis & omnibus essentialibus proprietatibus in naturam humanam, κατὰ
περιχώρησιν, per immeationem & immanentiam suam, realiter deponit ac
reipsa, non erit ipsa Deitas aeterna, & quae absque essentia illa aeterna com-
municata uult, ut uita, potentia, uirtus, maiestas, non erunt essentialia
aeterna illius Deitatis, sed utraque ut essentia sit numero & specie alia e-
runt & creata, quare facit uere abusu uocabuli communicationis pro
creatione tantum ludens, quo etsi Arianus est (Arij enim sunt illa, ἦν
ποτε ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν) hoc tamen ab illo
differt, quod hic copiae λόγον ait, ἐκ τῶν μὴ ὄντων, & creatum esse
ante omnia. Kemnitius communicatam suam Deitatem ἀχώριστον,
cum humana natura in utero virginis, quam quia in & cum ea perque il-
lam tanquam organon perpetuum, ἐνεργητικὴν esse affirmat omnium divi-
narum uirtutum & operationum, aeternam illam communicantem otiosam
prorsus relinquit. Rursus cum affirmat, Corpora hauriri totam uirtuti
Verbi: assumptam naturam capere totum λόγον: omnem plenitudinem
Deitatis

Deitatis, & essentialia omnia in humanam naturam realiter ac reipsa deposita esse per talem περιχώρησιν communicata Deitatis, quae divinae essentiae in personis tribus soli propria est, & quidem totus thesaurus, ut ex ea gratia, veritas, vita & salus sit nobis derivanda & accipienda: Si haec ut essentialia humanae naturae communicata esse vult, sicut vult, quia plenitudo Deitatis ipsa est essentia, confundit naturas, & humanam necessario convertit in Deitatem cum Eutyche. Non possunt enim essentia & essentialia Deitatis realiter & reipsa cuiquam tamquam essentiale communicari, quin id fiat Deus. Si ut non essentiale, ex utraque natura conflat quiddam tertii generis in unam compositam naturam ex Deitate & humana natura. In infinitum vero differunt hyperphysica illa virtutes & operationes, δῶρα seu χάριτες, & quae ex unionis gratia accesserunt humanae naturae, in maiestate, honore, beatitudine, & gloria: paraphysica itidem in eadem ab antiphysicis. Hyperphysica enim virtutes & operationes in humana natura sunt creata dona, ipsa haec a divina τοῦ λόγου communicata humanae, sic ut illae realiter ac reipsa tamquam subiecto insideant. Sed non sunt proprietates, non essentialia idiomata ipsius divinae naturae, verum qualitates ab illa in humana creatae, tantae, quantas capere nulla creatura potest. Aeternum autem, immortale, infinitum, immensum, omnipotens, ubique praesens, omniscium & similia idiomata sunt essentialia Deitati soli propria, quae nulli creaturae finitae communicari realiter & reipsa possunt, salvis illis naturalibus proprietatibus. Nulla enim natura δεκτικὴ est seu capax illius contrariae essentiae, aut essentialium, multo minus finita infinitae

&

immensae, ut simul sit finita & infinita, mortalis & immortalis, vbiq. & in loco vno. Non igr hypostatica haec sunt, ut somniant Kemnicius, sed anti-physica, q communicatij assumtae non possunt realiter, & reipsa, nisi cum ipsius destructione. Plenitudo Deitatis non est gratia aut qualitas, sed essentia ipsa, quae, si realiter est ac reipsa in carne christi, caro esse & manere in suis proprietatibus non potest. Amittis proprietatibus desinit esse qd est. Fieri enim non potest, ut natura aliqua consistat absq suis proprietatib. essentialib. Sic ergo humanam naturam in Christo penitus evertit & abolet cum Eutyche & Monophysitis. Adhaec communicatam Deitatem & proprietates essentiales vult realiter quidem humanae naturae inesse, non subiectiue tamen, nec formaliter, nec habitualiter, nec inhaerenter, quia communicatas facit proprietates: humanam ergo naturam constituit hypostamenon suscipiens, ac per se subsistens, quod inuerso ordine scriptura, assumsit, sustentat, & gestat Deitatem, a qua in persona τοῦ λόγου humana traditur assumpta. Sed quia nec separat ab essentia sua proprietates, nec subiectiue aut inhaerenter assumtas esse vult, duas ergo in Christo ut naturas, sic personas statuit, vnam Deitatis communicatae atq. assumtae, alteram humanae naturae assumentis & gestantis, quod prorsus Nestorianum est. Deniq. dum per κοινωνίαν ἐνεργείας seu communicationem operationum, ut vocat, carnem Christi in efficacitate & operatione propriarum etiam ipsius diuinae naturae virtutum & actionum facit eiusdem cum diuinae naturae virtutis & potentiae

potentia realiter ac reipsa participem, ac perpetuum quoddam, inseparabile συναίτιον, καὶ συνεργόν, simul agens & cooperans organon, abolet δύο φυσικὰ θελήματα, καὶ δύο φυσικὰς ἐνεργείας: id est voluntates duas naturales & actiones duas naturales distinctas in Christo, & actionem theandricam, quae composita est ex duabus distinctis actionibus naturae utriusque, utraque agente quod suum & proprium est, non quod alterius: ἡνωμένως tamen, καὶ οὐ διῃρημένως, id est uniti, non separatim, aut diversim. Illam ergo confundit in unam, in qua, quod unius & proprium, commune fit alterique, & unam non effectu tantum vel apotelesmate, sed actione ipsa, quod non esse potest, vel si caro organon Deitatis in divinis omnibus efficiendis esse admittatur. Alia enim organi, alia causa organum moventis virtus, actio & operatio est. Nec quisquam unquam sensit, dixit, vel audivit humanam naturam a Christo adscitam esse in societatem & participationem vel ἐνεργήσεως, vel ἐνεργείας, effectionis & operationis operum mere divinorum, vel illi sociam καὶ συνεργόν esse in ipsis adiunctam, nisi hæretici. Et condemnatum hoc est in synodo sexta Constantinopolitana, qua cum consentit Lateranense concilium Anno 643. Et manet in aeternum vera regula Damasceni: ὧν ἡ οὐσία ἡ αὐτή, τούτων καὶ ἐνέργεια ἡ αὐτή. ὧν δὲ ἡ φύσις διάφοροι, τούτων καὶ ἐνέργειαι διάφοροι. & econtrario. Hæc de secunda quæstione, id est de universali præsentia carnis & corporis Christi in pane sufficiant. Restat tertia

quæstio

quaestio: Utrum corpus Christi physice & corporaliter, ut Lutherus cum Pontificijs sentit: an vero spiritualiter, ut Ubiquitarij: an denique hyperphysice, illo novo modo, quem Kemnitiani medium inter materialem seu carnalem seu naturalem, & inter spiritualem constituunt, eodem tamen quo panis ore manducatur? Ista quaestio in praecedentibus declarata satis est. Si corpus Christi verum, naturale, substantiale est in pane, praesentia physica & carnali: quomodo non oris manducatione physica comederetur? Cur ij sanius dixerint, manducationem talem esse spiritualem? Quae inter haec duo media statuitur hyperphysica manducatio, inane & fabulosum commentum est, quod nihil est, sicut ipsum corpus hyperphysicum nihil est. Si vero talis praesentia in pane nulla est, ut nullam esse demonstratum est, nulla fit illius etiam ore manducatio, quocunque vocetur nomine, nec materialis, physica, nec spiritualis, nec hyperphysica. Quomodo autem corpus Christi comedatur, sanguis illius bibatur vere, sed ab ijs tantum qui in ordinato & legitimo symbolorum panis & vini usu fide accombuntur verbo, & amplectuntur promissionem, unius Spiritus virtute, qui in Christi & credentium corporibus habitat, ostensum satis est. Tota actio externa est physica, in distributione & sumptione symbolorum, & ad internam spiritualem typica ac symbolica est ex unione sacramentali, quae in ijs tantum fit, qui analogiam externae ad internam tenentque signi ad rem significatae.

significatam considerant & intelligunt, & secundum hanc exhibita beneficia fide
accipiunt & sibi applicant. In non sumentibus fide, tota actio externa ma-
net profana & physica. Abest enim interna, qua rerum ipsarum fit appre-
hensio & perceptio. Quare impij sacramentum sumunt, id est, signa seu sym-
bola: rem sacramenti seu signa secundum verbum denotatam, & secundum pro-
missionem exhibitam, non accipiunt, sed iudicium sibi sumunt, fiuntque rei
corporis & sanguinis Christi, quod verum hunc sacrum cibum institutum, ut sit
κοινωνία corporis & sanguinis Christi, & alimonia animae ad vitam aeternam
non discernunt a cibo physico & profano. In hac narratione, qui
cum seria invocatione Dej, & desiderio ac studio serio veritatis, exordia
ac fundamenta pontificiae praesentiae in pane, quaeque ab alijs ex ijsdem ex
tructa vel adstructa sunt illis & attulta ex pluribus fundamentis alijs con
siderarit: reperiet primo (quod caput est) praesentiam ipsam nullo pri-
tus scripturae testimonio nitj, sed humana contraria ex Diaboli fascino na-
tum esse commentum, quod verba ipsa Testatoris, & suam evidentiam & inter-
pretationem tot modis dissidentibus inter se contradictione: Quod clarissimis verbis
Christi explicatus manducatus carnis & potus sanguinis ipsius, qui credentes in
ipso manent, ipse in eis: Quod Pauli invicta omni elusionj aut sophis-
ticae declaratio resistit ac prosternit: Cui ordo perpetuus ministerij, in q
eo ecclesiae Christi summo verbi consensu tradita, & ratio Sacramentorum
formalis, seu ut nunc insulse loquuntur, substantia Sacramentorum,
quae

quæ in actione consistit, & in ordinato legitimoq. mediorum usu atq. ordine, relatione, & analogia totius externæ actionis, ut symboli ad internam, ut significati: quâ fit participatio & applicatio significatorum: cuius ordo rerum in natura reclamat. Quo sibi illum blasphemam atrociter infroni gnrritum miserabiliter adserit ex verbo tot seculis. Certamini bus veritas, & naturæ utriusq. & inconfusæ unionis utriusq. in persona Christi; tot millium martyrum sanguine sancita & obsignata, tot seculis, usq. ad rabidas istas viperas conservata & propagata. Cuius vero commenti ratus est? ut præsentia ipsa, quod sit aliqua, nullo: sic nullo minus ullo testimonio doceri potest qualis sit. Ægidius dicit in pane nil homine: perpetuum enim adseri non potest, si per usum panis repetenda est. Quando igitur deserat Christus corpore vel panem vel sacramentum, nullo iota scripturæ ostendi potest. Nec desertio hæc, quomodo scripturæ congruat affirmanti Christum semper habitare fide in cordibus credentium, eiectum vero lapsibus contra conscientiam, fide etiam revocari ac redire in vera seriaq. pœnitentia. Inhabitationis autem, unionisq., aut reductionis post lapsus Eucharistiam frequenti usu pignus & sigillum esse. Præterea nullo doceri verbo scripturæ potest. Quâ virtute in pane quonam actu, effectuq. an materiali, physico, an spirituali aut hyperphysico afficiat aut mutet animas vel corpora? Quidnam conferat ad vitam novam, æternam, spiritualem, q in perpetuo studio, conatuq. piorum ac Deo

placentium

placentium actionum, & in lucta perpetua cum carne, Diabolo, & mundo stat & uiget? quam consolationem afferat? Quid praestet ad confirmandam fidem de beneficijs Christi, aut de unione cum Christo, significatione participationem fieri corporis & sanguinis Christi in applicatione beneficiorum eius, & insertionem, unionemque ipsi cum Christi uiuo & mystico corpore, citra contactum, coalitumque ullum materialem, aut physicum actum, uirtute unius Spiritus Sancti, perpetuo & perspicue scriptura loquitur. Haec manifesta sunt. Cuius usus igitur? Nullus alius, quam is, cuius causa fabrefactum & introductum est in Ecclesiam, nempe ut dixi, ut neruus sit idoli panis & sacrificij missae, eoque totius regni Idolatriae, superstitionum, abusuum, tyrannidis pontificiae, quo inciso illud concidere & ruere necesse est. Neruum enim alium congestorum proventuum, & potentiae, dignitatis, opum fruentur nullum habent. Deinde neruus est omnis inde natae idolatriae in cultu panis pro numine, abusuum consecrati panis, & sacrae coenae, operis operati, & similium &c.

SYNOPSIS DE PRÆSENTIA CORPORIS ET SANG, VINIS CHRISTI IN COENA.

I.

¶ Quid datur in cæna, præter panem & vinum?

PAPISTICA.

Corpus & sanguis.

LUTHERANA

Corpus & sanguis.

SACRAMENTARIA.

Corpus & sanguis

II.

¶ Quomodo datur?

PAP.

In genere carnaliter: In specie substantialiter: Verbo EST intellecto ὑπαρκτικῶς: de transsubstantiato pane.

LUTH.

In genere carnaliter: in specie consubstantialiter aut corporaliter συνουσιαστικῶς, verbo: est: intellecto συνεκδοχικῶς de alligato, vel incluso in pane substantia corporis aut corpore, non eodem tamen apud omnes sensu aut modo.

SACR.

Spiritualiter: (propositione intellecta μετωνυμικῶς de signo & signato ex analogia signi ad signatum) id est, virtute & efficacia Spiritus secundum ordinem & institutionem Christi

570

IIII

II In quo datur

PAPna:

In, cum, & sub acciden-
tibus panis: vi mi-
raculi

LUTHERANA

Vere Lutherana

In, cum & sub pane,
miraculosa unione
sine discrimine vel
substantiae miraculo-
sae cum substantia
panis, vel corporis
miraculosi cum
pane.

PseudoLutherana

In, cum, & sub pane:
Dissimiliter:

Brentiana & Chemnitiana:
nullo accessu
novo corporis,
sed antiphon-
tes hyperphysici
corporis, quod vere
antiphysicum
fingunt & nullum
dispensatione seu distributione
hyperphysica, idem itaque anti-
physicum id est nulla.

Heshusiana:
accessu novo
corporis hyper-
physici, imo
antiphysici,
in quo omnia
sunt contraria
physici corporis
proprietatibus.

SACRna.

In actione instituta,
& legittimo usu, eo
ordine & modo, quo
institutus est, &
traditus in verbo
& promissione, quae
requirunt spi-
ritum & fidem.

II Quomodo accipitur?

PAP.

Ore tantum: quia substantia pani inest Christi: & quia ex opere operato confert gratiam sine bono motu v. tentis

LUTHERANA.

Vere Lutherana

Ore tantum ab impijs, quia substantia pani adest.

Ore carnaliter: fide spiritualiter a fidelibus, quia non prodest ex opere operato

Pseudolutherana.

Ore tantum, ut Lutherana ab impijs

Ore & spiritu a fidelibus, sed dissimiliter

Brentiana & Chemniciana: nonnullis ore hyperphysice, & de spiritualiter: alijs utroque organo spiritualiter.

Heshusiana carnaliter ore: spiritualiter fide, cum Luthero.

SACRAMENTARIA.

In vero mero & legitimo symbolorum externo, cum ore illa percipiuntur: interius fide non his in spiritu, non physice, aut hyperphysice: sed spiritualiter, vere tamen. Qualis exhibitio: talis manducatio, in uno spiritu.

57

V

¶ Cui parti datur?

PAP.	LUTHER.		SACR.
Corpori, quia q in pane & vino physica sunt & materialia, ea corpus tantum percipit, & corpori tantum sunt analoga & congrua.	Animae & corpori: sed dissimiliter		Spiritui per spiritum sanctum, non exhibitione materiali & physica, sed spirituali & mystica, in virtute & efficacia spiritus ad vitas & effectus spirituales in vita nova spirituali.
	Vere Luth.	Pseudolutherana	
	In usum partis utriusque corporis & animae spiritualem	In usum itidem utriusque sed hyperphysicum corporis, spiritualem animae.	

VI

¶ Quibus datur?

PAP.	LUTH	SACR.
Pijs & Impijs	Pijs & Impijs.	Pijs tantum & fidelibus.

VII

¶ Quid comedant Impij

PAP.	LUTH.		SACR.
Panem & corpus christi; verum & naturale.	Panem & corpus christi.		Panem, & iudicium: non diiudicantes corpus Domini
	Vere Luth.	Pseudolutherana	
	Ut papista: panem & corpus naturale & verum.	Panem & non verum nec naturale sed hyperphysicum, imo antiphysicum seu maiestaticum corpus	

VIII

VIII

II Quid est edere corpus Christi in cœna?

LUTH.

PAP.

Carnaliter edere, sed miraculose tamen.

Vere Lutherana.

Carnaliter, miraculose: Spiritualiter fide, in virtute Spiritus.

Pseudoluth.

Ore, non carnaliter, sed hyperphysice, imo antiphysice: fide spiritualiter: aut utroque organo spiritualiter, ut aliqui somniant. Neutro carnaliter.

SACR.

Est non tantum crede-re quod corpus Christi sit verè pro nobis traditum ad remissionem peccatorum: sed in usu Cœnae manducare etiam corpus & sanguinem Christi id est sibiipsi applica-re Christum & omnia eius beneficia, & induere Christum, vere statuere quod fias particeps omnium beneficiorum Christi morte partorum, quod obsignetur tibi promissio & perceptio beneficiorum tanquam sigillo, quod se tibi verè communicet, & habitet in te Christus, & insertum suo vivo & mystico corpori inserat te surculum & palmitem vivum, membrum autem mystici corporis sui Ecclesiae, & gestet ac sustentet te in suo corpore, contactu tamen & coalitu non physico materiali, sed spirituali tantum.

91 VIIII

Quid est bibere sanguinem Christi?

Eadem responsio.

X

¶ Quomodo panis est corpus christi?

PAP.

Substantiâ, verè, reali ter, substantialiter, naturaliter, per trans substantiationem miraculosam, seu modum miraculi.

LUTH.

Substantiâ, ut Papista, verè, rea liter, naturaliter, essentialiter. Sed.

Vere Lutherana.

Per contransstantiationem miraculosam, seu per modum miraculi, in ipso actu distributionis & sum tionis corporis veri cum pane. Dubium tamen illa qualis sit. miraculum.

Utrum

Durabilis

vel cum ponti ficijs usq. ad durationem panis

vel per hy posticam unionem pa nis cum corpore

Non durabilis: sed certi tem poris: quanti ergo temporis? & quo testimonio?

Pseudolutherana.

Dispensatiue per distri butionem corporis ma iestatici & hyperphy sici, imo anti physici.

Dissimiliter

Aut semper & ubiq. &c. sanctus modo maiestatis

Aut in Cena tantum quandis, ubicunq celebratur, modo miraculi.

SACR.

Relatiue, ex ordine & instituto, secundum ver bum & promissionem, ratione unionis, ex ana logia signi ad signifi cationem.

XI

¶ Ubi est corpus Christi?

PAP.	LUTH.				SACR.
	Vere Lutherana		Pseudolutherana:		
	Dubia		Ubique.		
			Dissimiliter		
In caelo, secundum veri corporis modum. In Cena autem Sacra virtute verbi & omnipotentiae miraculosae. Recepta tamen utique, sic dicant idem corpus numero adesse. Sic idem specie, ceterum innumera corpora, quae creabuntur vi verborum Sacerdotis. Specie eadem cum illo quod traditum est, sed non illud ipsum, secundum verba Christi	Interdum eadem cum Pontificijs. Vere in Caelo; Atque vera calore in pane.	Interdum ratione Unionis hypostaticae Utique	Generali Ubiquitate in omnibus: dissimiliter: verbis tamen magis quam re	Restricta Ubiquitate Heshusiana, in sola Caena, vi miraculi cum Pontificijs & Luthero.	In caelo, quo cumque multo loco, est τοπικῶς, sed ad dexteram Dei, in una persona, id est in regno omnipotentiae, quatenus illius capax est, ubicunque est

Brentiana per realem Communionem idiomatum.	Kemniliana per περιχώρησιν seu immeationem

Sudent utique, Papistae & Lutherani, quantum possunt, certe nec transsub.

transsubstantiatio, nec consubstantiatio sine Vbiquitate stare potest. Et rursus: Vbiquitas constitui non potest, quin ipsæ rerum essentiæ euertantur, q[uod] est transsubstantiationis proprietas. Ita mitantur iisdem fundamentis, & mutuas tradunt operas Pontificia & Vbiquitaria

XII

Quomodo Christus est vbique?

PAP.	LUTH.		SACRA.
	Vere Lutherana. dissimiliter.	Pseudolutherana. In vtraque natura. Sed dissimiliter.	
Personaliter quidem, vocabulo intellecto de persona, non de altera ex naturis, sed communicatione idiomatum proprie dicta, id est prædicatione in concreto proprietatis vtriusque naturæ, vbiquitatis scilicet, quæ diuinæ naturæ propria est, de tota persona. In sola tamen natura diuina tantum est vbique. In cœna vero vbique etiam est cum corpore: sed restricta vbiquitate, qualis est Heshusii.	Interdum orthodoxe & recte, personaliter cum Pontificiis. — Interdum non tantum natura diuina, sed & corpore: ratione extensionis ex vnione hypostatica falsa, in vtraque natura.	Brentiana & Chemniciana generali vbiquitate in omnibus rebus. — Heshusiana restricta, in solo pane cœnæ.	Personaliter prædicatione in concreto de tota persona. Reipsa autem in sola natura diuina, cui soli proprium: esse vbique.

Addo XIII.

¶ Cuo actu, effectu, & fructu Corporis Christi sit in pane, & per usum panis in homine ?

PAP.

Actu physico bruto, Virtute nova & effectu spirituali: physico tamen & bruto ibi dem ad salutem aeternam, sine bono motu vtentis omnibus non ponentibus obicem, id est non obrutis peccato mortali, aut non habentibus propositum de eodem

LUTH

Vere Lutherana & Pseudolutherana

Impijs: spirituali ad iudicium.

Pijs & fidelibus re novâ actu physico bruto, effectu spirituali bruto, corpora & animas alterante

SACR.

Spirituali actu, effectu & fructu. ad progressus & incrementa vitae novae spiritualis, Deo placentis, non ad vitam physicam & animalem.

¶ Pontificia & Lutherana utraq. pugnant.

I Cum scriptura de ordine perpetuo & natura, ac ratione ministerij verbi & sacramentorum in Ecclesia: & de praesentia Dei per ministerium in homine, qui est tertius gradus praesentiae.

Secundo

CCCC

574

II Cum verbis institutionis, & doctrina christi de manducatione suae
carnis, & haustu sanguinis sui.

III Cum interpretatione & doctrina Pauli.

IIII Cum articulis symboli de incarnatione filij Dej & testimonijs scripturae
de proprietatibus veri corporis christi

V Cum tota prima & puriore antiquitate in hoc articulo.

VI Cum natura rerum

VII Secum ipsa. ἀσύστατα .n. prorsus sunt utraq. κ(αὶ) ἀντιφατικά.

VIII Denique ut commentum totum de praesentia carnali ad symbola corporis
christi commentum est impietatis & audaciae humanae: sic nullum
usum habet alium, nisi quod nervus est idoli in consecrato pane
& sacrificij missae propter idolum panis.

TRIPLEX ÆTAS DOC-
TORUM SCHOLASTI-
CORUM

.: C P :.

Triplicis scholæ & doctrinæ doctorum scholasticorum distinctionem habet Danæus in prolegomenis quæ præfixit commentario suo in Petrum Lombardum Magistrum sententiarum, me allegans tanquam primum autorem, cum honorifica mei mentione ex quarto Chronicorum. Sed à me tantum inchoata ipse digerit ac detexit.

Omitto quæ in meis & Danæi leges, de discrimine inter Canonistas & Doctores scholasticos, quorum illi cœperunt à Gratiano, qui decretorum volumen condidit primus, circiter annum 1040, quod ante ipsum tentarat Ivo Carnutensis, & hoc etiam prius Burchardus Wormatiensis Episcopus: Hi à Lanfranco papiensi, Antagonista Berengarij circa annum Christi 1020. Hic ergo primus autor putatur scholasticæ Theologiæ: quem secuti sunt Guitmundus Lanfranci discipulus:

Anshelmus

Hugo de Sancto Victore

Gratianus

Petrus Lambardus, Magister sententiarum, qui cum Petro Comestore & Gratiano spurio natus esse fertur una matre Monialj, patribus dubium, an uno vel diversis? vel incesto concubitu potius, ut tunc creditum fuit.

Petrus Comestor frater Lombardi

Petrus Clericus,

Rupertus,

Leo Tuscus

Wilhelmus Antisiodorensis

Cyrillus Carmelita, qui circa annum 1190 fabricavit Evangelium novum ex Origenis erroribus, quod postea aeternum Evangelium appellarunt.

Petrus Cluniacensis

Bernardus Compostellanus

Hugo Barcinonensis

Vincentius Gallus

Alexander de Ales, qui primus in Petrum Lombardum commentatus est. Haec prima scholasticorum doctrina multo fuit verecundior posteriore: quia adhuc vigebat memoria scriptorum veterum, Augustini inprimis: Sed in hoc peccavit, quod horum scripta autoritate aequavit scripturae sacrae. Duravit autem annos ducentos.

Media quae proxime secuta est, cepit circa annum Christi 1220 autore Alberto Magno Episcopo Ratisbonensi, & duravit per annos circiter centum & decem, usque ad Durandum de Sancto Portiano: qui vixit anno Domini MCCCXXX. Secuti sunt

Seqûti sunt Albertum Thomas Aquinas, qui Albertum vocat praeceptorem
Petrus de Tarentesia
Wilhelmus Episcopus Parisiensis
Durandus
Egidius Romanus
Hugonius Constantinopolitanus
Richardus de media villa
Joannes Scotus, nomine Duns, qui perpetuo
Aquinatem flagellat.
Alaricus de Insulis
Alexander de Alexandria
Nicolaus de Lyra
Augustinus de Ancona
Bonaventura
Wilhelmus Occam. Haec aetas detestanda audacia & impudentia, pro scriptura & patrum doctrina, invexit in Ecclesiam Aristotelis philosophiam, Ethicen inprimis & Metaphysicen. Huius scripta ubiq. verbo divino compararunt: Inde factum est ut scholastici huius seculi plerique in physica, logica & Metaphysica Aristotelis sint commentati
Tertia scholasticorum doctrina coepit sub Durando de Sancto Portiano:

ciij

cui Thomae doctrina & sophistica displicuit. durauit usque ad Lutheri saeculum, qui cepit anno MDXVII, per annos centum, octoginta septem. Huius seculi sunt Herenus de Bolo, Brito, & Carmelita Cyrilli Monachi illius Blasphemi discipulus, qui Euangelium nouum condidit. Joannes de Regno.

Henricus de Urimaria

Johannes Capreolus

Petrus de Aliaco Cardinalis

Joannes Gerson

Bernardinus Senensis

Gabriel Biel, Rhapsodus Scholasticorum.

Et post hunc multi alij similes. Nostra vero aetate surrexere Eccius sophista. Isto presente, Gembrardus Monachus Parisiensis & alij. Haec aetas longe fuit impudentior. Cum enim superiore & media aetate adhuc manserat verecundia: illam haec sustulit. Non verita enim fuit pronunciare ac definire de quaestionibus absurdissimis, antea tantum motis: Utrum Papa Romanus sit simplex homo, an quasi Deus? An participet utrasque naturam cum Christo? De eius potestate supra concilium. De Virginis Mariae immunitate a peccato. De altero signo uel specie

in Caena

in Cœna Laicis adimenda, & similibus. Recte conferuntur cum his Academijs posteritates platonicæ, cum veteri, media, & nova. Vniversum hoc seculum triplicis doctrinæ scholasticæ constituit & complet periodum fatalem annorum quingentorum: sicut in meis chronicis annotavi: qua tyrannis pontificia tenuit oppressam Ecclesiam erroribus, abusibus, superstitionibus, idolis auctis usque ad summum. Sunt enim ab anno 1020 Lanfranci, ad annum Lutheri 1517 anni totidem, tribus deficientibus: etsi exactissima ratio in his non spectatur. Considera præcedentes duas, primam a Christo nato usque ad ætatem quæ proxime antecessit Gregorium Magnum: & alteram sequentem, id est medium inter utramque. Et reperies in prima periodo a Christo & temporibus Apostolicis puritatem ac sinceritatem: in altera initia, incrementa, progressus errorum. de quibus est dulcis consideratio.

Aº $\frac{C\ P.}{1588}$

578

Argumentum D. Esaiae Heindricij.

Vestri Gorgiae argumentum Achilleum consideravi. Vide quale sit? Terminus a quo et Terminus ad quem, seu, Confirmans et confirmandum non sunt idem. Corpus & sanguis Christi sunt terminus a quo, seu confirmans. Fides terminus ad quem, seu confirmandum. Ergo corpus & sanguis Christi non accipiuntur fide. Nego consequentiam. plus est enim in conclusione quam in praemissis. Non illud enim quod infertur, sed hoc sequitur: Ergo corpus & sanguis, ac fides non sunt idem. Idque totum concedo. Estque eadem ratio meliorum in sacramentis quae verbi ad fidem. quia sacramenta sunt verbum visibile: docent oculis quod per aures verbum. Ut verbum quae docet vere exhibet, & hoc ipso in mente sit parte rationali, virtute sancti spiritus accendit lucem fidei primo seu notitiam, deinde fiduciam. Sic sacramenta vere exhibent quod significant & offerunt, & fidem obsignant, ac confirmant accipientem, & applicantem sibi oblata. Offeruntur et exhibentur verbo & sacramentis gratia, misericordia, iustitia, corpus & sanguis & in hac oblatione & exhibitione in natura intelligente & considerante quid fiat, quod offeratur & exhibeatur, accenditur fides, quae oblata accipit & applicat sibi vivo effectu & fructu in virtute spiritus sancti. Fides est accipiens & applicans. Acceptum & applicatum corpus & sanguis in usu symbolorum legittimo & instituto. his quid est manifestius? Sed in omnibus his semper considerari oportet rationem totam ministerij verbi

&

Verbi et Sacramentorum, quorum τὸ formalis, actio ipsa tota sicut est in-
stituta, quae duplex est Externa et Interna. Externa tria complectitur, Mi-
nisterium docentem, absolventem, administrantem Sacramenta. Media Ex-
terna, verbum sonans & symbola in Sacramentis: & personam audientem
& utentem Sacramentis secundum mandatum & institutionem. Interna
itidem tria complectitur, Totam trinitatem praesentem: patrem per et cum
filium in virtute spiritus: Res spirituales quae exhibentur, verbo docentur,
Sacramentis significantur: Et fidem accipientem res illas. Qui sine
fide accipit, nihil accipit nisi externa. Ut Sacramenta sint sacramen-
ta integra & perfecta, haec omnia concurrere necesse est. Et ratio
signorum ad significata nihil aliud est quam analogia totius actionis exter-
nae ad internam. Externa instituta in hoc est, ut praesentes de interna
viva et spirituali nos doceat tanquam visibile signum. Hoc modo cum fides
accenditur fit apprehensio & applicatio bonorum omnium quae offeruntur
et exhibentur. Haec subito effudi de ergo, quod plane novae dialecti-
cum: quia plus est in concl. quam in praemissis. Non sequitur hoc, Ergo
fide non accipitur corpus & sanguis. Sed possent obiici plura. Si fide non
accipitur sanguis et corpus, quomodo igitur accipientur illa in spirituali
manu, quam omnes uno ore contendunt? quo modo alio fieret appli-
catio? Sed valeant illa.

C. Peucer.

1587. VIII Septembr.

Ad Assertionem Catholicam de
mysterio incarnationis verbi et
unione hypostatica contra Ubi-
quitatem et realem communicatio-
nem idiomatum

NOTAE

Casparus Peucer

1 5 9 [illegible]

ined.

Ad Assertionem Catholicam: de
mysterio incarnationis Verbi &
unionis hypostaticae, contra ubi
quitatem & realem communica
tionem idiomatum

NOTAE.

Casparis Peuceri

:: 1590 ::

IN QVÆSTIONE & RESPONSIONE PRIMA

Optarim primo exprimi, ad quas alias uniones hæc differentia collata sit specifica differentia unionis hypostaticæ: plures enim ut sint oportet, Et multum lucis accederet inde propositæ quæstioni. Meus enim requirit illas, a quibus hæc separatur. Ad unitatem in Trinitate conferri non potest, quia sunt res diversissimæ, Unitas essentiæ in Trinitate, & Unio hypostatica duarum naturarum in persona Christi. Alterum est quod moneo. Etsi sic ab orthodoxis nonnullis in conflictibus recentibus usurpatum hoc esse, Personam constitui ex λόγῳ & carne assumpta tanquam partibus substantialibus, mihi tamen sciendum doctrinam ac sententiam Veterum, quam & retinuerunt Scholastici, incommode dici videtur, quia non obscuritatis tantum habet multum & ambiguitatis, sed a vero etiam recedit. Partes .n. substantiales sunt, sine quibus res esse non potest, quæcunque illarum desit. At λόγος fuit persona perfectissima & integerrima, antequam assumeret humanam naturam Neque hæc ergo constituit personam Christi tanquam pars substantialis, sed ut natura diversa toto genere assumpta est in unitatem personæ inseparabiliter, indivulse, inconfuse, immutabiliter. Hoc recte declarato palam fit quid intersit inter veram & hypostaticam unionem, & inter coniunctionem aut compositionem quæ naturas coagmentat tanquam partes

aut

" substantiam rei coalitu mutuo absolventes, aut integrales "

aut essentiales " constituentes totum, quorum & Damascenus meminit, modum hanc utrumq. a tertio hypostatico personae Christi proprio separans. Ita ergo est assumpta natura humana in unitatem personae, ut cum ἰδιοσύστατος non sit, sit etiam secundum sese ἀνυπόστατος, & τὸ ὑπάρξαι ἢ τὴν ὕπαρξιν in assumente λόγῳ obtinuerit. Non enim extitit humanitas Christi unquam aut usquam in rerum natura nisi in hypostasi τοῦ λόγου: Et esse ac subsistere in illa coepit, cum verbum caro factum est. Denique nisi in ea hoc modo existeret, sustentaretur, ac gestaretur, aut non esset,+ aut esset hyphistamenon per se, Atq. ita & duo constituerentur Christi. & introduceretur in Trinitatem Quaternitas. Quapropter nec quod sequitur unioni hypostaticae consentaneum est, scilicet sola constitutione substantiae unius personae Christi ex hypostasi τοῦ λόγου & carne assumpta unionem duarum naturarum in Christo personalem a reliquis praesentiae gradibus differre, quia non conflatur persona Christi ex duabus naturis. Sed differentia specifica consistit in modo assumptionis humanae naturae ὑπὸ τοῦ λόγου tali, qualem descripsi. Talis autem assumptio & unio nec constituit substantiam personae Christi prius existentis ab aeterno, nec perficit eandem quasi ante accessum humanae & cum ea connexum imperfecta & mutila fuerit: sed assumptae naturae hoc praestat, ut ab assumente & in ea τὴν ὕπαρξιν ἐνυπόστατον

καὶ

, assumtione tamen tali sit effecta ἐνυπόστατος ,

+ sed redigeretur in nihilum +

καὶ ταυτότητα ὑποστατικὴν διὰ τοῦ τρόπου τῆς ὑπάρξεως, sive per subsistendi modum substantialem perfectum ac completum adipiscatur & accipiat, cum ἀπὸ τῆς ἰδίας οὐσίας τὸ εἶναι, ἢ τὸ τί ἦν εἶναι habeat. Per hunc enim τὸν τρόπον τῆς ὑπάρξεως acquirit humana natura substantialis subsistentiæ perfectionem καὶ πλήρωμα. Et hic est τρόπος ὑπάρξεως singularis humanæ naturæ soli in assumente λόγῳ proprius, μονότροπος, ἐξαίρετος, ὑπὲρ φύσιν, ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον: quia non per se subsistit, sed in alio: nec tamen ut accidens, sed subsistentia substantiali. Iesuitæ ex scholasticis declarantes hunc modum dicunt humanam naturam non sustentari à persona τοῦ λόγου, ut in genere causæ efficientis seu per modum actionis, sed ut in genere causæ formalis, seu per modum naturæ, quia ut materia ὂν δυνάμει & imperfecta substantia à formæ coalitu actum, sic natura assumpta beneficio personæ accipit ultimam, non accidentalem sed substantialem subsistendi τελειοῦντα seu perfectionem. Ex his prius de causa efficiente magis congruere mihi videtur unioni, quod reijciunt ipsi, quam posterius de formali. Longe enim est alia materiæ ad formam, & è converso, analogia & ratio quam assumentis naturæ ad assumptam, & è converso. Materia enim induens & suscipiens formam est ὂν δυνάμει, seu imperfecta & incompleta substantia: ὁ λόγος assumens humanam verum est essentia perfectissima, & actus perfectissimus

fectissimus, ab aeterno existens: ac persona in ea ipsa essentia seu ὑφιστάμενον
ἰδιοσύστατον καὶ αὐθυπόστατον. Deinde forma materiam rudem & informem
format, seu specie certa vestit, conferens rei quae fit ac constituitur, esse sub-
stantiale, una cum idea qua differt ac discernitur a reb. & speciebus aliis
cognatis. Ideoque τελειότης est, id est, perfectio rei quae fit. At humanae
naturae assumta ~~assumta~~ nihil horum prorsus competit: nihil .n. naturae
augmenti adiungit nisi seipsam: nihil personae ad perfectionem: nec
est ἰδιοσύστατος quicquam: sed ex unione cum λόγῳ per assumptionem
seu subsistentiam personalem tanquam perfectionem ultimam & substantia-
lem accipit, non tamen in genere causae formalis, seu per modum naturae
sicut materia per formam in physico corpore, sed verius ac rectius in
genere causae efficientis, per modum actionis. Sustentatio enim & gestatio
otiosa non est & inefficax, nec fit sine virtute sustentantis, sicut Ire-
naei, & aliorum testimonia ostenderunt. Tertio, nec componit, vel ut
pars substantialis personam, sicut forma cum materia rem existentem,
vel ut integralis totum: sed persona prius existens perfecta fit ex assum-
tione illius in unitatem & identitatem personae, διὰ τρόπον ὑπάρξε-
ως, seu per modum subsistentiae, unitate personae nihil mutata, compositum
tum ex duabus naturis. Quarto, natura humana in Christo, quamquam na-
turae perfecta atque ex sua materia & forma composita, quae est ὁμοού-
σιος

sius nobis, præ cæteris omnibus creatis naturis, hoc tamen proprium est, quod κατὰ τρόπον ὑπάρξεως non per se existit & subsistit, sed ἐν τῷ λόγῳ, nec tamen ut accidens in subjecto, sed substantiali perfectione, illi soli propria, qua sine aut non esset, aut esset ὑπόστασις per se. Et hoc subsistendi modo à nobis differt, qui sumus ὑφιστάμενα per se existentia. Differunt οὐσία, φύσις, ὑπόστασις, ὕπαρξις, μορφή. Οὐσία est rei cuiusque simplex constitutio, suis omnibus proprietatibus atque accidentibus exuta. Φύσις essentia est suis proprietatibus & accidentibus vestita: Unde idiomatum alia οὐσιώδη prorsus ἀκοινώνητα, alia physica συγκοινωνητά, ut Incorruptibilitas, immortalitas. Ὑπόστασις natura singularis suis proprietatibus & accidentibus perfecta. Ὕπαρξις proprietas quædam substantiæ est, & modus substantialis, quo substantia per se subsistit, & immediate distinguitur ab accidentibus, quæ per se non subsistunt, sed ἐνυπάρχουσι seu inhærent subjecto. Ideo ὕπαρξις proprie nec substantia nec accidens est, sed substantiæ proprietas quædam. Μορφή non tantum οὐσίαν & proprietates essentiales designat, sed & alia rerum rei naturam παρεπόμενα, ut in forma Dei, & in forma servi. Non est igitur Unio

+ non est substantia sed ?

Hypostatica

hypostatica ipsa coniunctio aut compositio naturarum. Hac enim constitue-
rentur duæ distinctæ ac numero diuisæ personæ, ac sequeretur huma-
nam naturam αὐθυπόστατον καὶ ἰδιοσύστατον esse, ac habere ὕπαρξιν
propriam: quemadmodum hæc ipsa imaginatio causam fabro ubiqui-
tario præbuit orthodoxis obijciendi quod comminiscerentur unionem natu-
ras, sicut conglutinantur asseres duo. Reclamat et scriptura, quæ
docet τὸν λόγον personam ab æterno existentem factum esse carnem, et
quidem assumptione carnis: non autem carnem factam esse personam,
sed ἐνυπόστατον quod in persona iam existente. Non ergo est unio
hypostatica compositio, sed τρόπος ὑπάρξεως, seu modus subsistendi,
quo assumpta natura habet substantialem et inseparabilem existentiam
in persona τοῦ λόγου: Et tamen ex unione illa hypostatica tanquam
ex causa effectus fit Christus ὑπόστασις seu ὑφιστάμενον σύνθε-
τον, propter naturarum qualitatum οὐσιωδῶν et inconfusarum, χωρὶς
συγχύσεως ἢ συμφυρμοῦ ἢ συμμίξεως. De his Damas-
cenus: ἐν γὰρ ἀληθῶς ἡνώθη τῷ θεῷ λόγῳ ἡ σὰρξ ἐξ
ἀκραὰς ὑπάρξεως: μᾶλλον δὲ ἐν αὐτῷ ὑπῆρξε, καὶ τὴν
ὑποστατικὴν πρὸς αὐτὸν ἔχει ταυτότητα: πῶς οὐ τελέως
κατεπλούτησε πᾶσαν σοφίαν ἐν χάριν, οὐκ αὐτὰ τὰ τῆς χάριτος
μετοχὴν

μεταλαμβάνουσα, οὐδὲ κατὰ χάριν τῶν τοῦ λόγου μετέχουσα, ἀλλὰ μᾶλλον διὰ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν τῶν τε ἀνθρωπίνων καὶ τῶν θείων τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ γεγονότων. Et Rusticus Diaconus: Deus Verbum secundum semetipsum quidem unitus est carni: Una enim persona & una subsistentia factus cum carne, secundum vero naturam communicans est potius quam unitus: Duae enim manent naturae.

DE SECUNDA QUÆSTIONE

De datis & acceptis in tempore.

Respondeo. Data et accepta in tempore non pertinere tantum ad humanam naturam, quasi divina tantum dederit, humana tantum acceperit, sed ad utramque, adeoque ad totam personam. Nam & ὁ λόγος in natura divina accepit, cum naturam humanam assumpsit in unitatem personae, simulque in societatem καὶ μετοχήν, non autem in aequalitatem communis officii, regni, & sacerdotii, cultusque καὶ λατρείας, quia natura assumpta in tempore facta est propria caro τοῦ λόγου, vereque ac realiter homo, & particeps facta est regni ut Regi, sacerdotii, καὶ λατρείας. Denique cum agit διὰ φύσεως ἀνθρωπίνης, καὶ ἐν αὐτῇ, καὶ μετ' αὐτῆς τὴν ἑαυτοῦ θείαν ἐνεργεῖν δύναμιν, actione liberrima, sicut vult. Cuius

solius

solus enim exercebat antea, eorum nunc seorsim ac separatim à natura hu-
mana nihil agit. Liberrime tamen quae vult, & sine ea, & cum ea, &
per eam, atque in ea exercet & facit ὅσον αὐτῇ ἐξαρκεῖται, καὶ ὅσον
δέχεται, quatenus divinorum capax est, pro modo ac mensura naturae
suae. Nam quia infinita non est, infinitum non capit. Humana
vero natura accepit quae ὁ λόγος impertivit ac tribuit ei, nimirum
gratiam unionis, & gratiam habitualem, seu dona creata, non autem es-
sentialia & divinitati propria idiomata: Gratiam unionis, id est cum
subsistentia in sua persona omnia quae unionem comitantur, ut in concre
to tribuantur ei omnia quae divinitati sunt propria: Gratiam habitualem
id est dona supra omnes creaturas. Si tamen urgeat quis:
Ad humanam naturam ea pertinere, quia divinitas illa semper ha
buerit. Respondeo ex doctrina & regula veterum: In scriptura saepe
quae fuerunt antea, tum primum dicuntur coepisse, quando patefacta sunt.
Ex hac ergo respondeo paucis, & perspicue. Data & accepta in
tempore dici de tota persona, & de utraque natura, tam divina quam
humana, ratione patefactionis factae in tempore, quia postquam facta
est assumptio, declaratus est ὁ λόγος cum assumpta natura " illustrius
et id, quod ante fuit ab aeterno, tamque tunc coepit esse, scilicet verus
Deus, & quod non fuit sed esse tunc coepit, verus homo in veritate

" in unam perso-
nam patefactio-
ne nova "

carnis

carnis nostrae, quod haec effecta sit κοινωνὸς καὶ μέτοχος, socia ac particeps omnium quae ὁ λόγος solus habuit antea & X decento arcano divinitatis: quod haec persona Deus & homo, ut ante solus Deus, nunc in assumpta natura socia sit Mediator, Messias, Rex, & Sacerdos summus, redemptor, & Salvator generis humani: sed intra metas, leges, & conditiones naturae humanae finitae, ac proprietatum illius, atque actionum. Quod tota persona regnat nunc potenter, & adest Ecclesiae efficax in ea hoc modo quo convenit ac competit utrique naturae, secundum utriusque proprietates & actiones, quae tamen κοινωνίας ratione συντρέχουσιν εἰς μίαν θεανδρικὴν ἐνέργειαν, desinentem εἰς κοινὸν ἐνέργημα καὶ ἀποτέλεσμα, ἢ ἔργον θεανδρικόν, nunc in X exaltato, ut tunc in statu humili.

DE TERTIA QUAESTIONE.

Propositio vigesima secunda obscura indiget explicatione, ubi dicitur: Etenim Mediator, Redemtor etc. Addendum etiam, adest Ecclesiae, & efficax est in ea secundum utramque naturam servata cuiusque proprietate, tum meriti, tum efficaciae respectu, sed eo modo qui patefactus est & traditus in scriptura, quae diserte uno consensu ubique affirmat, Christum virtute, efficacia, & veritate sui spiritus

quo

quo assumptam massam suam inde usque ab utero matris Mariae vivificavit & sanctificavit, nos etiam unire sibi ut capiti in unum coagmentatos corpus mysticum, non physico & carnali aut hyperphysico miraculoso, reipsa magico, sed spirituali coalitu, Et efficere nos ossa ex ossibus, & carnem ex carne ipsius, non carnali physica immixtione aut illusione magica: Nutrire etiam corpore & sanguine suo, non tamen ut alimento, nec mansu buccae & pastu physico & carnali, sed spirituali virtute in verbo & vivo spiritu. Ad quam vitam enim regeneramur ac renovamur a spiritu: ad eandem ab eodem nutricamur, eadem virtute, alimento verbi eodem, sed medijs usu & applicatione diversis, nimirum verbo vocali & visibilibus medijs Sacramentorum, in quibus omnibus mens fide intuetur & apprehendit verbum. Haec si recte declararentur ac inculcarentur populo: sua sponte considerent & evanescerent somnia, quae ex pontificijs tenebris retinentur.

IN QUARTA QUESTIONE.

Propositione quadragesima prima sunt haec verba per parenthesin interiecta: A proprio tamen institutionis fundamento, neguaquam vel ad dimensionum penetrationem, vel ad absolutae virginitatis conventum temere distrahendam. Haec verba quid velint nemo facile intelliget. Plus esset perspicuitatis, si eo loco, quo posita sunt haec verba, ita diceretur:

A proprio tamen institutionis fundamento negnaq[ue] uit ad pontificiam in pane praesentiam, titulo miraculosam, reipsa magicam: siue per conversionem substantiarum et transsubstantiatione, siue per dimensionum penetrationem et consubstantiatione, siue per allegationem ad panem aliam quam corporis quod corpus non est: vel ad ubiquitatis alterius universalis aut restrictae commentum impie distrahendam. Haec moneo tantum, non praescribo. Vos quod rectum iudicabitis, Deo inuocato facite. Mihi haec uera et uera uidentur.

Casp. Peucerus D.

Caspar Peucerus ad Iac. Mon.

Incidit nuper quaestio inter duos Theologos, Orthodoxum unum, alterum Ubiquitarium, quae ad me delata est. Orthodoxo sic arguente. Manducatio corporis Christi aut est physica, aut hyperphysica aut spiritualis. Sed nec physica est: quia non Capernaitica. nec hyperphysica, quia miraculosa non est. Ergo spiritualis tantum: Unde Lutherus sacramenta, inquit, sunt spiritualia, non in objecto, sed in usu. Respondet Ubiquitarius quamquam dubitanter, Physicum & spirituale non esse extreme contraria: nec esse hyperphysicum inter haec extrema medium: sed non explicat hoc, quia haeret. De hyperphysico vero addit, Hyperphysica non tantum esse miraculosa, & supra naturam, καὶ ὑπερβολήν τινα, sed paraphysica etiam & antiphysica, seu ut ipse loquitur, supra & praeter naturae ordinem, aut etiam naturae contraria. De utroque quid sentias ex te scire cupio: Mihi quid videatur vel literis vel coram exponam. 9 Iul. 1590.

Sequitur Responsio Peuceri ad D. Amlingum.

S D. Legi Bergij ad te epistolam. Liceat mihi pace tuâ dicere quod sentio. Nec
tu videris mihi recte argumentarj: Et ille dum infeliciter te refutat, in aperti-
falsa se praecipitat. Offenditur ille partitione, qua in maiore propositione v-
teris: nec immerito; Confundis enim ordinata & extraordinaria, sub vno ordina-
torum genere comprehensa, dum hyperphysica medium tertium statuis inter
physica & spiritualia tanquam inter se contraria quae reipsa contraria non sunt
sed disparata, seu species diuersa sub uno genere ordinatorum diuinitus. Phy-
sica enim & spiritualia utraque ordinata sunt a Deo. Ex hoc genere hyperphy-
sica seu rectius τὰ ὑπὲρ φύσιν & miracula non sunt, quae Graecis sunt θαυ-
ματα. Nec & specie enim illis eadem sunt, sed diuersa, sub uno tamen commu-
ni genere alio. Extraordinaria enim sunt & singularia. Utraque tamen Dei opera
sunt. Ideo rursus tam extraordinaria quam ordinata rediguntur sub unum genus com-
mune operum Dej: A quo ludibria magica Diabolj ut toto genere differunt, sic
penitus excluduntur. Ut vere contraria autem opponuntur inter se τὰ κατὰ
φύσιν, καὶ τὰ παρὰ φύσιν, siue ut nunc Theologi loquuntur ἀντιφυσικά.
Illa enim sunt opera Dej: Haec non sunt, sed ex Diabolo nata, qui malus
est spiritus & hostis Dej, opera Dei destruunt, ut peccatum, morbi, corrup-
tiones operum Dej in natura, Mors peccati fructus & similia. Agnoscit
ille quod aliquid desit: sed explicare sese atque euoluere nequit, haerens in
fundamentis. Tu videris mihi melius & rectius sic potuisse arguere.

Manducatio

Manducatio vera veri corporis est ordinata, regularis, unius modi in omnibus, qui secundum ordinem institutum fruuntur, usu eadem perpetuo. Ergo hyperphysica non est, nec miraculosa, qualem Pontificij & Ubiquitarij communiscuntur, verbis discordes, re consentientes. Omnia quae talia sunt extraordinaria sunt, nova, singularia, rara, actus unius. Si ergo ordinata est manducatio, necessario vel physica est, corporalis, materialis, Capernaitica, vel mystica & spiritualis. Inter haec duo enim scilicet quorum utrumque suo loco est ordinis divini, Alterum conditum in natura ad usum huius vitae caducae & interiturae, & ad corporum conservationem; alterum institutum ac traditum in verbo patefacto ad aliam novam vitam, spiritualem, aeternam, usu sub externis medijs ordinato, externus physico internus spirituali, in virtute non physica, materiali, sed spirituali, quae est a spiritu Dei: Inter haec duo, inquam, medium tertium nullum est. Magica enim diaboli praestigiatoris, quae κακοζηλία operum divinorum, ac hominum fascino hoc autore introducta in res physicas & Ecclesiasticas pergunt aliquid nunc etiam & confirmant abusus magicos creaturarum promiscue apud prophanos homines: in Ecclesia vero Pontificia, cum aliorum tum maxime mediorum ordinatorum ad ministerium verbi & sacramentorum, scilicet vocum aut characterum verbi, aquae, & panis consecrati, Adhaec & persuasionem de opere operato, ac si virtute verborum pronunciatorum

nova

nova vel substantia vel virtus rebus induatur: Hac ergo mendacio obscu-
rant, abusu impio ac prophano conturbant ordinem divinum, et coinquinant ope-
ra Dei communia naturae & propria Ecclesiae, in Dei contumeliam, ac hominum
perniciem, damnataque iudicio et sententia Dei inter neutra Dei opera neque ordi-
nata neque extraordinaria censeri debent aut possunt. At vero manducatio
vera veri corporis Christi physica nullaque est, quia haec sub Capernaitica cum
dentur condemnata ac reiecta est simul ab ipso Christo. Hunc ergo ἀντίδο-
ξικόν & mendacem ut faciat necesse est, quicunque ab eo oralem & physicam
manducationem veri sui corporis usurpatam & institutam esse contendit, quando
ritum externum Caenae sacrae tradidit Apostolis, scilicet penitus improbatae ac re-
iectae contrariam. Nec praesentia est ulla corporis physica. Nec fit κοινω-
νία enim hoc ulla in usu fracti, distributi ac sumpti panis physica. Non fit
enim neque exhibitio, nec perceptio, nec contactus, nec mansus, neque usus
neque effectus in nobis, nec qualitas ullius corporum nostrorum cum Christi
corpore materialis & physicus. His enim tota scriptura reclamat. Re-
pugnat & totus ordo ministerii verbi et sacramentorum; causis, mediis,
usu & effectis longe ad alium finem quam physicus sive creatus ordo in natura,
institutione destinatus, ipsaque Dei praesentia longe aliter habitantis & effi-
cacis in homine per verbum & sacramenta fide in virtute Spiritus sancti
ad vitam novam, spiritualem, in novis ac Deo placentibus actionibus spiri-
tualibus, quam in creaturis secundum ordinem conditum. Necessario

ergo

ergo Manducatio corporis christi mystica tantum ac spiritualis est. Idque declaratum ex gradu praesentiae Dei tertio Ecclesiae proprio, quem Artifices no-
vae & miraculosae praesentiae in coena sacra prorsus non intelligunt sit evi-
dentius. Talis est enim manducatio qualis praesentia in homine, cui exter-
na symbola offeruntur & exhibentur visibiliter: res signatae intus invisi-
biliter; Et qualis est necessaria cum Christo hominis vescentis atque unio.
Sed praesentia in coena non est alia quam quae est in toto ministerio verbi ac
sacramentorum, teste consensu totius scripturae, nimirum ordinata, à phy-
sica tamen ordine alia ac diversa, perpetua, uniusmodi, spiritualis, ad no-
vam vitam spiritualem & aeternam, quae fit regeneratione spirituali & con-
versione ad Deum, id est reconciliatione cum Deo per fiduciam Mediatoris, & reno-
vatione in virtute spiritus sancti, & actionibus novis spiritualibus, congruenti-
bus legi divinae & Deo placentibus: Et unio cum Christo tantum est spiri-
tualis in uno spiritu, & non est physica, materialis per unam communem ma-
teriam primam, qualis est consubstantiatio pontificia. Spiritus est, in-
quit Christus, qui vivificat: Verba quae loquor vobis spiritus & vita sunt.
cum dixisset paulo ante, Ego sum panis vitae: qui venit ad me, nequaquam
esuriet, & qui credit in me non sitiet unquam. Item, Qui credit in me, habet
vitam aeternam. Item, Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem:
is in me manet & Ego in eo. Id vero Christus spiritu tantum & fide

fieri

fieri testatur per Verbum. De spiritu clare inquit, rogabo patrem & paracle-
tum alium dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum. Item. apud vos manet,
et erit in vobis. Paulus interpres magis hoc illustrat, cum inquit. Qui Do-
mino adhaeret, unus est spiritus. Item Qui spiritum Christi habent, hi sunt Chri:
Qui non habent, Christi non sunt. Item: Transformamur in eandem imagi
nem, ex gloria in gloriam, tanquam a Domini spiritu. Adest, & efficax est to-
ta Trinitas, id est singula persona eo ordine personarum, & eo actionum atq.
effectorum discrimine quod est verbo patefactum. Adest filius Deus
& homo, nunc in assumpta etiam natura, sed ut humanae naturae integris &
salvis suis proprietatibus convenit, & eo modo quo praesentia patefacta est,
nimirum, in illo spiritu, quo nos sua massa inserit & unit, quamvis nec inser-
tu vel insitione, nec unione seu coalitu materiali physico, vero tamen ac
vivo, sed spirituali, in uno eodemq. spiritu. Adhaec vivificat nos non tamen
ad vitam hanc mortalem, quia corpus hoc peccati destrui oportet, sed ad vi
tam aeternam. Per inhabitantem enim in nobis spiritum eius resuscitabit
mortalia corpora nostra, secundum divum Paulum. Deniq. conformes nos efficit Christo,
& carnem de carne, os ex ossibus ipsius, sicut ipse vitis est & nos palmi
tes. sed in hac vita inchoative, consummative id deinceps in resurrectione,
& in omni aeternitate. Ad talem & non aliam applicationem bene
ficiorum filij Dei merito partorum, & communicationem sui ipsius, atq.
per hanc ad coniunctionem ac unionem cum tota Trinitate, cumq.

ipso

cuiq. ipso Christo Deo & homine institutus est & ordinatus gradus tertius praesen-
tia Dei, Ecclesiae propius, in patris & filij efficacia per sanctum Spiritum, immedia-
ta, ad eam vitam, ad quam redempti precioso eius sanguine regeneramur. Nec
est alius gradus praesentiae aut in medijs ipsis quae non mutantur substantia
aut viribus in novas alias spirituales, nec adiungunt sibi ullo genere unionis
substantiam corporis, quia praesentia vera & efficax in homine tantum est &
non in pane, Aut in homine per verbum & baptismum, alius per sacram Coenam,
sed ex ordine & institutione Christi unus itemq. & eiusdem unius modi in om-
nibus, nimirum per fidem nitentem verbo & sacramentis tanq. visibili verbo,
in recto, ordinato, & legitimo singulorum usu. Baptismus est lavacrum re-
generationis spiritualis, et semel usurpatus manet externo illo actu mersionis
in aquam & solemni perpetuum sigillum promissionis applicatae, ac testimonium
internae regenerationis inchoatae, qua intus abluti sanguine filij Dei spiritua-
liter & reconciliati Deo patri remissione peccatorum unimur Christo, & inse-
rimur Ecclesiae, ac donamur Spiritu sancto, ad veros ac vivos fructus novae
vitae spiritualis edendos. Verbum est alimonia & medicina spiritualis.
Alimonia, conveniente cuiq. aetati doctrina. Medicina, concione poenitentiae in
lapsibus, cum peccati radix e carne non extirpetur, sed tollatur seu remit-
tatur culpa & reatus. Coena sacra est alimonia robustior pro adultis
id est intelligentibus doctrinam & in fide exercitatis, obsignans & confir-
mans fiduciam non momentaneae alicuius, sed perpetuae praesentiae

Chri

Christi in nobis, pascentis nos suo corpore & sanguine, id est, impertientis & appli-
cantis nobis sua beneficia, & communicantis seipsum nobis, nosque sibi insertos ges-
tantis ac sustentantis in sua massa, per unum & eundem suum spiritum &c. De
tali praesentia uno consensu docet scriptura perpetuo: Physicam, corpoream, &
materialem nullam novit: Nec quis unquam demonstraverit ex scriptura vel
uno iota, quid sit? qualis sit? in quo sit? in pane non vel homine? an vero in
utroque? & quomodo in utroque? quanti temporis sit in alterutro, vel utroque?
cuius usus? ad quid prosit? quando desinat esse, cum repeti crebro praecipi
atur in commemorationem Christi, seu celebrationem beneficiorum ipsius,
& praesentiae atque efficaciae in nobis? Haec omnia conficta a Pontificiis
Architectis idoli in pane & missa retinent & defendunt cum illis Ubiqui
tarii. Si ergo nec praesentia Christi: nec unio cum Christo physica est &
corporea materialis (nusquam enim dicitur, quod credentes aut vescentes pane
efficiantur unum corpus cum Christi assumpta massa, sed quod fiant unum
corpus inter se, alter alterius membra, cuius ipse caput est) Idcirco nec
manducatio physica est, sed spiritualis tantum. Ad hoc argumentum quid
possit respondere, aut in eo quid desiderare possit tuus ille Antagonista, cu-
perem audire. Quae vero idem de miraculis affert, quod non
tantum sint hyperphysica, sed paraphysica & antiphysica, seu ut ipse loqui-
tur sint omnino παρὰ φύσιν supra & praeter naturae ordinem, aut etiam
naturae contraria: sunt hominis parum memoris aut considerantis quomodo
physici

physici & Ecclesiastici discernant τὰ κατὰ φύσιν, τὰ ὑπὲρ φύσιν, καὶ τὰ παρὰ φύσιν. τὸ μὲν κατὰ φύσιν ἴδιόν τί ἐστι φύσεως, καὶ ταύτης συστατικὸν ἢ συμπληρωτικόν. τὸ δὲ παρὰ φύσιν ἀλλότριόν τί ἐστι, καὶ τῆς φύσεως ἐκτροπή; τῶν δὲ κατὰ φύσιν φθαρτικόν. Tale est & quod antiphysicum virginitatis vocant Graeci eruditi, ἀπὸ τοῦ παρὰ φύσιν non diversum: At τὰ ὑπὲρ φύσιν sive fiant καθ' ὑπερβολήν τινος τῆς φύσεως, seu per excellentiam quandam supra communia & naturalia, quales sunt excellentes virtutes in viris heroicis extra Ecclesiam creata divinitus, sive sint dona & χαρίσματα singularia, qualia accendunt in sanctis a Spiritu sancto κατὰ τὴν ὑπερβολήν, ἢ τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως, καὶ τὸν πλοῦτον τῆς χάριτος τοῦ θεοῦ: sive sint proprie dicta miracula: nec sunt κατὰ φύσιν, quia legibus naturae non respondent, nec congruunt, nec sunt παρὰ φύσιν: Non demoliuntur enim nec perimunt essentias rerum, nec ordinem naturae tollunt vel abolent, etsi actu uno singulari novum quiddam insuetumque naturae atque insolitum prorsus exhibent, quod creaturis sive virtute sua nativa & insita, sive per alias creaturas efficere impossibile est: Sed opera dei sunt singularia & extraordinaria, edita aut immediate a deo sine externis medijs, aut cum his vel in usu horum externo ac visibili mediate, sine horum tamen ope aut vir-

tute

tute (ἐνεργείᾳ γὰρ θεοῦ τυγχάνει τὰ θαύματα, ut Damascenus ait)
Creaturis omnibus impossibilia & inimitabilia: positiua aut priuatiua: καθ᾽
ἕξιν ἢ κατὰ στέρησιν. Positiua, quibus efficitur nouum quiddam, seu perma-
nens ac durabile, seu cessans atq. euanescens re ad naturam priorem reuer-
tente, actu miraculi contrario. Priuatiua, quibus cursus naturæ inhibetur, ac
velut interrumpitur, aut prohibetur se vis innata exprompere. Positiua sunt
miraculosæ aut conuersiones rerum vel procreationes: aut mutationes eius
quod est παρὰ φύσιν toto genere in aliud κατὰ φύσιν positiuum, sine vl-
lis adminiculis aut præsidijs creatis. Conuersionibus, etsi mutatio fit
vnius in alterum: annihilatio tamen omnimoda & destructio non fit, sed ex
vno positiuo fit positiuum aliud. Talia sunt conuersio aquæ in vinum,
baculi Mosis in colubrum, aquarum Aegyptiarum in sanguinem: ac reditus
vtriusq. ad priorem formam, quorum prius, etsi permissu Dej & potestate
Malefici Aegyptiorum imitantur vt magis induretur Pharao: aquis
tamen formam pristinam restituere nequiuerunt, & à colubro Mosis Dracones
Aegyptij deuorantur. Huius generis est & Transfiguratio Christi; quæ ty-
pus est perfectionis ex glorificatione corporum nostrorum Christo conformi
prouentura. Procreationes sunt Ranarum ex aquis Nili eductio,
Manna demissum ex sublimi in solitudinibus aridissimis: Torrentes
aquarum ex aridissimis petris effusi ad tactum baculi Mosis. Et qui
omnem naturam, omnemq. mentis humanæ captum exsuperat, Con

ceptus

592

ceptus filij Dei in humana natura, formatioq. in Utero virginis sine Virili semine. Mutationes τοῦ παρὰ φύσιν seu privativi quod est contra naturam, in aliud κατὰ φύσιν positivum sunt, fœcundatio sterilium, Sanationes miraculosæ congenitæ cæcitatis & claudicatis, aliaq. ad vocem christi, ad contactum vestimenti eius, umbra petri, sudariorum seu semicinctiorum pauli, vivificatio cadaveris ad contactum ossium Helisæi, & resuscitationes aliæ. Privativa sunt, cum sol stat, ferrum natat, & excæcantur hostes ad preces Helisæi, Iudæi clamantes christo, discipuli in Emaus, cum Chrs & Petrus vestigijs pedum calcant aquas & non merguntur; Cum fissæ maris rubri aquæ atq. cumulatæ scopulorum instar insurgunt ac consistunt; Ignis non urit in fornace babylonica; Ionas non suffocatur in ventre piscis. In horum neutro destruuntur essentiæ, ne quidem cum mutantur forma; ut cum aqua simplex miraculo evadit in compositum perfectum eadem quantitate & mensura, cum fit ex aqua vinum & sanguis conversione momentanea: Nec abolitur ordo naturæ cum repentinus cohibetur aut interrumpitur, cedente creatura omnipotentiæ creatoris. Aqua in vinum mutata non interit, nec esse desinit: Aqua tantum desinit esse actu: non etiam potentia: Rediri enim ad priorem naturam potest vi omnipotente, sicut cum in sanguinem versibus, & cum baculus fit coluber. Retinet enim horum duorum utrumq

servanix

δύναμιν redeundi ad priorem naturam, quam & recuperat. Sol cum stat sol non esse desinit, sed moveri cessat actu: potentia manet mobilis, sicut aqua maris rubri & Jordanis cum insistunt. Imo quicquid est creatum, δυνάμει tale est ut possit ex quocunq. fieri quidlibet, respectu omnipotentiae Dei, qui solus est actus perfectissimus ac purissimus, sed agens liberrimum. Nec res qua cernitur edere miracula in se aut efficere in alio unum idemq. est cum ipsa Dei omnipotentia. Neq. vis & efficacia est rei qua vi detur agere, sed est & manet illa quod fuit, & agit ex se quod suum est. Unde παντοδυναμία ἐνέργεια Dei est, quae ad illam, cum illa, aut in illa efficax ~~est~~ suo arbitrio liberrime, ista quod suum est agente visibiliter, opus ~~esse~~ visibile, invisibiliter tamen peragit. Non facit Moses miracula nova aliqua sua & ascita vi: Nec cadaver Helisei vivificat appositum cadaver alterum, sed praestat id, quae ad actionem Mosis & contactum cadaverum se exerit Dei potestas, qui utitur aliquando creaturis praeter ordinariam rationem suo arbitrio, ut se testetur esse agens non omnipotens modo, sed & liberrimum, nec alligatum esse ad ordinem quem condidit. Ne quidem natura humana assumpta in Christo ex se ac per se παντοδύναμος est, quemadmodum Ubiquitarii fingunt: Nec omnipotentia realiter communicata efficit miracula: quia natura creata, finita et non potest esse Deus: Nec capax esse potest eorum quae Dei propria sunt, ut sit & maneat creatura.

Sed in persona Christi ex unione hypostatica utraque natura distinctim agen-
te proprium, in actione Theandrica (quae Sontii effectum et opere una: ex-
ipsa ex duabus speciebus diversis ac distinctis, non separatis tamen compo-
sita est. quidquid non hac humana agente quod suum est Sontii, simul
fit omnipotenter, ut effectum tamen sic et actione conspicuum, in uno apo-
telesmate et opere, id a deitate seu divina natura Christi fit. ἡ γὰρ
τῶν θαυμάτων δύναμις τῆς θεότητος Χριστοῦ ὑπῆρχεν ἐνέρ-
γεια· ἡ δὲ χειρουργία, καὶ τὸ θελῆσαι, καὶ τὸ εἰπεῖν τῆς ἀνθρωπότητος.
Item: τῆς θεότητος αὐτοῦ ἡ θεία καὶ παντοδύναμος ἐνέργεια: Item
τὰς θεοσημείας ἡ θεότης ἐργάζετο. inquit Damascenus. Aliter
tamen exerit se in Christo Deitas in quo est unione hypostatica et insepa-
rabiliter, ut essentia, sic actione et effectis. Aliter in sanctis, quibus so-
cietate assistentiae, et separabiliter adest. In his enim, quod ab illis
fieri cernitur miraculose et omnipotenter, non est una composita actio ex
apparente humana et divina inconspicua: sed ita diversa genere ac dis-
tincta sic et separatae sunt actiones, secundum essentias et causas quae
in Theandrica actione numquam separantur. Petro in nomine Iesu sa-
nante claudum, alia Petri actio est, alia Christi proficientis quod ille
in nomine et fiducia Christi pro eo sic denuntiat, ut effectum mox si-
mul consequatur. Denique in nullo miraculo ostenderunt usque aliquid

acti

actu simul esse & non esse, quod impudentissime Architecti novorum miracu-
lorum Pontificij & Ubiquitarij, de corpore Christi comminiscuntur, quasi sit illud
secundum corporum naturam ac proprietates πεπερασμένον, περιγραπτὸν,
ἐσχηματισμένον, ἁπτὸν, ὁρατόν: Et contra eadem sit etiam actu simul ἄ-
πειρον, ἀόριστον, ἀσχημάτιστον, ἀναφές, ἀόρατον: sit unum in loco, sit in plu-
ribus, sit ubique. Talia commenta miraculosa non sunt, sed monstrosa mon-
dana, quae simul & proprietates veri corporis auferunt & extinguunt penitus
imo totam eius naturam atque essentiam: Et proprietates etiam ac ratio-
nem veram miraculorum, quibus cum quod prius erat, actu nunquam esse si-
mul, aut in una re consistere legitur, ut sit hoc simul & non sit. Non
mutat Christus, neque exuit figuram & essentiam corporis ac vestium, cum
in transfiguratione perfunditur nova luce divina: cum evanescit ex ocu-
lis discipulorum detentis, ne agnosceretur ab eis: cum elabitur e medio &
ex manibus prehensantium: cum ante lapidem amotum ab Angelis prodit
e sepulchro, quem Angelus non egressuro Christo, sed foris ingressuris di-
movet: cum ad Apostolos venit clausis foribus: Sed manet idem qui
erat. Nec potestate exitum sibi patefecisse, & ingressum destructione sui
corporis momentanea vel inde certum est, quia verum esse illud, suum
ac pristinum corpus mox mulieribus ac discipulis probat. Si tamen
cessione alterius κατ᾽ ἀλλοίωσιν corporeae molis atque essentiae mira-
culum utrumque peractum fuisse fingatur ἀδύνατον γὰρ σῶμα
διὰ

διὰ σωμάτων διήκειν, μὴ τέμνον καὶ τεμνόμενον, καὶ πλεκόμενον καὶ ἀντιπαρατιθέμενον, ut Damascenus ait. Quis sana praeditus mente non dixerit omnipotentiae divinae, ac pietati & veritati fidei Christianae magis consentaneum esse, creaturas, id est lapidem & fores cessisse potius creatori, quam hunc creaturae, cum miraculis Christus omnibus in seipso editis & in aliis demonstrare voluerit se verum & Deum & hominem esse non in una natura tamen, sed duabus diversis, hypostatice unitis. Aliter quam Apostoli, qui quae faciunt miraculose, se testantur in nomine Iesu perficere. Totum itaq. commentum de miraculoso & maiestatico corpore Christi finito simul & infinito, visibili & invisibili et de aliis diversis illius existendi modis, mendacium est, quod scriptura, quod rerum natura, quod ratio & proprietas miraculorum evidentissime redarguit.

Si quis obijciat contraria coire in conversione hominis; peccati radix remanens & repullulans, & novitas inchoata? Respondeo, fieri hoc ut in aliis, non in summis seu intensis gradibus, sed remissis: Verum non ut in brutis & materialibus, mutatione physica materiali, bruta, passiva momentanea, sed ut in natura rationali, intelligente, mutatione quae cum ratione & actione fit in motu, id est conatu, actione, & lucta perpetua, per lucem novam tamen ac virtutem Spiritus sancti efficacis non in otiosis, ignavis, nihil agentibus, sed attentis, vigilantibus

enitentibus

enitentibus ac laborantibus, secundum ac per Verbum patefactum ac fidem, in lucta cum innata carni in singulis viribus pravitate, cum Diabolo & Mundo. Quid est enim Conversio hominis ad Deum, quae inde usque a principio regenerationis reconciliatio cum Deo per fidem in filium, & renovatio interna, striaque lucta per virtutem Spiritus sancti resistentem carni, Diabolo & mundo: & reprimentem atque coercentem peccatum ne regnet in hoc mortali corpore nostro: In quo certamine qui vincunt crescunt donis ac salvantur: qui succumbunt, pereunt. Haec me veritatis illustrandae causa libentissime monentem, te pro tuo candore in partem optimam non dubito accepturum esse. Bene & feliciter vale. XI Aug. 1590

Caspar Peucerus D.

GG66

QUAESTIO I.

Wie weyt, vnd in was massen sich ein Orthodoxus des nahmens Calvinist annehmen, oder dessen entschlahen möge? damit er der sachen weder zu viel noch zu wenig thüe. Zuviel, darumb: quia notum est quomodo hoc nomen definiatur tum ab hostibus Veritatis, tum etiam ab imperita & seducta plebe. Zuwenig, darumb: ne fortassis hoc modo defugiamus necessariam & à Deo mandatam confessionem Veritatis in ipso dogmate.

Secunda.

Wie man sich rechtschaffen der Augsburgischen Confession annehmen, vnd dafür bekennen soll? Weyll dieselbige ihe bissher vnd noch ein symbolum ist Confessionis Ecclesiarum illarum quae sese à pontificatu segregarunt? Vnangesehen, man sich derselben vielermass missbraucht: Die auch etwa propter veteres historias primorum temporum quando illa fuit oblata, contra orthodoxos pfleget vnnd kan angezogen werden.

Tertia.

Quomodo popülariter respondendum sit Laicis, cum nos urgent, & illud nobis suggerunt? Quid tandem statuamus de ijs apud quos ante hoc tempus minor lux fuit in causa τοῦ δείπνου: aut qui etiam orthodoxis contradixerunt, aut cum ijs pugnare visi sunt.

Quarta.

Quâ methodo & ratione rude vulgus docendo possit deduci ad orthodoxam sententiam de Cœna Domini: ita ut neque intempestiuis aut incommodioribus (sicut uideri fortassis queant) vocibus prolatis ab ipso mox limine perturbetur: neque nimis caute uel ambigue tractando negocium istud Veritas prodatur?

Quinta.

Utrum Cœna Domini frui debeant Orthodoxi cum illis, vel illorum ministerio, qui Veritatem non modo oderunt, sed palam condemnant, atque ut condemnatam proclamant?

2 Iulij 1587.
Gorl.

¶ De prima quaestione: de Calvini nomine.

Memini quod exosum fuerit & infame nomen Lutheri sub initia motorum certaminum! quod multi sapientes abhorrerent nomen! Cuius doctrinam amplectebantur, proclamabantur Apostatae, seditiosi, desertores Ecclesiae, Wickleuitae, Hussitae: quae nomina ut condemnatorum ab Ecclesia Romana in odio erant. Denique hoc accidebat per omnia Lutheri discipulis, quod nunc cum Calvino amplexis ac professis antiquam & puram Veritatem in Controversia de sacra coena. Sed quis non videt per nomen Calvinij intelligi et peti non personam, in qua nemo est qui desideret quicquam, Verum doctrinam quae Calvini non est, sed Christi & Apostolorum: Et propter dogma invisum est Confessoris nomen: Autor enim ipse non est. Si quis ergo rectius rem perponderit, reperiet quae in Calvinum committuntur, nimia sollicitudine & formidine fugiendo, eludendo, inficiando nomen illius, committi ac redundare in doctrinam de Christo, & in Veritatem huius atque gloriam: Et haec omnia ex pusillanimitate profisci & diffidentia erga Deum. Neque hic locum habet dictum Pauli ad Corinth: Ego sum Apollo, Ego Pauli etc. Non de personis hic certamen est, sed de doctrina. Utrius sententia sit verior quaeritur; Lutheri vel Calvini? Certe autores nominari necesse est. Quomodo dissimulabunt Calvini nomen aut repudiabunt, qui se in eadem cum eo sententia perseverare & acquiescere dicunt? Videant qui facti sunt ne peccent in praeceptum octavum: Non dices falsum testimonium.

Videant

Videant ne in secundum, quia per nomen Confessoris iugulatur Christus & Veritas Christi.

II De altera quaestione: De Confessione Augustana

Respondeo. Confessio Augustana in dubium vocata primo non est à Pontificijs. Acquievit enim Eccius, dissimilitudinem posterioris editionis à priore obijciens Philippo, cum hic nullam in rebus ostendi posse discrepantiam, sed posteriora prioribus luculentius explicata subiecisset, ad quod faciendum causam, imo necessitatem attulerunt ipsi nostris. Non est igitur à Pontificijs vocata in dubium, sed à defensoribus Lutheri retinentis dogma Romanae Ecclesiae, qui pharisaico et furioso zelo pro Lutheri nomine, ut oppugnatores commenti pontificij καὶ τῆς ἀρτολατρείας ac multiplicium & teterrimorum abusuum in missa, adoratione, circumgestatione & repositione consecrati panis, & in persuasione de opere operato ex opinione impia & blasphema de praesentia corporis in consecrato pane, excluderent à legibus & conditionibus pacis publicae, hanc doctrinam à Confessione Augustana dissentire contenderunt, & primi hoc gladio pontificios contra orthodoxos armarunt. In reliquis articulis omnibus nihil est quod culpari, aut in quo desiderari quid possit. Solus de sacramento articulus explicatus integre non est contra pontificios, quia in re non defuit Autori voluntas & studium, sed obstiterunt consensus Luteri cum pontificijs, lex publica, & Lutheri authoritas.

Nec

Nec propterea aut controverti aut repudiari debet. Ab autore enim & deinceps in scriptis ipsius, & in disputatione Ratisbonensi vera fundamenta satis demonstrata sunt, quando & regulam irrefutabilem Eccio obiicit: Sacramenta esse actiones, Et extra usum institutum & actionem nihil habere rationem sacramenti, Et in usu atq. actione Christum vere, realiter, essentialiter & substantialiter praesentem esse atq. efficacem in homine sumente fide. Quam regulam ita amplexus est Lutherus, ut prae gaudio exiliens alta voce exclamarit: Debetur gratia sempiterna Philippo, qui perlisitijs ademit sacramentorum crucem, quod Ego tentare nunquam fui ausus.

De tertia quaestione.

De tertia quaestione respondeo; De Laicis & clericis errantibus sris & testimonijs scripturae & historijs Ecclesiae doceri nos, quomodo excerpat & colligat sibi Deus Ecclesiam in genere humano. Deinde, quod Ecclesia alias plus lucis alias minus habuerit, Imo quod ministerium totum saepe fuerit palam impium: & sonante verbo Deus tamen delegerit, docuerit, ac servarit Electos suos, ut docet historia septem millium qui non flexerunt genua coram Baal, Et Christo nascente Ecclesia. Ego ipse didici dum arsit orbis Christianus certaminibus his funestis de Coena sacra: ex promiscua multitudine tamen quod innumeri rectius senserint & loquuti sint de hoc mysterio quam docentes plerique: quia Deus aperuerit & illustravit mentes & corda piorum luce sui spiritus. Novit Dominus qui sint ipsius, Et discedat

ab

ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen Domini. Sanctis autem & Electis ce-
dunt omnia in bonum. Sunt errores, sunt lapsus in sanctis etiam: prae-
sertim quando dominatur impietas & praualet; sed super hoc quamuis detrimenti
quid patentur in donis aeternis, secundum Paulum ad Corinth: non tamen
excident haereditate aeterna. Nihil dubitemus, innumeros saluatos esse
sub regno tenebrarum, abusuum, superstitionis, idolatriae, & tyrannidis ponti-
ficiae; etsi tantum lucis non habuerunt, quantum multi nunc habent, qui
tamen quod norunt non faciunt, nec praestant & implent opere, id est
Veritatis confessione & assertione, & officijs vitae iustae ac sanctae. Hanc
si consolationem non haberemus de majoribus nostris, magis angeremur de
illa tota multitudine ante Lutherum mortua, quam de paucis pontificia abomi-
nationis fascino inueterato, cui Lutherus patrocinatus est, seductis. Eo-
rum qui cum orthodoxis contenderunt, manifesta et magna dissimilitudo est.
Alij id fecerunt perswasi erroris inueterati & speciosi diuturnitate, ut Lu-
therus ipse, qui melius non intellexerunt momenta controuersiae, cum non-
dum esset ita illustrata Veritas ut nunc est; Alij moti authoritate Lutheri;
Alij obstinata caecitate & amentia furenter aduersantur Veritati luce me-
ridiana clariori: nec audire illam, nec agnoscere volunt: cumulant
errores veteres furoribus nouis manifestis & ignotis Ecclesiae omnium
temporum, ac resuscitatione condemnatorum blasphemiarum & haeresium.

Hos

Hos blasphemos esse, et peccare in Spiritum sanctum quid dubium est? Illos qui errarunt ex caecitate prioris seculi quid dubium est comprehendi pauli-no dicto 1 Corinth 3: Vnius cuiusq. opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur. Si cuius opus manserit, quod supra edificauit mercedem accipiet: Si uero arserit, detrimentum patietur: Ipse uero saluus erit.

IV De quarta quaestione.

De quarta quaestione, Qua methodo et ratione rude vulgus deducij debe-at ad orthodoxam sententiam, ne perturbetur &c. de hac ut statuam non mihi sumo, sed moneo hoc: Aduersarios orthodoxae doctrinae discedere à Veritate in fundamento, in duobus gradibus praesentiae Dej. In secundo gradu, qui est gradus praesentiae in Ecclesia & in Electis in hac vita per ministerium Verbi et Sacramentorum, reuera non talis qualem ipsi descri-bunt, non physicus, non hyperphysicus, non magicus, non enthusiasticus, non Stoicus, qualem ex his omnibus confusum nunc comminiscuntur, sed ordi-natus et traditus certo atq. expresso Verbo, ac liberrimus, toti trinitati com-munis, patri filio, & spiritui sancto, secundum ordinem tamen personarum & actionum Verbo patefactum: patre praesente ut auctore & fonte, per & propter filium ut Mediatorem, in Virtute spiritus sanctj ut opificis, ea mensura ef-ficaciae, Virtutis et donorum, qua vult in singulis in vero ordinato ac legiti-mo mediorum & in actione, & talis in Sacramento qualis in Verbo: nec

alia

nec in sacramento Cænæ miraculo diuersus: Effectu vero in vtrisq; ad
vitam nouam, spiritualem, sanctam, congruentem voluntati diuinæ, se-
cundum legem diuinam, in actionibus nouis, spiritualibus, & lucta perpe-
tua, in virtute spiritus, cum carne, Mundo & Diabolo. In quarto gradu
vero de præsentia Diuinitatis in Chro vero Deo & homine per vnione
hypostaticam seu assumtionem naturæ humanæ vno τοῦ λόγου in vnitate
personæ, inconfuse, immutabiliter, indiuulse, inseparabiliter. Iudico ergo
populum deducendum esse ad fidem: id est fiduciam perpetuæ præsentiæ
filij Dej, prout in cordibus credentium habitat per fidem in verbo et virtu-
te spiritus sancti, inde usq; a baptismo, quo primum reconciliamur Deo, &
abluti sanguine filij Dej inserimur corpori Chrj vtrisq; vero, & mystico
Ecclesia, & accipimus spiritum sanctum. Huius perpetuæ inhabitatio-
nis Christi pascentis credentes semper sua carne & potantis suo sanguine,
virtute spiritus sancti per verbum, & gestantis nos in sese, in suo corpore
tanq; membra sua, tanq; surculos & palmites, & viuificantis nos suo spiritu,
μνημόσυνον est & pignus ac sigillum sacra cæna qua nos de omni-
bus beneficijs filij Dej, & de insertione illa viua & coalitu viuo cum
suo corpore: non physico tamen aut hyperphysico, aut magico: sed secun-
dum expressam scripturam spirituali, per virtutem spiritus sancti ad
profectum in vita noua, spirituali commonefacere ac docere, & crebro

veu

usu iterari debet, ut excusitetur, augeatur, et confirmetur fides de omnibus Christi meritis ac beneficijs, & de praesentia & efficacia in cordibus nostris, & acuendatur atque acuatur studium & cura profectuum in vita nova, sancta & spirituali, ne amittamus, ne excutiamus Christum Rectorem in suo spiritu, & amittamus gratiam, ac ruamus in exitium aeternum: quod quando fit, culpa nostra fit, quia Deus offert et exhibet nobis gratiam, misericordiam, fidem et dona reliqua per verbum & spiritum sanctum, viua virtute, qua quod perniciosissime pettimus, perficiamus. Hac qui repugnat carni, diabolo mundo, vincit & salvatur: Qui amittit, aut excutit: perit.

¶ De quinta quaestione.

In hac quaestione quantum sit vobis positum, non ignoro: Et metuere vos intelligo illud pharisaicum, Ne faciant vos ἀποσυναγώγους. Sed tota haec quaestio oritur ex pusillanimitate illa & diffidentia, de qua Joannes: Verumtamen et ex principibus multi credebant in eum, sed propter pharisaeos non confitebantur, ut ex synagoga non eijcerentur. Dilexerunt enim gloriam hominis magis quam gloriam Dei. Difficilis est ad hanc quaestionem responsio iudicijs humanis, quibus satisfieri non potest. Multum interest enim inter eos qui sunt in Ecclesia vestra. Aliqui sunt imperiti prorsus, Multi sanabiles, Multi hypocritae, Multi hostes furiosi & pertinaces: praeter orthodoxos. Horum alios aliter affici, & iudicare aliter de fratre

& ex

exemplo vestro, si accedatis ad synaxin communem, incertum est. Si abstineatis prorsus; imputabitur vobis contemtus ministerij sub prophana-tate extrema, & titulo haereseos. Si accedatis & fruamini; et orthodoxis & imbecillioribus multi clamabunt vos exemplo vestro stabilire impias opini-ones & iniustas condemnationes, omnemq. horrendam in abusu sacrae coenae abominationem. Ex hostibus vero aliqui calumniabuntur fieri hoc aut metu periculi, cum manifesta tamen abnegatione eius quam putetis esse veritatem in facto palam contrario menti ac fidei vestrae, aut in studi-bium sacrae coenae. Me etiam haec ipsa quaestio non leviter ex-ercuit. Valde me terret dictum Pauli: Nolo vos fieri socios daemo-niorum: Non potestis calicem Domini bibere & calicem daemoniorum. Non potestis mensae Domini participes esse, & mensae Daemoniorum. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: Omnia mihi licent, sed non omnia aedificant. Nemo quod suum est quaerat, sed quod alterius. Enarre scandali publici, ex severissima Christi comminatione, perpetuo ratio ha-benda est accurata, ne confirmemus exemplo nostro quoquo modo palam impia, blasphema, idolatrica. Rursus tamen si in Ecclesia sonat adhuc vox Evangelij, si Sacramenta administrantur eo ordine & usu quo sunt instituta: etsi in ministris, & in opinione communi, abusuq. permissuo

ac

ac multiplici magna est impietas: tamen cum vis, efficacia & dignitas verbi & sacramentorum non pendeat neque ex hominum opinione et persuasione falsa, nec à dignitate ministrorum: judico, si in praecipuis de doctrina fidei articulis sit consensus, à ritu externo in caena sacra non minus orthodoxum abstinere debere quam à baptismo, ad vitandum scandalum, contemtus ministerij, & suspicionem prophanationis externae: ita tamen ne veritatem occultet, ne interrogatus dissimulet. Si vero post editam liberè & apertè confessionem arceatur, reliqua commendet Deo, nixus illa consolatione Augustini vera, rata, & perpetua in Ecclesia: Crede, & manducasti. Durum est ut impium traduci ac proclamari, atque ab omnium societate excludi: sed commendet Deo & contemtum sui, & odia, injurias, calumnias, persecutiones, quae ordine divino, secundum patefactiones divinas comitantur omnes qui Christo adhaerent, & hunc confitentur. Subjicit se Christus legi Mosaicae, praestat quae praestari praecipiuntur: Nec propter persuasiones de lege pharisaicas & de sacrificijs, propterque abusus & propter ministros impios rudes prorsus & imperitos promissionum & doctrinae prophetarum negligit aut contemnit ministerij ordinem à Deo institutum & traditum illi populo. Si exemplo Christi opponatur quod oportuerit eum implere omnem legem: prophetarum exempla allegantur. Si prophetarum singularis urgeatur vocatio, quod extra ordinem docuerint & sacrificaverint: consideg

eius rei praeferantur, & opponatur perpetuus in veritate patefacta consensus cum Mose & omnibus prophetis inter se, deinceps innectis novis, commentitijs, falsis, impijs, blasphemis commentis sacerdotum & pontificum veterum & posteriorum ante nascentis Christi tempora. Non sustulerunt, non abrogarunt, non mutarunt ordinem rituum & sacrificiorum Prophetae: sed abusus taxarunt & damnarunt. Christus levitica implevit, & impleta abolevit. Christi exemplum sequuntur Apostoli: Habuerunt auctoritatem divinam instituta & tradita divinitus in populo Dei ante Christum: Eandem habent post Christum instituta & tradita ab ipso Christo. Utrinque in usu ordinato & legitimo vigent. Haec perspicua sunt & certa. Exercet me vero etiam discrimen & ratio scandalj, nimirum: Utrum sit maius scandalum, hoc ne quod ex participatione coenae Domini cum impijs, blasphemis, idolatris? an vero illud, quod est ex suspicione contemtus, ac prophanitatis? Grave est utrumque: sed prius distingui oportet necessario. Cum palam impijs, blasphemis, idolatris, quales sunt hac in parte pontificij hostes veritatis, communicandum non est, etiamsi integram coenam distribuant: Nec cum reliquis etiam caelitus qui vel vestigijs pontificiorum insistunt, vel sua blasphema deliria mordicus retinent, ac vi manifesta tuentur. Utrique enim ordinem a Christo

institutum

institutum corruperint & cœnam in idolum & sacrificium idolatricum converterunt, quo non debemus contaminari. Cum reliquis cœtibus, inter quos sunt orthodoxi, & errantes sed cupidi veritatis, moderati, sanabiles; prophani, hypocritæ, hostes etiam, sine impietate, iudico pium illi cœna recte posse, cum veritatis tamen confessione. Non probat blasphemia, nec stabilit abusus, qui contradicit & utitur ritu sacro, sicut est a Christo institutus. In tali casu qui offendit omissione recte sentientes aut inter illos, scandali ratione graviter peccat.

Caspar Peucerus D

1587.

ined.

De Discrimine inter Melanthonem & Allobroges in doctrina de Praedestinatione.

Casparis Peuceri D.
ad
I M V S.

1588

Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν: Ἀπ' ἄρτι ὄψεσθε
τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγότα, καὶ τοὺς ἀγγέ-
λους τοῦ Θεοῦ ἀναβαίνοντας καὶ καταβαί-
νοντας ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου.

Ioann. 1. 52.

OMNES ELECTI SUNT CREDENTES: et OMNES CREDENTES SUNT ELECTI.

Utraque propositio est vera & certa. Nam verum & verum consentiunt. Itaq. non differunt istae sententiae reipsa, sed modo rei.

Prior sententia inculcatur in scriptis Calvini & aliorum in Ecclesiis Gallicis Doctorum, qui sic argumentantur. Iste est Electus, Ergo credit: sive, Quia credit. Si enim non esset electus, non haberet a Deo donum fidei, vel non posset credere. Altera sententia sonat in scriptis scholae Melanthonianae, quae sic colligit. Iste credit, Ergo est Electus. Vel: non dubitandum est eum esse in numero Electorum. Quia, si non crederet: quo modo esset habendus inter Electos?

Ut autem recte intelligas, & accipias, atq. inter se concilies utramq. propositionem: haec tenebis, & meminisses.

I. Propositio prior est via procedentis, ut scholae loquuntur, a priori: altera vero est via procedentis a posteriori.

II Prior propositio a summis progreditur ad ima: altera ab imis ascendit ad summa.

III Prior magis est τῆς θεωρίας: altera magis τῆς πράξεως.

IIII In priori est methodus analytica: In altera est ordo synthe ticus.

V Prior patefacit ipsum fontem verae doctrinae: Altera monstrat usum seu applicationem tam necessariae & utilis doctrinae in consolatione.

VI. Prior monstrat causam & fundamentum salutis: Altera ostendit usum doctrinae illius in applicatione ad unumquemq.

VII. Altera deducit te ad fundamentum ipsum salutis non in te sed in ipso Deo quaerendum, à quo proficiscitur donum fidej. Altera ostendit tibi signum salutis in te quaerendum, ut teipsum excutias & examines: an signum illud habeas? scilicet fidem

VIII Altera sententia est via scala quâ Deus descendit ad nos. Altera est via scala quâ nos ad Deum ascendimus.

QUI COEPIT (scilicet donum fidej in nobis) PERFICIET: (scilicet donum fidei, sive fidem illam, augendo ipsam & largiendo illius effectuum sensum, & denique dando donum perseverantiae.

HABENTI (scilicet donum & initia fidei, & sentienti effecta illius, & petenti.) DABITUR (scilicet ut consequatur incrementa fidej, & ipsum denique donum perseverantiae.

RATIO EST.
DONA DEI SUNT AMETAMEΛHTA.

DOMINE ADAUGE NOBIS FIDEM. Amen.

1586. 4 Sept.

Responsum: ad haec:
D. Perlevij.

Non sumo mihi, nec feram iudicium de singulis thesibus tuis, in quibus, si quid differimus, mea id confessio ostendet. Sed in pauciora contrahi posse existimo quasi momenta discriminis quod est inter utrosque, Melanthonem & Allobroges. Melanthon enim consolationes quaerit dubijs et perterrefactis. Quare si ἀντιβατικὰ in arcanis beneplaciti, & revelatis signi recte explicentur, quorum haec Melanthon, illa Allobroges urgent, in reliquis dubij nihil relinquetur. In doctrina de praedestinatione, & universim in magnis doloribus, aut serijs terroribus, & atrocibus cruciatibus conscientiae ex sensu irae Dei & conspectu peccatorum nil tam exercet hominem quam τὸ αἴτιον τῆς φαινομένης ἀνωμαλίας, quando disputat de electione: Cur Deus eligat hunc, repellat alterum. De Vocatione: Cur has gentes vocet singillatim immissis, aut e medio excitatis ministris verbi, alias non nisi communi, aut procul sonante voce verbi? De mensura fidei, virtutis, seu facultatis, & alijs aut promissionibus particularibus, aut singularibus donis: Cur huic plus lucis, fidei, roboris tribuat, cum dono perseverantiae: alteri minus? Eosdem vocatos ante & conversos, cur penitus destituat quasi abiecerit? Denique quae sit causa exuberantioris aut indulgentioris gratiae & misericordiae in hos: contra severioris ac rigidioris iustitiae aut irae, aut vindictae pertinacioris in alios? De his ergo si angatur mens dubia, trepida, oppressa terroribus, vergens in desperationem, quaero quo deducenda sit? Et quae velit à

morte

morte resuscitandis, erigendisque, ac confirmandis animis, maiore certitudine salvificae fidei, & efficaciore consolatione sint accomodatiora. Allobrogica sunt: Deum esse liberrimum agentem, iustissimum, inexhaustae misericordiae: Eundem liberrime bona sua distribuere quibus vult, & omnia quae facit iustissime facere, cum eligit, cum vocat cum salvat: aut contra reiicit, vel deserit, cum miseretur, cum punit &c. Nec habere quemquam causam expostulandi cum Deo, eo quod nemini quicquam debeat. Haec verissima sunt, erunt, & manebunt in omni aeternitate, sicut iustitia Dei immutabilis est. Sed si de illis ad fontes examinatis, recte iudicare volumus, Legales sunt, natura insita, & nota etiam sanioribus & sapientioribus Ethnicis. Propemodum enim totidem verbis recitantur eadem in primo libro τῆς τοῦ κύρου παιδείας apud Xenophontem. Οὕτως ἥγε ἀνθρωπίνη σοφία οὐδὲν μᾶλλον οἶδε τὸ ἄριστον αἱρεῖσθαι, ἢ εἰ κληρούμενος ὅτι λάχοι τοῦτό τις πράττοι. Θεοὶ δέ, ὦ παῖ, ἀεὶ ὄντες πάντα ἴσασι τὰ γεγενημένα, καὶ τὰ ὄντα, καὶ ὅτι ἐξ ἑκάστων αὐτῶν ἀποβήσεται, καὶ τῶν συμβουλευομένων ἀνθρώπων, οἷς ἂν ἵλεῳ ὦσιν, προσημαίνουσιν ἅτε χρὴ ποιεῖν καὶ ἃ οὐ χρή; εἰ δὲ μὴ πᾶσιν ἐθέλουσιν συμβουλεύειν οὐδὲν θαυμαστόν. οὐ γὰρ ἀνάγκη αὐτοῖς ἐστιν ὧν ἂν μὴ θέλωσιν ἐπιμελεῖσθαι. Sunt similia dicta & apud alios. Natura omnes non profani praediti, intuentes eventuum dissimilitudinem, & du-

bitant

dubitant et disputant de Electione & Electionis causa. De particularitate Elec-
tionis sentiunt omnes natura, Verum quosdam elegisse quos voluerit, quibus be-
nefaciat. Causam Electionis cum ignorent, aiunt quod de ea dubitent, rursus se-
cundum legis notitiam ac praecepta, de dignitate ac meritis disputant, & eo in-
clinant, quod dignis, id est bene meritis de Deo & de hominibus impertiat Deus
sua beneficia, ob idque praeter opera moralia, cumulant opera alia & λατρείας
arbitrio & cultu proprio privato, quae anteferunt moralibus. Haec tentatio ex-
ercet omnes homines luce Evangelij carentes. Legalia itaque haec sunt: Lex n.
dignitatem & merita postulat: At non eripiunt conscientias ex morte, & terro-
ribus aeternis, sed pavores & desperationem augent. Non enim reperit hic
mens desperabunda, in quibus acquiescat, semper cum hac conflictans fluctu-
atione, Utrum satis meritorum praestitum sit ad promerendam gratiam Dei? vel
illa quae praestita sunt, utrum accepta Deo sint & placeant? Si vero audiat mi-
sericordiam esse causam Electionis, paucos tamen esse electos, magis et angitur,
disputans: An Deus sit aequalis? An sit προσωπολήπτης? Cur non omni-
um misereatur, cum peccatores simus omnes? Quae vero deinceps
addunt Allobroges ex Paulo ad Rom. 8: Quos praescivit, eosdem & praedestina-
uit, ut conformes sint imagini filij sui, ut ipse sit primogenitus inter mul-
tos fratres. Quos vero praedestinavit, hos & vocavit. Et quos vocavit, eos
& iustificavit, Quos autem iustificavit, eos & glorificavit. Et quae seqq.
Item: Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum,

qui non etiam omnia cum eo nobis gratificabitur? Item ad Ephes. 1.
Sicut elegit nos in Christo antequam iacerentur fundamenta mundi, ut simus
sancti & inculpati coram eo per charitatem. Qui praedestinauit nos, quos adop-
taret in filios per Iesum Christum in sese pro beneuolo affectu voluntatis suae,
ad laudem gloriosae suae gratiae, qua nos gratis effecit sibi gratos in illo di-
lecto. in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum
ex diuite ipsius gratia &c. Haec, & similia alia plura dicta de Elec-
tione & praedestinatione sunt Euangelij propria, & Euangelicae patefactiones, quas
Melanthoniani non modo non improbant, multo minus rejiciunt aut praeter-
eunt: Cum. n. rejicerent immotam veritatem arcani & immutabilis consi-
lij Dei? Sed ut certa, firma, & immutabilia retinent. Verum & illa
legalia, & haec Euangelica tamen arcana & intelluminata sed ut indices ar-
canorum decretorum diuinitatis particularem electionem in totis gentibus aut
singulis indiuiduis certo Dei magnoque consilio non exprimentium, nec defini-
entium a priori, docent accipi & intelligi oportere secundum declarationem
ac determinationem traditam clara voce Euangelij in usu & applicatione, ad
profanitatem, curiositatem, securitatem & ignauiam auertendam aut compes-
cendam: & ad consolationum ac fidei certitudinem demonstrandam ac stabi-
liendam ex istis fundamentis Justitiae & misericordiae Dei. Melantho-
niana ergo haec sunt. Quod mandatum de praedicando Euangelio, & de praedican-
da

de pœnitentia, & remissione peccatorum, in nomine Iesu, per totum orbem terrarum est universale, ac pertinet ad omnes gentes. Est autem Euangelij Christi prædicatio pœnitentiæ, non tantum ministerio legis, sed suo etiam quodam proprio munere, nimirum ut pœnitentiæ non legalis, quæ ad mortem ducit, sed Euangelicæ salutaris: ut totius pœnitentiæ secundum omnes partes, non ut solius contritionis: Et interpres legis stabiliens legem integralem obedientiam perfectam, & mitigans tamen τὸ ἀκριβοδίκαιον legis τῇ ἐπιεικείᾳ misericordiæ per & propter meritum Mediatoris, ac probans in reconciliatis obedientiam inchoatam, quamvis imperfectam, infirmam, ac multis modis contaminatam, ac damnans hanc non præstantes suo proprio, non legis officio, quia lex omnem perfectam postulat. Alioquin lex esset sibi ipsi contraria. Est itaque prædicatio pœnitentiæ & remissionis peccatorum, quia vult Deus argui peccatum in omnibus. Vult accusari omne peccatum, sed maxime peccatum incredulitatis in filium, post annunciatam gratiam per & propter filium promissam, sicut inquit Christus: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me. Vult etiam annunciari promissionem gratiæ, & remissionem peccatorum omnibus sine discrimine. Est uero & mandatum de audiendo Euangelio universale, & pariter ad omnes pertinet: nec testimonijs opus est, quæ sunt manifesta: nec disputatione de hac universalitate, quæ ad nullos particulatim trahi potest. Finem autem & effectum docet vox Euangelij prædicationem hanc omnibus promiscue sed præcipue non agentibus pœnitentiam fieri in testimonium sicut inquit Christus

Matth.

Matth. 24. Praedicabitur istud Euangelium regni in vniuersa terra, ut sit testimonium omnibus gentibus: scilicet iudicij & sententiae ultimae, qua incredu̇li redarguentur, si ignorantiam non aspersati Euangelij praetendant. Agnitis autem poenitentiam, id est, perterrefactis agnitione peccati & irae Dei, & auxiliatorem quaerentibus, atque in promissione gratiae & misericordiae fide apprehendentibus, ad salutem & vitam aeternam. iuxta dictum Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Item Rom. 3. Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum, sine discrimine. Item 1 Timoth. 2. Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. Item 2 Pet. 3 Patiens est erga nos, nolens ullos perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere. Item Ioann. 3 Sic dilexit Deus mundum, ut filium unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Item Ezech. 33. Viuo Ego: nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & viuat. Vt ergo vult Deus omnibus praedicari, sic vult ab omnibus quod praedicatur audiri. Et audientes: id est, vera fide amplectentes promissae vox Euangelij iustos coram Deo, & in aeternum beatos: Non audientes, alienos a Deo & damnatos. Poenitentia & fides determinant nobis vniuersalitatem promissae gratiae. Nec ullo alio nobis patefacto & oculis discrimine distinguuntur Electi a reprobis. Etsi enim dubium non est, certum esse numerum Electorum, quos in dilecto filio Pater dilexit, & elegit ante constitutio-

nem

nem mundi: tamen qui illi sint, nec scire nos nec quaerere voluit à priori,
& ut arcanissimum decretum divinitatis frustra quaeritur. Sed omnes remittit
pariter ad patefactam verbi & ministerij vocem arguentem peccata, deferentem
gratiam & absolventem à peccatis poenitentes. Hanc sonare vult & volu-
it in toto genere humano, & semper ita sonat ut exaudiri possit & ut exau-
diatur, etsi maxima multitudo audire non vult. Electos ergo & reprobos
vult nos Deus cognoscere ac discernere à posteriori. Vult unumquemque & de
seipso & de alijs statuere, quod qui agit poenitentiam vere & serio, quacunque
aetate: qui assentitur verbo & amplectitur fide promissum Mediatorem, donec
credit, aut si labatur, redeat tamen ad poenitentiam, & perseveret in fide
cum bona conscientia, in bona militia usque ad finem vitae: quod ergo hic
sit inter Electos, & haeres vitae aeternae. Contra, qui non agit poenitenti-
am, & non credit Evangelio, sive hostis, sive contemptor, sive hypocrita, sive
πρόσκαιρος sit & non perseveret, sit inter reprobos & condemnatos. Par-
ticularitas ex diversitate auditorum determinatur à posteriori. Argumenta
seu ἔλεγχοι καὶ δοκιμασίας poenitentiae, fideique & impoenitentiae atque incre-
dulitatis sunt: Credentibus quidem unicuique in semetipso testimonium fidei
ipsius eo ipso, quod est donum Dei & bonae conscientiae, quod quisque habet ex
fide non dubia, vincente terrores ab ira Dei & peccato, à morte, inferno &
Diabolo, tranquillitas item ac laetitia post luctam & victoriam, acquies-
cens in misericordia Dei, item in cruce & afflictionibus, in invocatione &

secundum dicta: Qui credit in filium, habet vitam aeternam. Item Ioan 3. Qui credit in filium, habet testimonium in semetipso. Item Rom. 8 Spiritus S. dat testimonium spiritui nostro, quod simus filij Dei. Item: Iustificati fide pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum. Et secundum Augustinum: Credens scit se credere. Ad alios autem argumenta & testimonia sunt fidei fructus lucentes in bona militia, id est, Dilectio Dei quae est obedientia erga Deum secundum omnia mandata, ardens inuocatio Dei, gratiarum actio, glorificatio, confessio Veritatis, & in confessione constantia, patientia in cruce & afflictionibus, humilitas, mansuetudo, tolerantia iniuriarum, benignitas, castitas, veracitas &c. Deinde Dilectio proximi iuxta mandata tabulae Decalogi secundae, non ficta sed sincera. Et complexus est summa duo capita huius controversiae Christus ipse Iohan 13: quae repetit Paulus 2 Timoth. 2. Christus inquit: Si haec scitis, beati si feceritis. Non de omnibus vobis dico, scio quos elegerim. Electionem ponit, quam scit ipse, Beatos pronuncians qui faciunt, id est credentes & fide obedientes. Paulus inquit. Solidum fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc, Nouit Dominus qui sint sui. Et discedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini. Ergo solus Deus nouit qui sint Dei. Retinens autem fidem & bonam conscientiam se inter illos esse indubitato statuat. Incredulis, Hypocritis, Reprobis documenta sunt ipsis & ad alios Incredulitas ipsa, de qua Christus: Qui non credit iam iudicatus est

est. Item, Contumacia pertinaciter repugnans verbo: Blasphemia seu peccatum in spiritum sanctum, impoenitentia finalis, poenitentia simulata quae est sine vera agnitione peccatorum & sine sensu irae Dej, ac dolorum aut terrorum supra peccatum, de qua Christus: Quia videtis, peccatum vestrum manet: Sineque emendatione aut mutatione vitae in melius. Item fides ficta, quae etsi ab hypocritis externa aliqua specie recti, iusti, honesti tegitur: tamen est sine poenitentia vera, sine timore Dej, nec intuetur Deum, nec refert quae facit in hunc finem, ut Deus honore afficiatur ac celebretur. In terroribus vero conscientiae, in tentationibus, in procellis tempestuosis persecutionis, in cruce & afflictionibus perditur: quia non perdurat. Nobis ergo patefacit Electos fides fructuosa sincere lucens in bonis operibus, seu in obedientia erga Deum iuxta utramque tabulam. Ex fructibus enim eorum cognoscetis eos. Reprobos arguit incredulitas seu manifesta contumax & hostilis, seu hypocritica qualis erat pharisaeorum qui sub vestitu ovium erant lupi rapaces. Ex his manifestum est, quod in concione poenitentiae & in consolatione perterrefactorum peccati accusatione, debeat oportet omnes sine discrimine ad mandatum universale, quod praecipit agere poenitentiam & credere Euangelio. Quod etiam sicut arguit peccatum in omnibus, sic omnibus confugientibus ad Mediatorem annunciat & impertit remissionem peccatorum. Haec universalitas abolerj non potest, quomodocunque restringatur promissio ad solos Electos: & quidquid disputetur de voluntate arcana seu beneplaciti, ut vocant: quae

eij

si abdita nobis est, cur illam & scrutamur, & non potius aestimamus ac definimus
ex patefactis? At, inquis, fides non ex nobis est, nec opus est virium nostra-
rum, sed donum misericordiae & gratiae Dei. Incredulitas fructus est & opus cor-
ruptionis innatae. Quae ergo causa est dissimilitudinis? Cur sonans Evangelium
aliqui non audiunt, aliqui audiunt? Non audientium cur aliqui ab initio
non audiunt, sed aversantur, & repugnant, aut oderunt etiam, ac persequun-
tur hostiliter, tandem tamen audiunt, cognoscunt, convertuntur & salvantur?
Aliqui penitus non audiunt, sed aut negligunt occupati curis & delitijs mun-
di, & cupiditatibus suae carnis, aut hostiliter etiam & furenter delere conan-
tur, ut docent parabolae de nuptijs, de coena magna, de vinea, & tota historia
Ecclesiae. Eorum qui audiunt, aliqui attentiuntur, credunt, & perseverant:
Aliqui etsi credunt, non tamen perseverant. Horum rursus aliqui redeunt
ad poenitentiam, & finaliter perseverant: Aliqui aut non redeunt ad poeni-
tentiam, aut, si redeant, non tamen perseverant. Denique, quare credentium
alij perseverant, alij non perseverant finaliter? De his & similibus alijs
pertinentibus etiam ad hanc vitam praecipua quaestio est, Utrum utilius sit ad
amputandam aut excutiendam animis profanitatem, securitatem, curiositatem
& ignaviam: Vel contra, ad occurrendum tentationibus, aut ad perterrefac-
tas conscientias & cum dubitatione aut desperatione luctantes explicandas
inde & liberandas, deducere mentes ad arcana beneplaciti & ad determi-
nationem horum a Scholasticis traditam quae distinguit necessitatem ex hypo-
thesi

thesi in necessitatem coactionis, & necessitatem constrictionis, infallibilitatis, immu-
tabilitatis. Inter definita in Deo, indefinita in homine. In lapsibus vero contra
conscientiam, & excussionem Spiritus sancti & fidei, quod fiat respectu nostri, respectu
Dei non fiat. In decreto & proposito electionis & reprobationis, inter voluntatem
revelatam seu signi volentem omnes homines salvos fieri, & arcanam beneplaci-
citi non volentem omnes salvos fieri, sed solos electos. Et inter reprobationem
activam & passivam: Inter affirmativam & negativam. Ad haec ergo
& similia, utrum tutius sit deducere animos? An vero ad patefacta de
prima causa, & de subordinatis, ut sunt patefacta, & ad declarationem ac de-
terminationem cum harum tum aliarum arcanorum iustitiae ac miseri-
cordiae Dei, secundum patefacta & ad ordinem ministerij verbo institutum, inque
his acquiescere omissis quaestionibus alijs aut disputationibus in Scriptura non
explicatis. Revelata autem sunt, ut dictum est, Quod omnes sumus obnoxij
peccato, ut omnes vocentur, doceantur, arguantur: Ut omnibus annuncietur
promissio gratiae & remissionis peccatorum per & propter Christum: omnibus
praecipiatur ut agant poenitentiam, & assentiantur ac credant Evangelio, si-
cut Actor. 17 dicitur, Deus nunc denunciat omnibus hominibus ubique ut
resipiscant. Item, Ut edant fructus poenitentia dignos, caveant lapsus contra
conscientiam: Studeant retinere fidem & bonam conscientiam, ne hac re-
pulsa fidei naufragium faciant, sicut Paulus praecipit, Tu qui stas vide
ne cadas. Ut lapsi per poenitentiam in fide redeant ad Deum, quam Paulus

ne

ne quidem Iudaeis refragis & obstinatis praecidit. Vide benignitatem & severita-
tem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem: In te vero benignitatem,
si permanseris in benignitate. alioquin & tu excideris. Sed & illi si non perman-
serint in infidelitate, inserentur. Potest enim Deus eos rursus inserere. Ad
haec ergo an debilitare mentes tutius sit, & simul ad determinationem uni-
versalitatis a posteriore: Eos esse certo in libro viventium scriptos, & in nu-
mero Electorum, qui agunt poenitentiam, & credunt Filio, & in fide sincera
cum bona conscientia perseverant: Aut lapsi revertuntur ad Deum in conver-
sione non simulata, & fide non ficta, cum testimonijs bonae conscientiae internis
& externis. Si in solo Deo sit aut statuatur causa diversitatis ap-
parentis, turbatur mens & angitur non solum speculationibus de imparita-
te gratiae in Electione & tormento fidei τῇ προσωποληψίᾳ, & similibus.
Sed obstrepunt inde & alia non tantum de peccati causa & necessitate, sed
& de tota legis & Evangelij doctrina, de iustitia fidei, de atrocitate ac de-
formitate peccati, de magnitudine irae Dei declaratae ad meritis peccatum
non tantum minis atrocissimis, sed & victima Filij unigeniti & tristissimis
poenarum praesentium exemplis, de poenitentia & conversionibus poenitentiae, de
misericordia Dei, de fide iustificante, de studio novae obedientiae Deo pla-
centis, de invocatione: quibus an medeantur Papinana scholastica, prae-
sertim si concurrant in tristitia arcani & revelati beneplaciti & sig-
ni norunt qui experti sunt, qui senserunt tentationes de illis, & terrores
serios

rios. Si in homine solo sit causa diversitatis, erit illa in dissimili naturae corruptione, quae erit in illo maior, qui potuit se applicare ad gratiam suis viribus non prorsus exceditis aut fractis, sive per se solus sive cum ope spiritus sancti: quod pelagianum est utrumque. In altero maior erit, qui suis viribus praestare nihil potuit, impeditus enormitate & magnitudine innatae & adventantis pravitatis. At haec imaginatio repugnat scripturae. Etsi enim non dubium est, ut peccatorum gradus sunt, sic gradus esse pravitatis & vitiorum corruptae naturae in singulis, quae in nonnullis tam est distorta, ut nullam ἐπανόρθωσιν, nullam παίδευσιν admittat, ne quidem in externis & civilibus. In multis usu doctrina & disciplina condocefacta & circumcisa mitescit, ut fiat accommodatius organon spiritui sancto: tamen universim & promiscue sine discrimine corrupta haec natura cum sese in spiritualibus, ipsis quod placant iram Dei, delent peccatum, vivificant ac renovant ad vitam aeternam, nihil potest. Ad consolandum itaque accommodatius est & efficacius cum scriptura complecti verum & horrorem, sed ea determinatione & declaratione universalique eius ordine & modo in usu doctrinae & applicatione iustitiae & misericordiae quae traditur in verbo patefacto. Cum etsi fides est donum misericordiae & gratiae Dei: tamen quaeritur quae efficacia spiritus, & quomodo se habente homine accommodatur, & quomodo appraehendat, sibique applicet apprehensa beneficia? Utrum, quoad spiritum sanctum actione & efficacia physica bruta, sicut sol illuminat & calefacit, aut coactione cum lege necessitatis Stoica, aut afflatu

impeditu,

impulsu & raptu violento, Enthusiastico, & Anabaptistico? Quo ad hominem autem: Utrum in homine otioso, nihil agente, habenteq. se pure passive, vel ut truncus ad operationem vel coactionem necessitatis Stoicae, afflatusue aut raptus Anabaptistici, sicut Flacius & Flaciani plurimi, ante editam Chimaeram somniarunt? Vel ut brutum mutatione & conversione hominis physica aut hyperphysica, qualem fieri fingit Chimaera, non sine sensu quidem ut in ramis verno tempore virificatis, sed sine omni tamen motu, tantum ut subiectum patiens & convertibile, eo usq., donec tantum accipit facultatis ac virium, donec agere possit? Vel ut nacruus vasculus ad infusam gratiam seu qualitatem novam secundum Scholasticos & Flacianos nonnullos, Wigandum, & alios? Aut an viribus in homine Spiritui Sancto sua natura & ex sese cooperantibus? seu applicantibus sese ad gratiam & ad virtutem Spiritus sancti? An vero concurrentibus his tribus causis & agentibus suo loco & ordine, viribus hominis, quidem ex sese & natura sua prorsus invalidis, ut rationabilibus tamen & inter se differentibus, eoq. ordine quo conditae sunt, a Spiritu Sancto tractis per verbum in ordinato & legitimo huius usu, in auditu & meditatione, sed tractis liberrime, & sine coactione, vira luce, & virtute cum agendi facultate collata ac communicata, qua placuit mensura Spiritui Sancto, sed in certamine ac lucta tamen carnis cum Spiritu, id est novae virtutis cum pravitate insita, in qua alterutra facultatum, aut nova Spiritus aut prava insita

vincit

Vincit, uel succumbit. Cuius in dilemmate primum membrum habet, quo ad Deum: quae secundum, quo ad hominem, aut physica, hyperphysica, Stoica, Enthusiastica, Scholastica, flaciana etc. aut τοῦ συνεργίας Pelagiana illa absq. omni dubio refutat euidentissime tota scriptura. Tertium & ultimum solum scripturae congruit, in qua haec sunt perspicua & illustria de Spiritu sancto, quod trahat, illuminet, doceat, arguat, perterrefaciat, consoletur, uiuificet, sit doctor, gubernator & paracletus, sed praesentia & actione liberrima exerente sese in quos uult, per uerbum & sacramenta, ac preces, quae uerbo fide nituntur, & trahente non afflatu aliquo occulto praeternaturalis aut impulsu leui uel fato; sed uiua quidem & efficaci uirtute, absq. tamen uiolentia & coactione, liberrima fidei, uirtutis seu facultatis, & donorum distributione per omnes uires eo ordine quo conditae sunt, incipiendo a mente, ut parte intelligente, & a uoluntate, ut parte principe omnibus imperante, in ordinato ac legittimo usu mediorum, in auditu, lectione & meditatione uerbi, ac usu & consideratione symbolorum in Sacramentis attenta, quae & ipsa uerbi est consideratio, & symbolorum ut uerbi uocalis, quorum uirtus, uiua & efficax est, & penetrantior quouis gladio ancipite, & quae est potentia Dei ad salutem omni credenti. Omnis uirtus est a Spiritu sancto in homine tantum & quidem in actione tantum instituta & mandata, ac directa ad eum finem consequendum, cuius causa facta est institutio, sed in lucta seria, cum per nouam uirtutem Spiritus trahentem cum adiuta

corrue

carne in omnibus viribus ordine, tum carnis infestae ac reluctantis viris,
sive cum spiritu inde usque a principio seu regenerationis seu primi motus con-
uertendorum, qui omnis est a spiritu sancto, & multo magis deinceps virtute
eiusdem spiritus per omnem vitam reliquam, quae hac conditione carnis pecca-
to obnoxia nihil aliud est quam perpetua conversio ad Deum, sed cum & terrores,
& lucta, ac certamina exasperantur lapsuum & peccatorum magnitudine.
Non destruit spiritus sanctus, sed instaurat vires a Deo conditas & peccato
sauciatas ac corruptas, non tamen passiva, bruta, otiosa, violenta, aut physi-
ca vel hyperphysica mutatione, sed activa virium confligentium cum duobus
principijs contrarijs, & facultatibus contrarijs: una noua, adventitia, spiritua-
li a spiritu sancto; altera veteri innata & vitiosa. Nec conversio hominis
est mutatio passiva sed activa in lucta virium, per contrariam insitae
pravitati virtutem & actionem spiritualem in studio conatu & annixu secun-
dum spiritum, in qua quomodo lux noua agnitionis Dei verae secundum es-
sentiam & voluntatem, & lux fidei accenditur, ac per hanc vivificae consola-
tiones, quomodo noui in reliquis viribus, ardentesque motus cientur in vo-
luntate ac viribus inferioribus, norunt qui in veris terroribus, ac vera vi-
uaque conversione ad Deum id experiuntur. Certe conversio non est motus
aut momentaneus, aut physicus, sensualis, passiuus, brutus, qualis rana-
rum a tepore solis reuiuiscentium: sed acerrimum ac perpetuum certamen
per omnem vitam in virtute spiritus, secundum omnes vires, cum carne, dia-
bolo

bolo, morte, inferno, & mundo, in quo qui eluctantur & vincunt, ij saluantur.
Vincunt autem tantum in Christo, virtute Spiritus. Qui rejiciunt Spiritum
sanctum, aut negligunt donum huius doctrinæ & virtutis Spiritus, pereunt.
Offert et exhibet Deus promissa beneficia æterna per verbum cum facultate
accipiendj in viua & efficaci virtute Spus. facultas igr applicandj se ad gra-
tiam non est à nobis, sed ab efficaci actione Spus. Sed non confertur hominj otio-
so, impressione & mutatione physica & bruta, sed ut creaturæ rationalj, in exci-
tata actione intelligente spiritu mentis, nova virtuti Spus sancti agente & innatæ
prauitati repugnante, quæ nunquam et ipsa otiosa est, nec otiosam esse sinit Dia-
bolus instans cum ignitis suis telis tum per occasiones externas, per illecebras atq;
irritamenta mundj. Nec sunt vires humanæ otiosæ, sed agunt ordine & loco suo,
aut virtute Spus sancti detestando in semetipsis quod prauum ac repugnans est,
aut sua prauitate spiritum aduersando. Quicquid bene fit et recte, id à Spi-
ritu est. Quod male & improbe, hoc à carne, Diabolo & mundo proficiscitur.
Qui assentiuntur & obsequuntur Spiritui sancto, virtute eiusdem id faciunt,
non sua, nec tamen sine actione, sine conatu & sine annixu in virtute Spiritus.
Qui repugnant, sua malitia aut contumacia repugnant, aut donum acceptum
effundunt, vel excutiunt. Non vult nos Deus securos, non otiosos non ig-
nauos esse, non deditos cupiditatibus carnis, aut delicijs mundj: sed vigi-
lantiam, studium, conatum, & luctam præcipit. Vult nos milites in acie
perpetua collocatos pugnare aduersus hostes, non minus spirituales quam exter-
nos & obuios. Nihil otiosum, Nihil mere passiuum agnoscit aut habet

Scriptura.

scriptura. Qui dat velle, dat etiam perficere, sed non sine motu, actione & lucta, qualem suo exemplo Paulus nobis proponit Rom. 7. & 8. Sic loquitur scriptura de applicatione promissorum beneficiorum. Scripta prophetica & Apostolica testantur de liberrima praesentia, actione & efficacia Spus & Verbi, & liberrima distributione gratiae in fide, virtute, & donis. Notissima sunt testimonia Prophetarum, Christi & Apostolorum. Clara & haec sunt: In homine nihil esse, nisi quod est dono gratiae per Spum Joann. 6. Nemo venit ad me, nisi quem Pater traxerit, quem docuerit. Quod fiat autem tractio per Spiritum & Verbum, diserte ibidem ostenditur à Christo. Item Joann. 15 Sine me nihil potestis facere. Item Spus docebit vos oia, Ducet vos in omnem veritatem. Item 1 Cor. 12 Nemo potest dicere Dominum Jesus, nisi in Spu sancto. Item 2 Cor. 3 Non quod idonei simus ex nobis ipsis ad cogitandum quicquam velut ex nobis; sed quod idonei sumus, id ex Deo est. Nullum est tam parvum lumen verae agnitionis Dei, Nulla tam parva scintilla verae fidei quae non sit à Spu sancto: Sed praecipitur vigilantia, sobrietas, cura discendi, & studium, conatus in lucta seria per hanc virtutem adversus carnem, Diabolum, & mundum. Audite & videte quid audiatis Mar. 7. Audite me omnes & intelligite Math. 27. Qui legit intelligat. Item Marci 1. Agite paenitentiam & credite Evangelio. Item Math. 7. Qui audit verba mea & facit. Nolite fieri sicut equus & mulus quibus non est intellectus. Item. Hodie si vocem eius audieritis,

nolite

nolite obdurare corda vestra etc. Item Ephes 3. Renovamini spiritu mentis vestrae & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate. Col. 2 Induite novum hominem, qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem, qui creavit illum. Rom. 12. Nolite plus sapere quam oportet, sed sapite ad sobrietatem, prout Deus partitus est cuique mensuram fidei. Rom. 8 Si spiritu facta carnis mortificatis vivetis. Rom. 6. Exhibete membra vestra non arma iniquitatis, sed arma iustitiae Deo. Gal. 5 Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Item: Non regnet peccatum in mortali vestro corpore. Item: Spiritum non extinguite. Item: Nolite locum dare Diabolo: & innumera alia. Item 2 Cor. 6 Exhibeamus nos omnes sicut Dei ministros in spiritu sancto. 2 Cor. 7 Mundemus nos ab iniquitate carnis, & spiritu perficientes sanctificationem in timore Dei. Haec & similia cum sint homini ex sese & suis viribus impossibilia, cum praecipiuntur, nisi quia cum mandato promittitur & confertur simul facultas ad conatum & actionem divina & efficaci virtute Spiritus, qua vult nos Deus in seria lucta cum carne, Diabolo, & mundo ad se converti, & tali conatu, & lucta hanc vitam transigere, proficiendo in spiritualibus, carnalibus autem regressis atque enecatis deficiendo, cum radix peccati non extirpetur in hac vita eradicatu physico, sed retundatur virtute nova spiritus, actione & lucta contraria. Hoc Pelagianum non est, sed est consentiens inter se ac perpetua veritas Scripturae.

De

De inaequalitate vero apparente, deq. praedestinatis Electis ac Reprobis respo-
deo, Credoq. cum scriptura, certum esse numerum Electorum separatum à
reprobis. Credo Electos, ut sunt electi, sic salvari etiam gratis, nullo suo
merito, ex sola Dei misericordia: Reprobos damnari iuste iustitia Dei. Sed
de Utroq. sentio, iudicandum ac statuendum nobis, id est & definiendos esse
ac distinguendos Electos à reprobis, & iustitiam ac misericordiam Dei in appli-
catione declarandam ac determinandam esse non à priori, quod ne quidem per-
fici, sed à posteriori, sicut patefactum est Verbo intra metas revelationis.
Nimirum, quod Deus omnes homines concluserit sub peccato, & velit argui omnes:
quod omnibus velit denunciari ut iram iustam ad meritis peccatum, sic mi-
sericordiam & gratiam propter filium. Quod omnes velit audire & cognosce-
re Evangelij vocem in mundo sonantem, & omnibus audientibus & amplecten-
tibus promissionem annunciari remissionem peccatorum, cum promissa vitae ae-
ternae: Non audientes haberi pro reprobis. Haec universalia, ad quae
Verbo debitimur, & quae universalia quod sint quomodo quis neget non
video: In hac ergo debet se unusquisq. includere, & obtemperare mandato.
Nec debet captare aut expectare singulares vocationes, nec tractus aut rapto-
prehensores, nec certa aut singularia momenta vel mutationis sufficien-
tis ut possit agere & credere, sicut Chimaera somniat, aut infusio-
nem qualitatis scholasticae. Haec ignorat scriptura, cum per verbum
fit tractio a Spiritu Sancto, vivâ virtute & efficaciâ, & fit mutatio

per

per actionem & luctam. Si quis autem ex sensu terrorum ab ira Dei & peccato incidat in dubitationes aut desperationem: aut quaerat num se non posse credere quia non sit inter Electos, is ab hac imaginatione ad universale mandatum, & ad promissionem deduci debet, ut supra expositum est, cui qui non assentitur fide, is mendacem facit Deum. Nec quaerere debet, utrum sit inter Electos? sed statuere quod sit, secundum promissionem, & a posteriori, id est ab illis ipsis initijs poenitentiae & fidei exiguis licet & tenuibus, quae non haberet, nisi haberet a Spiritu Sancto hoc testimonio de fidei certitudine confirmari debet. Nec debet cum disputare aut expostulare cum Deo de inaequalitate gratiae, aut fidei in seipso vel alijs, quia etsi quando solvitur debitum iustitia dat aequalia aequalibus, in donatione tamen & gratuita misericordia non est iniustus qui dat alicui non debitum beneficium, alteri vero non dat: sicut docet parabola de conductis in vineam: aut si beneficium gratuitum inaequaliter distribuat ut in parabola de talentis, quae non velit negligentia, contemptu aut diffidentia abijci & defodi: sed negotiando augeri & acui. Imo credens, sentiens sic fidem exiguam & languidam, misericordiam tamen & gratiam per se non debitam, tamen ex pacto & gratuito debitum fiduciae creditoris petere ac flagitare potest: & de hoc debito ex obligatione promissi quisque credentium in dubitationibus confirmari debet. Cum igitur habere initia, dubitationibus diffidentiae & desperationi indulgere non debet: sed petere ut Deus opem ferat imbecillitati, ut augeat & confirmet robur ac vires spiritus & fidei, secundum promissionem: Linum fumigans non extinguet

tinguet, calamum quassatum non confringet. Item: petite & accipietis. Item: Quanto magis Pater vester coelestis dabit spiritum sanctum petentibus. Item: obedientibus. Nec de Electis & Reprobis aliter iudicandum, quam ut docet Scriptura, Credentem & perseverantem in fide usque ad finem electum esse. Non credentem, & non perseverantem non esse electum. Nec de caussis etiam Electionis, aut reiectionis, aut cuiusquam uel exhibitionis atque indulgentionis gratiae, uel superioris, pertinacioris ac diuturnioris irae & iustitiae siue in totas gentes siue in singulos aliter iudicare aut decernere quis debet quam hactenus patefacta, & intra metas patefactionum. Nimirum, Credentem fide saluari, non tamen propter ipsum fidei opus, multo minus propter opera seu merita alia, sed quia donum gratiae & misericordiae iustificantis & saluantis apprehendit. Incredulum condemnari, iusto Dei iudicio quia repellit gratiam, causa aliqua in ipso est, siue propria sit, siue non. Causa tamen, & per se causa, non per accidens, quod testantur & parabolae de nuptijs, de Coena magna, de spargente semen in agros dissimiles, quibus omnibus aliqua causa auersationis, aut inefficacis uel infructuosae, aut non perdurantis uocationis confertur in hominem. Denique scriptura etsi opera uliqua ac merita nostra excludit a causa iustificationis & saluationis, ut certa sit promissio, quae certa futura nunquam esset si penderet ex dignitatis nostrae conditione: tamen a damnationis causa, peccata ac praecipue impoenitentiam & incredulitatem nunquam excludit: sed tam in Israelitis quam in Gentib. in peccatis confert uindictam iustitiae: In misericordiam beneficium gratuitum, quod miseri-

cordiae

cordiae est, & non meriti. Paulus causam & promissionis particularis & singularis Electionis Israelitarum tribuit misericordiae Dei, & juramento Abrahae praestito, quia credidit Deo, & fides ei imputata est ad iustitiam. Causam praeteritionis in ijsdem Gentium (quae a promissione gratiae nunquam fuerunt exclusae) tribuit impietati & iniustitiae gentium, quia veritatem iniuste detinuerunt, non glorificantes eum, sicut in creaturis patefactum consideraverunt ac cognoverunt. Rursus vocationem Gentium novam ac singularem tribuit misericordiae & bonitati Dei. Populi Iudaici excisionem pertinaci eiusdem caecitati, contumaciae & incredulitati. Quae de universis prodita sunt, cur non locum haberent in singulis, cum eadem & de singulis tradantur.

De Iudaeorum hypocrisi, caecitate, contumacia, & incredulitate quid sit in prophetis, concionibus Christi, & Actorum scriptis, manifestum est. Esa. 65. 66. Pro eo quod vocavi vos, & non respondistis mihi. Locutus sum vobis, & non audistis, sed faciebatis malum in oculis meis, & quae nolui, elegistis pro eo &c. Ierem. 5. Erudire Ierusalem, ne forte recedat a te anima mea. Interrogate de semitis quae sit bona, & ambulate in ea. & dixerunt Non ambulabimus. Ierem. 7. Locutus sum ad vos mane consurgens & loquens, & non audistis. Vocavi vos & non respondistis. Praecepi eis audite vocem meam, & ero vobis Deus. Misi ad vos servos meos prophetas per diem, consurgens diluculo, & mittens, sed non audierunt me, nec inclinaverunt aurem suam sed induraverunt cervicem suam. Induraverunt faciem suam, & noluerunt reverti. Ierem: 32

32. Verterunt ad me terga & non faciem, cum docerem eos diluculo & erudirem
& nollent audire, vt acciperent disciplinam. Osea 8. Erudivi eos, & cogitaverunt
super me malitiam. Zach: 7. Posuerunt cor suum sicut Adamantem, ut au
dirent verbum & legem Domini. Psal. 81 Audi populus meus & protestor te.
Israel utinam audires me. Sed non audivit populus meus vocem meam, Et
Israel non voluit me: Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum. Ibant
in adinventionibus suis. Ierem. 16 Vos peius operati estis quam patres vestri.
Ecce enim ambulat unusquisque post pravitatem cordis sui mali, ut me non
audiat. Christus Ioan. 5 Scrutamini scripturas quia in eis putatis vos
habere vitam aeternam: Et illae sunt quae testimonium de me perhibent. Sed
vos non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Item verbum Dei non
habetis in vobis manens, quia quem misit ille, huic vos non creditis. Matth
23 Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos, sed tu noluisti. Item
Esa: 63 Ipsi provocaverunt eum ad iracundiam & afflixerunt spiritum
sanctum eius, & conversus est eis in inimicum. Act. 7. Hic est, qui
fuit in solitudine cum Angelo, cui noluerunt obedire patres vestri; sed repu
lerunt aversi cordibus suis. Item vos semper resistitis spiritui sancto, Sic
patres vestri, ita & vos. De Hypocrisi Ierem. 3 Non est reversa
ad me praevaricatrix Iuda, toto corde suo, sed in mendacio. Pertinaciae
caecitatis, contumaciae & incredulitatis fructus est & merces. ps. 81 Dimissio
sui desertio. Osea 4 Repulsio. Quoniam repulisti scientiam, repellam te.

Paulo

Paulo Excisio ad Rom. 11. Abiecti uel deserti quod permittantur & tradantur Diabolo ostendunt exempla Saulis & Iudae. De Saule expresse dicitur, quod Spiritus Domini exiuit ab eo, & inuaserit eum Spiritus malus a Domino. Quo exemplo territus & commonefactus David post adulterium & homicidium ardenter orat, ne auferat Dominus ab ipso Spiritum Sanctum. De Iuda dicitur: Intrauit in eum Satanas. Hypocritas non per conuenienter pingit parabola de Spiritu immundo exeunte & reuertente. Excaecat oculos, aggrauat aures, indurat corda Deus cum deserit, & desertos permittit cogitationibus & desiderijs suis, ac potestati Diaboli, à quo & à semetipsis indurantur. Non uult enim Deus peccatum autor sua actiua & effectiua uoluntate sicut bonum quod efficit, sed ut sui operis destructionem non simulate odit, animaduertit, damnat, & punit poenis aeternis & praesentibus. Vult autem nata ti & permissiua uoluntate, propter se tamen, ad ostendendam in eo iustitiam, misericordiam & bonitatem suam. A Diabolo autem ortum fit & efficitur in homine, ab homine ipso, peccato corrupto per se, aut simul a Diabolo impulso. Haec & similia alia Iudaeis dicta eodem modo se habent, eodemque usu & effectu ad omnes caecos, contumaces, incredulos & hypocritas omnium temporum. Hoc modo cum Melanthoniani uolint legalia illa supra memorata & reliqua Euangelica, arcana tamen atque indeterminata accipi, secundum declarationem ac determinationem Iustitiae & misericordiae, traditam uoce Euangelij

in

usu & applicatione, & a posteriori sunt ostensa, nec illa arcana in consolatione urgeri volunt a priori: non reperio quid in eis desiderari debeant aut possint. At quaestiones & disputationes alias periculosas, curiosas, & inexplicabiles suo more, se intra metas patefactionum continens, praecidit, quales a nonnullis agitantur, quia magis implicant quam explicant, quod in hac doctrina obscurum est. Non fero iudicium, sed mihi videtur, nisi hac via non reperiri, quomodo luctantibus cum dubitatione ex particularitate, aut in desperationem ruentibus firma consolatione succurri possit? aut quomodo curiositas, securitas, ignavia in prophanis non urgeatur?

Concludens autem disputationem omnium difficillimam, & intra metas revelationis divinae, quantum de arcana sapientia patefactum est potius religiose adorandum quam curiose & profane scrutandum censens, exclamo cum Paulo: Ὦ βάθος πλούτου, καὶ σοφίας, καὶ γνώσεως θεοῦ! ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ? καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ. Amen.

BIBLIOTHÈQUE SAINTE GENEVIÈVE